



DOCTRINA

CHRISTIANA DE SACROSANCTIS

ECCLESIAE SACRAMENTIS

Non omnia, quae conscribuntur in omnium manus veniunt, & utile est plura a pluribus fieri diverso Stylo, non diversa fide.

Augustinus libro 1. de Trinitate capite 2.

DOCTRINA

CHRISTIANA DE SACROSANCTIS
ECCLESIAE SACRAMENTIS

AB HETERODOXORUM ERRORIBUS VINDICATA

IN TRES TOMOS DISTRIBUTA.

A U C T O R E

ALBERTO PAPPIANI

IN COLLEGIO FLORENTINO SCHOLARUM PIARUM

S. THEOLOGIAE MAGISTRO EXAMINATORE SYNODALI

ET SOCIETATIS DOGMATICORUM PRAESIDE.





FLORENTIAE MDCCLXXI.

IN TYPOGRAPHIA DOMINICI MARZI, ET SOCIORUM,

Superiorum Approbatione

FRANCISCI CAIETANI INCONTRI

ARCHIEPISCOPI FLORENTINI

NON PONTIFICALI TANTVM INFVLA

SED ET OMNIGENA ERVDITIONE AC DOCTRINA

PRAESERTIM QVAE DECET SACRORVM ANTISTITEM

SVAVITATE ET INTEGRITATE MORVM

VIRTVTVM QVE OMNIVM CLARITATE SPECTANDI

ET AMPLISSIMORVM VIRORVM

IOSEPHI MARIAE PASQVALI

PRAEPOSITI FLORENTINI

GABRIELIS MARCHIONIS RICCARDI

FLORENTINI SVBDECANI

ROSSI MARIAE DE RICCIS

ANTONII BONACCVRSI PERINI

LAVRENTII DE FRESCOBALDIS

BONSI PII BONSI

VITALISSIMI ARRIGHI

MICHAELIS CATTANI

THOMAE BONAVENTVRAE DE GHERARDESCA

ANTONINI BALDOVINETTI

METROPOLITANAE FLORENTINAE CANONICORVM

RAYMVNDI ALOYSII VECCHIETTI

S. PETRI IN BOSSOLO PLEBANI

ZENOBII MORMORAI

FLORENTINI S. IOHANNIS BAPTISTERII PRAEPOSITI

ET AMPLITVDINE GENERIS ET ECCLESIASTICA DIGNITATE

OMNIVM QVE ANIMI DOTIVM SPLENDORE ILLVSTRIVM

ACADEMIA THEOLOGICO-DOGMATICA FLORENTINA
QVAE TANTORVM VIRORVM AVSPICIIS
AVCTORITATI PATROCINIO MVNIFICENTIAE
ORTVM INCREMENTVM FIRMITATEM SVAM ACCEPTA REFERT
EDITVRA CHRISTIANAM DE SACRAMEN. ECCLESIAE DOCTRINAM
AB HETERODOXORUM ERRORIBUS VINDICATAM
SIBI IN AVTOGRAPHO AB AVCTORE IPSO
ECCLESIASTICARVM OMNIVM SCIENTIARVM DOCTISSIMO
SVO QVE PRAESIDE MERITISSIMO
ALBERTO PAPPIANI
CL. REG. S. P. OBLATAM
IN PERENNE AC PVBLICVM GRATI ANIMI
OBSERVANTIAE VENERATIONIS MONVMENTVM
PATRONI SVI
BENEMERENTISSIMI
CONSERVATORVM SVORVM
MVNIFICENTISSIMORVM NOMINA
IN FRONTE OPERIS INSCRIBENDA CVRAVIT

LECTORI BENEVOLO

FRANCISCUS MARIA CANONICUS NESTERINI ACADEMIAE THEOLOGICO-DOGMATICAE FLORENTINAE CONSUL,

FOELICITATEM.

Quae modo prodit in lucem DOCTRINA CHRISTIANA *de* SACROSANCTIS ECCLESIÆ SACRAMENTIS *ab* HETERODOXORUM ERRORIBUS VINDICATA, *jampridem fuerat ab auctore* ALBERTO PAPPIANI CL. R. S. P. *Academiae Theologico-Dogmaticae Florentinae Praeside meritissimo, Academiae eidem humanissime exhibita, ut pro libito, vel inter anecdota, quae plures ex Academicis servanda tradidere, servaretur & ipsa, in lucem aliquando cum anecdotis ipsis Deo favente proditura; vel seorsim praelo supponeretur. Eam vero diu latere universus Academicorum cœtus indigne, ac moleste ferebat; quare saepius ab Academiae Moderatoribus petere non destiterunt, ut quocitius fieri posset, ederetur in lucem. Id unum tamen communi omnium obstabat voto, quod praelaudatus Auctor, ut qui ab humanae aurae plausu, quam qui maxime, abhorret, ipsius potius Academiae, quam suo nomine opus adscribi contendebat, ne, quod dono dederat, repetere quodammodo videretur; neque se a proposito dimoveri posse affirmabat: Academici omnes contra Auctoris benemeritissimi de se nomen occultari non patiebantur, quod si perferrent, religioni sibi quodammodo ducerent. Hinc necessario editionem oportuit differri.*

Victus interea assiduis Academicorum precibus ALBERTUS *Auctor opus* ECCLESIAE DEI *perutile diu latere non passus est, suoque insignitum nomine prodire non recusavit; quod cum faceret:* non meam, *inquit*, sed vestram, quam semper maximi feci, sequutus sum voluntatem. *Quoniam vero* PATRONO SUO FRANCISCO CAJETANO INCONTRI ARCHIEP. FLORENTINO, SUISQUE CONSERVATORIBUS, *quos praecedens pagella comme-*

mo-

merat, opus universum nuncupare Academia cogitaverat, tres ipse Auctor inter hos praeclarissimos praecipue delegit, quorum nominibus Tractatus quidam peculiares nuncuparentur, ut pote eorum muneri, ac dignitati maxime accommodatos.

Age vero Lector benevole, *quandoquidem editionis hujus cura omnis mihi demandata est ab Academia universa, cujus ego in praesentia Consulatum gero, de ejusdem Academiae ortu, incremento, institutis nonnulla ne graveris audire. Quod idcirco a me fieri scias, ut & hujus operis Auctori, qui prima ejus jecit fundamemta, magno deinde labore ac diligentia collabentem restituit, restitutam firmavit, gratia a nobis aliqua quacumque demum ratione testimonio hoc publico referatur, & quantopere Academiae nostrae instituta Christianae Reipublicae, si serventur, profutura sint, innotescat. Quis enim unquam audeat inficiari quotidianam fere, quae ab Academicis magno quidem conatu suscipitur, de Ecclesiasticis disciplinis disputationem, praesertim vero de iis, quibus aut Catholica Ecclesiae fides firmatur, aut Ecclesiasticae circa mores, ac disciplinam Sanctiones illustrantur, impiorum erroribus aut detegendis, aut refellendis (atque his quidem heu quam misere nostris temporibus Christi Sponsa dilaceratur) non esse perutilem? Porro hoc unum est ex multis, quibus sese addixere Academici; quorum prima, ac praecipua omnium cura in eo sita est, ut semet assidua exercitatione reddant idoneos, ad quascumque circa Christianae fidei dogmata quaestiones excutiendas, dissolvendasque, atque ad morum, disciplinaeque regulas explanandas, si res ferat, juxta Sacrorum Canonum constitutiones, Sacrorumque Conciliorum decreta. Ex quo maximum Christianae Reipublicae bonum derivari omnes facile fatebuntur, cum plures inter eos praesertim, qui Clericali militiae nomen dedere, numerentur, quorum pietas, ac doctrina in eo omnes intendat nervos, ut rebellium contundat audaciam, & errantium pedes ad semitas veritatis reverti compellat.*

Quae cum cogitasset diu, ac mente sedulo revolvisset Alberici Pappiani, *ex quo, post graves, & assiduos labores*

annorum fere XX. in tradendis philosophicis ac mathematicis Institutionibus in Florentino Collegio Scholarum Piarum *, *Theologicas disciplinas, Sacrorumque Canonum scientiam tradere, & explanare aggressus est* **, *cum quibusdam tunc temporis Auditoribus suis consilium iniit, Academiam hanc instituere, ex qua tales, quos breviter commemoravi, fructus, majoresque etiam, quos deinde recensebo, in Catholicam dimanarent Ecclesiam. Quare Dei primum, ac Divi Thomae Aquinatis, cujus angelicam doctrinam Academia veneratur, ac profitetur, ope implorata, primum inter quorumdam ex supra memoratis suis Auditoribus domesticos parietes, post vero in Collegii sui aedibus privatas disputationes semel in hebdomada habere consuevit, ex quibus cum quotidie magis adolescentium ingenia acui, atque ad eum, quem sibi proposuerat, finem, institutum hoc maxime videret conducere, tum demum Academiam quasi publici juris facere, legibus, patrocinio, ac praesidio cujusdam praeclarissimi Viri firmare sibi induxit in animum.*

Quapropter collatis consiliis cum illis, qui primi novae huic Academiae dederant nomen, eique regendae aptis, & idoneis legibus conditis, vias omnes, ac rationes inire statuerunt, quibus FRANCISCUM CAJETANUM INCONTRI ARCHIEPISCOPUM FLORENTINUM, *nonnullosque praeclariores Metropolitanae Florentinae Ecclesiae* CANONICOS, *genere, dignitate, meritis commendatos, illum* PATRONUM, *hos vero* CONSERVATORES *sibi conciliare possent, ac promereri. Quod ut facilius contingeret, quemdam inter Academicos deligunt, quem publice differentem, &*

AR

* Quo tempore ALBERTUS PAPPIANI philosophicas, & mathematicas tradebat Institutiones sequentes edidit libros, magno literatorum hominum plausu, & commendatione exceptos.

1 *Praecipua Historiae Philosophicae, Scientiae Naturalis, Doctrinaeque de Motu Corporum Capita &c.*

2 *Della Sfera Armillare, e dell' uso di essa nell' Astronomia, Nautica, e Gnomonica.*

3 *La Scienza delle Grandezze dimostrata nelle principali Calcolazioni Numeriche, Analitiche, e Geometriche.*

Eodem tempore jussu Annae Aloysiae Cosmi III. Magn. Etruriae Ducis Filiae, & Palatini Electoris Viduae, defuncto cl. V. Benedicto Bresciani, in hujus locum suffectus est, ut in mathematicis disciplinis nobiles honorarios ephebos eidem Principi foeminae inservientes institueret.

** Theologiam, Sacrosque Can. tradere coepit an. 1754. & etiam nunc tradere perseverat.

ARCHIEPISCOPUS, & CANONICI, *quos semper honoris causa nomino, possent audire, ut ex re ipsa valerent decernere, quid de novo hoc instituto sentiendum, quae de illo spes foret concipienda, quaeve inde in Christianam Rempublicam utilitates possent dimanare. Felicem illum diem Academiae nostrae, felix ac bene auspicatum consilium! Vix enim disputatione peracta, vix Academiae legibus, & institutis examinatis, non dubitaverunt praeclarissimi illi Viri benevolentia, auctoritate, patrocinio suo nascentem Academiam complecti, opemque illi ac praesidium promittere. Cujus rei praeclarissimum extat testimonium in humanissimis* FLORENTINI ARCHIEPISCOPI *litteris ad Academiam datis VIII. Kal. Mart. an.* 1761. *quibus, & institutum ejus collaudat, & in spem magnam erigit non mediocris, neque vulgaris apud quoscumque bene cordatos Viros famae, & commendationis.*

Tum vero inflammari Academicorum omnium voluntatem, & conatus augeri, ut sese tantorum virorum patrocinio dignos ostenderent; quod ita ab ipsis ad haec usque tempora ita praestitum est, ut nullus adhuc annus effluxerit, in quo vel plures ex iis praeclara ingenii, doctrinae, eruditionis coram PATRONO, CONSERVATORIBUS, *plurimisque aliis primae litteraturae Viris publice de Theologicis, ac Canonicis disciplinis differentes argumenta non dederint.*

Neque tamen publicis hisce disputationibus omnis Academicorum cura continetur; antiquam enim illam consuetudinem suam, singulas disputationes singulis hebdomadis instituendi, non modo non praetermiserunt, verum incredibili etiam animi ardore prosequuntur. Ex quo fit, ut ex diuturna hac exercitatione paratiores reddantur ortodoxis dogmatibus propugnandis, Acatholicorum devitandis insidiis, ac veritati in clariori luce collocandae, sive aliqua intervenerit de rebus ad fidem spectantibus controversia, sive de moribus ac disciplina quaestio aliqua proponatur. Noveris enim oportet benevole Lector *datam semper, & dandam in Academia nostra cuique facultatem, quaestiones illi quascumque proponere, quarum expetatur solutio. Hinc saepissime fieri solet, ut non ex hac*

no-

nostra tantum Civitate, sed & ex exteris etiam gentibus varia ad nos dubia dirimenda undique perferantur, quae non Theologicas tantum facultates, sed etiam, & fortasse saepius, jus utrumque respiciunt. Quod non semel in anno usque modo vidimus contigisse, sed ter interdum, & etiam quater singulis annis de quaestionibus obvenientibus, iisque persaepe gravissimis sententiam rogati, liberum, quodque magis juri ac veritati consentaneum videretur, judicium protulimus. Quo loco quamplurimos enumerare possem genere, dignitate, doctrina spectabiles Viros, qui quanti facerent judicia nostra verbis, scriptisque declararunt. Verum haec libens praetereo, ut absit a nobis jactantiae suspicio.

Illud autem praeterire non possum clarissimum Jurisconsultum Johannem Meoli supremi Florentini Magistratus Auditorem, ut vocant, adeo Academiae nostrae usque ab ejus origine instituta probasse, ut ipsi sese praesto futurum pro consilio, & voto, *ut ajunt, pollicitus sit; quod saepissime etiam humanite sua, qua maxime commendatur, praestitisse conspeximus. Cui propterea sese debere non parum universa Academia fatetur.*

Haec de ortu, & incremento Academiae delibasse sufficiat: nunc, quae sit ratio ad altiores in ea gradus adscendendi, paucis exponere non erit inutile. Inde enim perfacile erit agnoscere omnia in Academia hac ad finem illum, ad quem sunt instituta perfecte collimare, ac conducere. Equidem tres in ipsa sunt Academicorum gradus, & ordines, primus in quo Honorarii, alter in quo Majores, tertius denique in quo Licentiati Academici recensentur. Atque, ut a primis exordiar, illud pratermittendum non est nemini horum ad altiorem ordinem accessum patere, nisi prius ingenii, doctrinae, pietatis praeclara dederit testimonia; nam praeter integritatem vitae, morumque castitatem, de quibus ut evidentissime constet Academiae legibus cautum est, suam, antequam inter Majores Academicos recenseatur, in Theologicis, Canonicisque disciplinis non mediocrem scientiam Honorarium quemque in hebdomadariis disputationibus oportet aperuisse. Neque id aut semel, aut iterum praestitisse sufficiet. Senis enim

vici-

viribus differere illum oportet, & duorum, vel plurium Academicorum objectionibus de more respondere, vel bissenis contra differentes argumenta proponere. Quod non ita parvi momenti faciendum est; siquidem censoriam notam Academiae Moderatores illis non verentur inurere, qui omnium, ut par erat, expectationi non satisfecerint. Quare irritos quandoque labores susceperunt nonnulli, quibus propterea ad Majorum Academicorum ordinem adscendere concessum non est.

Neque haec sufficiunt experimenta doctrinae, quae retulimus, quod enim praeclarius est, & quod non in ore Academicorum tantum, conspectuque versatur, sed coram PATRONO *ipso, ac* CONSERVATORIBUS, *caeterisque primae literaturae viris, quasi testibus ad hoc de more vocatis, exhiberi solet, illud tale est profecto, ut inde & non mediocris acumen ingenii, & diuturnae in Theologicis disciplinis exercitationis in Honorario Academico candidato, qui inter Majores recenseri desiderat, argumenta desumi possint. Siquidem non longius quam tridui spatium illi conceditur, quo brevi temporis intervallo non modo ad publice differendum de duabus polemicis quaestionibus, sortito per Moderatores delectis, & a quocumque impugnatore, praeter duos ex Academicorum cœtu ad hoc expresse rogatos, vindicandis; verum etiam ad exponendam, & illustrandam quaestionem alteram, ex canonico jure depromptam, comparare se debet. Quod quam arduum onus, ac difficile sit, neque cujuscumque humeris imponendum, dicant, si verum fateri velint, qui sese hujusmodi exposuerunt certamini, quamvis ad hoc ineundum, non tridui tantummodo spatium, sed plurium, vel hebdomadarum, vel fortasse mensium habere potuerint. Hoc autem eo magis arduum ac difficile est in Academia nostra, quod disputaturus Academicus non, ut in caeteris plerisque disputationibus fieri solet, aut alterius exercitatioris doctiorisque viri opem potest expectare (nullo enim adiuvante certamen inire debet) aut antea ab impugnatoribus contra arguentibus, quos ipsos ignorat, proponendarum momenta objectionum investigare. Quibus omnibus accedit non mediocris animi metus, & perturbatio, quae disputantis Academici mentem non leviter debet*

per-

percellere, cum sibi compertum sit disputationem suam PATRONI, CONSERVATORUM, *ac Moderatorum Academiae judicio subjectam vel probari posse, vel improbari, ea enim absoluta, horum omnium suffragiis, utrum inter Majores Academicos recensendus sit investigari leges decernunt. Quare fit ut fere nemo, nisi doctrina, & eloquentia polleat, huic sese subiicere velit certamini.*

Neque tamen tantis laboribus praemia desunt; quamvis non ad eum finem labores ipsos susceperint Academici, ut re saepissime ostenderunt; cum bene noverint virtutem ipsam amplissimum sibi esse praemium, atque mercedem. Nam praeter annua stipendia, quae Moderatoribus exsolvuntur (neque ullus unquam inter Moderatores adlectus est, nisi post longos exantlatos labores) MOECENATIS *munificentia (is est unus ex* CONSERVATORIBUS, *atque annum in eo munere perseverat) quotannis Academiae nostrae praemium liberalissime exhibet ab illo inter Majores Academicos acquirendum, qui intra vertentis anni curriculum publice disputaverit, aliaque prae caeteris ingenii sui, diligentiae, doctrinae dederit argumenta. Quare inito super ea re inter Moderatores consilio, omnium illorum, qui a spe obtinendi praemii non excluduntur, merita solent diligenter expendi, ut inter omnes dignissimo conferatur. Haec eadem vero meritorum ponderatio non minor, imò diligentior adhibetur in Moderatoribus eligendis: quae res non modo Academicis omnibus sed &* CONSERVATORIBUS *maximae curae esse solet; ob eamque causam electos ab illis per suffragia per horum adsensum oportet confirmari. Profecto cum primis Academiae temporibus provinciam suam Moderatores tribus mensibus, deinde anno integro obtinerent, triennio inposterum in suo munere sunt duraturi; atque ego quidem omnium primus triennalem consulatum obtineo.*

Jam vero, qui Majorum Academicorum gradum consecuti sunt, debent omni conatu elaborare, ut illo sese non indignos ostendant, ac propterea omnes quascumque vel in hebdomadariis disputationibus, vel in publicis conventibus, vel in propositis Academiae quaestionibus dissolvendis, provincias a Moderatoribus sibi delatas suscipere haud verebun-

tur,

tur, si ad altiora adscendere induxerunt in animum. Profecto ne quis umquam inter Licentiatos Academicos locum obtineat Academiae lege cautum est, nisi qui duodecim annorum spatio diligentia, studio, ingenio ac doctrina sua Academiae dignitatem augere elaboraverit, eique in omnibus, quibus incrementum susceptura est, praesto fuerit. Postquam vero ad altiorem hunc gradum Academicus Major ascenderit, quamvis a duorum inferiorum Ordinum oneribus subeundis eximatur, arctiori tamen vinculo sese Academiae noverit obligatum; cujus propterea conventibus interesse haud gravabitur, praesertim cum, sese interesse Academiae bono conducere, compertum habuerit. Atque, ne fortasse, quod absit, Theologicis, ac Canonicis studiis vale dicat, Academiae leges providerunt. Debet enim acerrime Catholicam Ecclesiae doctrinam qua voce, qua scriptis tueri, & si quid unquam publici juris facturus sit, in eam rem potissimum operam omnem impendere, ut divinarum, humanarumque legum, pro modo utrarumque, vindicetur auctoritas. Quid enim? Nonne ipsi indecorum esset inerti otio vitam transigere, &, post tot tantaque experimenta doctrinae, illam, quam summo labore apud praeclarissimos Viros adeptus est, gloriam obscurare? Quod ne fieret, Licentiatos Academicos stimulis potius acuere, quam praeceptis urgere, leges statuerunt.

Haec, quae de legibus, instituto, gradibus Academiae Theologico-Dogmaticae Florentinae delibavi, constanter adeo servari noverunt praeclarissimi Viri PATRONUS, *&* CONSERVATORES, *ut nihil adhuc repererint, quod reprehenderent. Quare illam summa complectuntur benevolentia, & auctoritate, praesidio, opibus liberaliter, ac peramanter tuentur, maximo sibi ducentes honori meritissimi* PRAESIDIS *industriam, diligentiam, conatus omnes obsecundare, ut ex his fere quotidianis Ecclesiasticarum disciplinarum exercitationibus fideles, sapientesque verbi Dei, & mysteriorum ejus dispensatores Christianae Reipublicae comparentur. Quod & fieri persaepe vidimus ab ipsis Academiae incunabulis ad haec usque tempora, & eo magis inposterum futurum speramus, quo magis tantorum virorum erga Academiam voluntatem, & amorem augeri conspicimus.*

nter

Inter quae omnia, grati tamen animi significationem CONSERVATORIBUS *suis Academia usquemodo exhibere non praetermisit, neque praetermittet in posterum; quoties enim aliquo ex ipsis supremo fato viduata est, extrema illi justa persolvere solemne habuit, neque id vulgari quodam modo, sed pro ratione generis, dignitatis, meritorum. Vidit hoc saepius* FLORENTIA, *atque inter pias Academicorum lacrymas, & Christianae pietatis officia defuncti* CONSERVATORIS *laudationem audivit.*

Habes igitur Lector benevole *Academiae hujus ortum, incrementum, instituta perspecta; habes in hac, quae modo vulgatur,* DOCTRINA CHRISTIANA *de* SACRAMENTIS ECCLESIAE *novum amoris erga ipsam Auctoris sui ac Parentis testimonium; habes nostram omnium, qui in Academia censemur, publico hoc testimonio ipsius Institutori, qualiscumque ea sit, gratiarum actionem; habes denique in hoc praeclarissimo opere quasi firmissimum clypeum, quo Catholica de Sacramentis dogmata tuearis. Nam, ut coetera pretermittam, quae ad ipsius Auctoris commendationem possent spectare, quaeque non facile brevi temporis intervallo recenserentur, atque ad opus hoc, quod me curante prodit in lucem, grande quidem, & Ecclesiae Christi perutile, paulisper descendam, omnia in eo summa objectionum capita, quaecumque hactenus ab heterodoxis prolatae sunt, ad Catholica de Sacramentis Dogmata convellenda, faciliori methodo, quam hactenus per alios Theologos factum sit, ita dilui, & confutari perspicies, ut nihil superfit, quod possit a Theologo super propositis quaestionibus desiderari, nihilque aut obscuritatem pariat nimia brevitate, aut afferat taedium prolixiori disputatione. Mediam siquidem viam* ALBERTUS *ingressus est, eamque in universo opere constantissime tenuit. Quod quam paucis contigerit de re Sacramentaria tractantibus, norunt qui Theologicis studiis operam impenderunt; interdum enim evolutis non uno, aut altero, sed tertio, & quarto etiam Theologo, controversiae tamen alicujus ab heterodoxis excitatae sinus omnes, ac latebras pervestigare non valeas, interdum infinita quasi tractatione obruaris, atque idcirco controversiae examen imperfectum*

relin-

relinquas oportet. Quae duo vitia declinavit accuratissime ALBERTUS PAPPIANI*; quare majori commendatione dignus videtur, cum & brevitati studuerit, & nihil, quod desiderari posset, omiserit. Caetera vero, quibus opus hoc non mediocriter commendatur, rerum videlicet tractandarum facilis, & praeclara expositio, ab altera in alteram disputationem transitus ac connexio, difficilium Scripturae Patrumque testimoniorum explanatio, ita per se legentium animos allicient, ut commendatione mea non indigeant.*

Hoc igitur praeclarissimo opere, Lector benevole, *utere sapienter, & vale.*



IN

IN DOCTRINAM CHRISTIANAM DE SACRAMENTIS

PROLEGOMENA

IN QUIBUS DE SACRAMENTIS IPSIS, EORUMQUE NATURA, ET PRINCIPIIS DISPUTATUR.

CAPUT I.

EXPLICATUR SACRAMENTI VOX, EJUSQUE VERA SIGNIFICATIO TRADITUR, TUM EORUMDEM SACRAMENTORUM IN ALTERUTRA LEGE EXISTENTIA, DISTINCTIO, ET OPERATIO.

HOminem rectum creavit Deus, & propterea nihil illi erat optandum, quod quæreret, ut melior esset, nec illi quidquam timendum, quod caveret, ne fieret deterior. *In illo statu*, inquit D. Thomas 3. p. q. 61. a. 2. *Superiora inferioribus dominabantur, & nullo modo dependebant ab eis: sicut enim mens suberat Deo, ita menti suberant inferiores Animæ vires, & ipsi Animæ Corpus. Contra hunc autem Ordinem esset, si Anima proficeretur, vel quantum ad Scientiam, vel quantum ad Gratiam per aliquod corporale, quod fit in Sacramentis, & ideo in statu Innocentiæ homo Sacramentis non indigebat, non solum in quantum Sacramenta ordinantur ad remedium peccati, sed etiam in quantum ipsa ordinantur ad Animæ perfectionem*. Ex quo vero idem homo suo male est usus arbitrio, & originario sceleri non pauca adjunxit incommoda, novo humana natura indiguit remedio, quo repararet amissum, efficaciorique subsidio illi opus fuit, ne malis innumeris succumberet, & ne in bonis, quæ illi supererant, notitia scilicet veri, & amore virtutum non mediocriter læsa, sauciaretur profundius. Tantas commiseratus ærumnas, hominum necessitati non defuit Clementissimus, ac Benignissimus Deus, sed Medicinam attulit efficacem, qua curatis hominis ipsius vulneribus, ac plane reddita sanitate, in sui principium, a quo discesserat, reduceretur. Addidit & multo majora, tunc certe, cum Filium suum misit in mundum, qui nos dilexit, & tradidit semetipsum Oblationem, & Hostiam in odorem suavitatis, ut odorifero sui Sanguinis Balsamo Patris temperaret iram, clementiam provocaret, & hominem innumeris Peccatorum plagis cruentatum blandiente medicamentorum flagrantia jucunde sanaret. Non est igitur res contemnenda medicamentorum hujusmodi admirabiles Vires cognoscere; quin imò est saluberrimum, ut unicuique homini, ita illi præsertim, qui Doctrinam Christianam exponit, graviora scilicet Doctrinæ Catholicæ capita, alia ratione ab iis, qui fidelium mentes sibi proponunt corrumpere, latius impietatis errores disseminando, ut facile incauti simplicium animi decipiantur. In id opus intenderunt Heterodoxi, qui San-

ctissimæ Religionis Dogmata, & præsertim instituta a Christo Domino Evangelica Sacramenta ita exposuerunt, ut singula aut de medio tollerent, aut nullius efficaciæ esse dicerent; aut vim habere ad solam fidem in animis nostris excitandam, & exercendam, aut esse sigilla, & signacula Divinæ voluntatis instituta ut nobis testificarentur, & sancirent Dei in nos benevolentiam; aut esse tamquam Arrhas, vel Tesseras, quæ rata apud nos ea facerent, quæ nobis Divina bonitas largiretur. Huc pertinent Ascroduytarum, sive Arconticorum, & Ascrodupetarum hæreses, ut scribunt Theodoretus lib. 1. hæret. fabul. cap. 13. Epiphanius hæresi 40. Marcosiorum quoque nugacitates, ut refert idem Epiphanius ex Irenæo hær. 34., & Catharorum, sive Albigensium errores, quos Alexander hujus nominis III. in Concilio Lateranensi parte 1. capite 27. damnavit: Massilianorum etiam, qui Enthusiastæ appellati sunt, hoc est spiritu aliquo afflati, quos Damascenus ait in lib. de hæres. docuisse Baptismum hominem non perficere, nec *Divina Sacramenta accepta animi sordes expiare, sed solas preces, quæ ab illis recte fundantur*, & Armenorum inventa, qui ut constat ex Guidone Carmelita in lib. de hæres. cap. 18. asseruerunt Sacramenta habere in nobis hunc effectum, ut peccata remitterent, sed gratiam non conferrent. Huc denique referuntur ineptissimæ omnes Novatorum omnium hypotheses, qui totam caussam justificationis vel probitati Ministri attribuunt, vel in fidem suam justificantem referunt: quamobrem in eo præcipue Opera nostra versabitur, ut Auditores nostri scire ex Animo cupiant, sibique certo persuadeant, atque intima Cordis pietate, & Religione credant Christo Domino satis non fuisse salutarem hanc ac suavem in Cruce parasse medicinam, cum ulterius voluerit, ut per Sacramentorum effluvium in nos ubertim exundaret, ut Aquas salientes hauriremus in gaudio de fontibus Salvatoris. Pulcherrimum sane Opus aggredimur, sed priusquam a nobis per partes tradatur, communibus quibusdam notionibus informandum videtur, ut quid illud sit, & quid valeat, ac quibus sit innixum Principiis, & quomodo tractandum sit in ipso aditu cognoscatur. Ut igitur a Titulo universi Tractatus exordiamur, qui de Sacramentis inscribitur, quæ sit huic nomini subjecta vis, & potestas initio dicemus, cum ea vox non usum habeat singularem.

§. I.

I. Plurima sunt, quæ a Theologis de hoc nomine, & de usu hujus vocis traduntur. Ea delibare satis esse putamus, unde dicimus vocem hanc *Sacramentum* derivatam vel a *Sacrando*, vel a *Secreto*. Utrumque verum est si usurpetur, vel ad exprimendum alicujus caussæ effectum, vel ad ostendendum id, quod in se continet Sacramentum, juxta illud Tobiæ 12. *Sacramentum Regis abscondere bonum est*, aut illud Apocalipsis c. 17. *Ego dicam tibi Sacramentum mulieris*, aut illud Apostoli ad Ephes. 3. *Quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi a sæculis in Deo*, aut demum illud quod legitur in Decretali 22. q. 5. *Parvuli, qui sine ætate rationabili sunt, non cogantur jurare, & qui semel perjuratus fuerit, nec testis sit post hoc, nec ad Sacramentum accedat, scilicet ad juramentum*, ut inter-

terpretatur D. Thomas p. 3. q. 60. a. 1. ad 3. *non admittatur*, quod habet aliquam habitudinem ad res sacras, in quantum est quædam contestatio facta per aliquod sacrum.

II. Patet ex his quam perperam, & audacter Carolstadius Zuinglius, & aliquando Lutherus, Melanchonus, & Calvinus hoc nomen Sacramentum eliminandum dixerint, vel quia in Scriptura Sacra non inveniatur, aut saltem in ea significatione, quam noster fert usus.

Patet 2. in Sacra Scriptura non ita frequentius usurpari nomen *Sacramenti* ut sæpe legitur nomen *Mysterium* quod Divinas Literas non Latine, sed Hebraice, vel Græce Prophetæ, & Apostoli scripserunt: ceterum per hæc vocabula eadem res indicatur, scilicet signum rei Sacræ, secretæ; idque constat ex c. 2. Danielis ubi Statua Nabuchodonosor vocatur *Mysterium* ex c. 17. Apoc. *In fronte ejus nomen scriptum Mysterium*, ex secunda ad Thessalon. c. 2. *Mysterium jam operatur iniquitatis &c.*

Patet 3. adhuc in Scriptura reperiri nomen Mysterium, ut significet res illas, quas nos vocamus Sacramenta: habetur hoc in c. 5. Epist. ad Ephes. ubi Matrimonium vocat Apostolus *Mysterium magnum*. Arroganter enim magis, quam vere dictum est ab Erasmo *Mysterium* a Paulo dici non conjunctionem Viri, & Fœminæ, sed Christi, & Ecclesiæ, quod ex contextu Sermonis satis superque rejicitur. Sed concedamus hoc nomen in Scriptura non haberi. Quid inde? neque nomina Trinitatis, consubstantialis Personæ reperiuntur in Scriptura, & tamen retinemus.

§. II.

III. Sacramentum dicitur *Signum*, & hoc bene accomodatur tum naturæ signi, tum conditioni omnium Sacramentorum, quæ signa dicuntur, ut patet consulenti Scripturas. Illius autem signi plura sunt munera, sed præcipue quod præterita rememorat, scilicet Passionem Christi, quod præsentia, etiam si occulta (puta Divinam gratiam) demonstrat, quod præscios futuræ gloriæ nos facit, & officiis nostris intentos reddit; quæ singula, ut omnibus VII. Sacramentis conveniunt, in Baptismo tamen, & Eucharistia uberius adhuc indicantur. Absit qui putet, nisi Novatoribus accedere velit, singula hæc munera pertinere ad essentiam Sacramentorum, nam in veteri Lege Ordinatio Levitarum erat verum Sacramentum, & tamen præterita non rememorabat. Ex hoc autem non sequitur Sacramentum esse signum aliquod ambiguum, nam hæc multa significant, secundum quod ordinantur ad unum, quia ex eis quodam ordine efficitur unum.

IV. Verum tamen est non omne signum esse Sacramentum, sed illud tantum, quod signum est rei sacræ, quatenus homines sanctificat, quæ postrema verba non bene audiunt nonnulli Theologi, qui volunt Sacramenta esse signum tantum Gratiæ interioris, per quam anima interius renovatur, & efficitur Justa, Sancta, & Deo grata; vel exterioris scilicet exterioris Consecrationis, & initiationis ad cultum Divinum. Sed illorum sententiam minus probabilem judicamus, quia ex sua natura Sacramenta Veteris Legis operantur Gratiam exteriorem, & Sacramenta Novæ Legis efficiunt Gratiam quam significant, & propterea merito Concilium Tridentinum Sess. VII. Can. 6. definivit: *Si quis dixerit Sacramenta Gratiam non*

ponentibus obicem non conferre, anathema sit. Magis ad rem posteriora hæc verba D. Thomas l. c. a. 2. ad 1. in definitione Sacramenti inseruit, ut doceret, quod si aliquando Creaturæ significant aliquod Sacrum, ut facræ Immagines, signum Crucis, Manna quæ pluit in Deserto &c. non ideo dici possunt Sacramenta, quod per ea nos non sanctificamur.

V. Notandum tamen est hoc signum debere esse sensibile (quidquid in contrarium dixerit Gulielmus Ockamus iu 4. distinct. 1. non esse de essentia Sacramentorum, si attendatur Divina Potentia) cum *ex natura sua*, ut D. August. scribit 2. de Doctrina Christiana cap. 1. *faciat nos in cognitionem alterius venire*; *est autem homini connaturale*, inquit D. Thomas loc. cit. a. 4. *ut per sensibilia perveniat in cognitionem intelligibilium, quales sunt Sacræ res, quæ per Sacramenta significantur*; *nam repugnat effectus intelligibiles posse aliquid significare, nisi in quantum sunt per aliquod manifestati*. Neque obstat quod idem Augustinus in libro 2. de libero arbitrio cap. 19. doceat, quod *res sensibiles sunt minima bona, sine quibus homo recte vivere potest*, cum ibi Sanctus Doctor res sensibiles consideret quales in se sunt, non prout assumuntur ad significanda Spiritualia, quæ suut maxima bona: hinc fit quod idem S. Augustinus supra Joan. c. 80. loquens de Baptismo ait: *Accedit Verbum ad Elementum, & fit Sacramentum*.

VI. Notandum ulterius illam Sanctificationem, quam operantur Sacramenta oportere fieri ex sola vi ipsius Sacramenti, ad cujus rationem pertinet, ut sit Cæremonia Religiouis, stata, solemnis, ac permanens. Defectu hujus conditionis non fuerunt Sacramenta Insufflatio Christi in Apostolos, & Verbum illud Christi ad Peccatricem: *remittuntur tibi peccata tua*; non secus ac defectu primæ conditionis, Sacramenta dici non debent illapsus Spiritus S. in specie Columbæ in Baptismo Christi, & sub forma linguarum in Apostolos in die Pentecostes; nam etiam si linguarum istarum illapsus Charitatis, & Sapientiæ infusionem exprimeret, tamen non vi earumdem linguarum Charitas hæc, & Sapientia infundebatur.

VII. Colligitur ex his quod Sacramentum optime definitur: *res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione, Sanctitatis, & Justitiæ perenniter, tum significandæ, tum efficiendæ vim habet*.

VIII. Colligitur 2. ineptire Lutheranos, dum Sacramentum definiunt *esse ritum, qui habet mandatum Dei, & cui est addita promissio Gratiæ*; tum cicutire etiam Anabaptistas, qui docent Sacramenta nihil esse aliud quam allegorias, & quasi signa quædam bonorum operum, & vitæ, ac morum spiritualium. Tandem delirantium in somnia habemus ea, quæ vel Carolstadius, vel Zuinglius, vel Calvinus addiderunt, dum primus Sacramenta dixit: *signa quædam instituta ad discernendum Populum Christianum a Judæis, & Paganis, quomodo per Togam discernebantur olim Romani a Græcis*; & alter dum definivit Sacramenta *initiationes quasdam, & oppignorationes*, quibus videlicet homines se obbligant Christo, & ejus militiæ nomen dant: Et Calvinus tandem, qui conciliandis inanibus Lutheri, & Zuinglii sententiis intentus, Sacramentum definit: *externum Symbolum, quo benevolentiæ erga nos suæ promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat ad sustinendam Fidei nostræ imbecillitatem; & nos vicissim pietatem erga eum nostram, tam coram eo, & Angelis, quam apud homines testamur*.

IX. Col-

IX. Colligitur 3. non minus Sacramentis Novæ Legis, quam Sacramentis Veteris Legis laudatam definitionem convenire; nam etiam si Sacramenta Veteris Legis non efficerent veram sanctificationem, quam sola Sacramenta Novæ Legis producunt, erant tamen signa veræ sanctificationis, quia nimirum significabant Gratiam Justificantem nobis dandam per Christum. Ita D. Thomas loc. cit. ar. 2. in responsione ad 2.

§. III.

X. In Veteri Testamento Sacramenta fuisse fatentur omnes, sed non in omnibus hominum statibus, Innocentiæ scilicet, & Naturæ, quod nullo evincitur Scripturarum testimonio, neque per Traditionem probare possumus: illa enim quæ vulgo creduntur Sacramenta Status Innocentiæ, scilicet *Lignum Vitæ*, *Somnus Adam*, *& ejusdem Matrimonium cum Eva*, vel Status Naturæ ut *Arca Noe*, improprie Sacramenta dicebantur, propter mysticas significationes, vel Sapientiæ, vel Mortis Christi, vel conjunctionis ejusdem cum Ecclesia, proprium vero Sacramentorum effectum non operabantur, hoc est justificationem.

XI. *Circumcisio*, *Esus Agni Paschalis*, *Ordinatio Sacerdotum*, *& Levitarum* fuere Legis Scriptæ Sacramenta, & pleraquæ alia Sacrificia, quæ ad expiandum, & sanctificandum Populum erant instituta, singula tamen multo inferiora Novæ Legis Sacramentis, a quibus maxime differebant, tum dignitate, tum cæremoniarum excellentia, vel quia facilius Sacramentis Novæ Legis initiamur, vel quia figuræ erant, & umbræ futurorum, neque perpetuo in Ecclesia duratura.

XII. His, & pluribus aliis qualitatibus inter se Sacramenta differebant, sed præcipuum distinctionis fundamentum in eo positum erat, quod non eosdem effectus tum Novæ, tum Veteris Legis Sacramenta operabantur. Hoc vero discrimen Heterodoxi non cognoscunt. Lutherus in libro de Babyl. Capt. capite de Baptismo scribit: *Error est Sacramenta Novæ Legis differre a Sacramentis Veteris Legis penes efficaciam significationis*, idest quod nostra efficaciter significent faciendo quod figurant, non illa. Luthero subscribit Calvinus lib. 4. Instit. c. 14. §. 23. *Hoc dogma scholasticum, quo tam longum discrimen inter Veteris, ac Novæ Legis Sacramenta notatur, perinde ac si illa non aliud, quam Dei gratiam adumbrarint, hæc vero præsentem conferant, penitus explodendum est*. Verum Carolstadius, Zuinglius, & Anabaptistæ, cum velint Sacramenta nostra solum discernere Fideles ab infidelibus, videntur potius plus tribuere Sacramentis Veteris Legis, quam nostris.

XIII. Lutherus, & Calvinus in hoc dissentiunt, quod hic uberiorem sub Christi Regno gratiam ponit, & Lotiones Judaicas, Agnum Paschalem &c. inter Sacramenta enumerat, Lutherus hæc esse Sacramenta negat; sed solas cæremonias illas, quæ habent annexas promissiones, vult esse Sacramenta æqualia nostris, ut Signum Iridis datum Noe, Signum Roris in vellere Gedeonis, Signum in reversione Solis datum ab Isaia Regi Ezechiæ, Umbra Horologi Acaz, aliaque his similia, & in hoc consentit Kemnitius, ut consentit in uberiori gratia, quam admittit Calvinus.

XIV.

XIV. Sed contra Hæreticorum opiniones ſtant ſacri Tridentini Concilii canones, qui leguntur initio Seſſionis ſeptimæ.

Si quis dixerit ea ipſa Novæ Legis Sacramenta, a Sacramentis veteris Legis non differre, niſi quia Cæremoniæ ſunt aliæ, & alii ritus externi anathema ſit.

Si quis dixerit Sacramenta Novæ Legis non continere Gratiam, quam ſignificant, aut Gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantum externa ſint accepta per Fidem Gratiæ, vel juſtitiæ, & notæ quædam Chriſtianæ Profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus, anathema ſit.

Si quis dixerit per ipſa Novæ Legis Sacramenta ex Opere Operato non conferri Gratiam, ſed ſolam fidem Divinæ promiſſionis ſufficere, anathema ſit.

XV. Catholicum igitur Dogma eſt Novæ Legis Sacramenta differre a Moſaicis non ſolo ritu externo, propterea illa conferre gratiam ſive phyſice, ſive moraliter ex Opere Operato (non ut explicant Lutherani) hoc eſt ex Chriſti meritis, iſta vero Gratiam contuliſſe ex Opere Operantis, hoc eſt ex fide, devotione, charitate, & obedientia ſuſcipientis, & in hoc ſenſu ſcribit Apoſtolus ad Rom. 2. *Factores Legis juſtificabuntur*, & Jac. cap. 2. *Abraham nonne ex operibus juſtificatus eſt? ex operibus* (adverto) quæ oriuntur ex Gratia Dei, non quæ fiunt ex viribus liberi arbitrii, nam de his operibus ſcribit Apoſtolus l. cit. 3. *ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram illo*, & hæc opera ſunt Sacrificia, Cæremoniæ, Purificationes Veteris Legis, quas fuiſſe *elementa egena, & infirma*, ad Galatas c. 4. ſcripſerat, & fuiſſe *reprobata ob ſuam inutilitatem* addit c. 7. Epiſtolæ ad Hæbræos.

XVI. Dixi *Moſaica Sacramenta*, ut Circumciſionem exciperem, quæ non eſt ex *Moyſe, ſed ex Patribus* Joan. 7. & cui vim juſtificandi ex Opere Operato attribuerunt nonnulli inter Theologos; ſed diſſentit D. Thomas l. c. q. 70. a. 4. *nam in Baptiſmo*, inquit, *confertur Gratia ex virtute ipſius Baptiſmi, quam habet in quantum eſt inſtrumentum Paſſionis Chriſti jam perfectæ: in Circumciſione autem conferebatur Gratia, non ex virtute Circumciſionis, ſed ex virtute fidei Paſſionis Chriſti, cujus ſignum erat Circumciſio, ita ſcilicet quod homo, qui accipiebat Circumciſionem profitebatur ſe ſuſcipere talem fidem, vel adultus pro ſe, vel alius pro parvulis*; unde Apoſtolus ad Coloſſ. 2. *Circumciſi eſtis Circumciſione non manufacta in expoliatione corporis carnis, ſed Circumciſione Chriſti conſepulti in Baptiſmo*, & in 1. ad Cor. 7. *Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt*, & ad Galat. 6. *neque Circumciſio aliquid valet, neque præputium*.

XVII. Ex hoc, quod D. Thomæ ſententia videatur conformior menti Concilii Florentini, & Tridentini, quod Concilium ſolam juſtificandi vim tribuit Sacramentis Novæ Legis, inferri non debet damnatam eſſe oppoſitam Theologorum ſententiam, quæ nihil commune habet cum erroribus Hæreticorum, a quibus Sacramenta omnia, tam vetera, tam nova paria fiunt, & propter hoc multum Hæretici detrahunt Sacramentis Novæ Legis: e contra vero Controverſia Theologorum nihil his Sacramentis detrahit, ſed tantum majorem virtutem concedit Sacramentis antiquis, quod ab aliquibus Theologis factum eſt, quia obſervarunt id inſinuari a quibuſdam Teſtimoniis Scriptu-

Scripturarum, quæ perperam intellexerunt pro munditia interiori, quando in locis illis agebatur de munditia legali. Veritatis hujus interpretationis Auctor est idem Apostolus, qui cum cap. 9. Epistolæ ad Hebræos dixisset: *Sanguinem Hircorum, & Taurorum inquinatos sanctificasse ad emundationem carnis*, statim c. 10. notavit, *impossibile esse eodem sanguine auferri peccata*. Quod de Sacrificiis veteris Legis advertit Apostolus, de Manna Eucharistiæ figura notavit D. Joan. cap. 6. *Non Moyses dedit vobis Panem de Cœlo, sed Pater meus dat vobis Panem de Cœlo verum, ut si quis ex ipso manducaverit non moriatur*, & ex hoc videtur quanti facienda sit ab his Theologis Auctoritas Apostoli 1. Cor. 10. *Eandem Escam Spiritualem manducaverunt, & eumdem Potum Spiritualem biberunt*, ut scilicet non eadem Esca esset Judæorum, & nostra, tum quia illa non erat Sacramentum ut supra diximus, tum quia bestias, & homines illam comederunt: Sensus igitur est eamdem Escam manducasse omnes Judæos, quam Escam si vocat Apostolus Spiritualem, non certe id dicit propter effectum quem producat, sed propter significationem rei quam repræsentat.

XVIII. Conciliis Florentino, & Tridentino præluxerunt Nicænum in cap. quod inscribitur *Diatuposis*. Constantinopolitanum 1. in Symbolo. Milevitanum in cap. 2. & Arausicanum 11. can. 25. *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptismum Gratia, omnes baptizati Christo adjuvante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere*. Retulimus verba hujus Canonis, ut opportune notaremus interpretationem Hæreticorum, qui volunt Concilium Arausicanum in his verbis exprimere tantummodo necessitatem excitationis Fidei; cum enim velint homines per solam fidem justificari, (quod pluribus auctoritatibus Sacræ Scripturæ probant) toti sunt, ut astruant hanc fidem.

XIX. Veruntamen hoc effugium illis non prodest, quia idem Concilium docet ante Baptismum inspirari a Deo fidem, sed tamen Concilium vult gratiam bene operandi provenire a Baptismo.

XX. Præterea attendamus quomodo de hac efficacia fidei loquatur Scriptura. Non inquit Scriptura: Iustus ex sola fide vivit, qui tantum crediderit hic solus salvus erit. Inquit *Justus ex fide vivit: qui crediderit salvus erit*. Unde ergo Hæreticus repetit suum non superesse Sacramentis locum? & revera Matt. ultimo: *qui crediderit, & Baptizatus fuerit salvus erit*, en Babtismi necessitatem; & salutem per Baptismum consequendam proponit D. Joan. c. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritus S. non potest introire in Regnum Dei*, & in prima Epistola Petri c. 3. *Vos salvos facit Baptisma*, & in Epistola ad Tit. 3. *salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*. Baptismus igitur est necessarius ad salutem; ergo ex Baptismo gratia, per quam vitam æternam assequimur. Actuum 8. *imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*, ergo gratia ex Confirmatione. Joan. 6. *qui manducat meam carnem vivet in æternum*, ergo gratia ex Eucharistia. Joan. 20. *Accipite Spiritus S. quorum remiseritis peccata remittentur eis*. Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis? &c. ungentes eum &c. si in peccatis sit remittentur ei*. Et 2. ad Timoteum 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Ergo gratiam producunt omnia Sacramenta: quare intelligimus, quod dum inquit scriptura hominem justificari per fidem, vult

vult quod fides sit dispositio ad Sacramenta cum fructu percipienda, non per fidem simpliciter, quæ respuat Sacramenta. *Fides est necessaria*, inquit D. Thomas 2. 2. q. 1. ad 1. *tanquam principium spiritualis vitæ, & ideo præsupponitur ad Legis susceptionem; quemadmodum præsupponitur in adultis ad suscipienda Sacramenta, & sicut in adultis, qui habet Sacramentum, & non vult credere, damnatur, ita qui habet fidem, & non vult Sacramentum percipere, damnatur*: utrumque igitur requiritur cum haberi potest, utrumque justificat, sed diverso modo, nam Sacramentum justificat veluti caussa efficiens, aut caussa instrumentalis: Dei fides, & Pœnitentia justificant, ut dispositiones, vel ut caussæ meritoriæ (inquiunt nonnulli) de congruo.

XXI. Hinc refellimus tum Anabaptistarum, & Zuinglianorum errorem, qui Sacramenta utilia quidem dicebant ad discernendum fideles ab infidelibus, non autem necessaria ad salutem consequendam, tum Lutheranorum, & Calvinistarum, qui fidei solum tribuunt hujusmodi necessitatem, & contra ineptas illorum opiniones, & inanes doctrinas opponimus canonem 4. Sessionis VII. Concilii Tridentini: *Si quis dixerit Sacramenta Novæ Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, Anathema sit*. Dogma igitur Catholicum non admittit, quod gratia justificationis applicetur per solam fidem, nisi Sacramentum accedat, vel in re, vel in voto susceptum: Imò magis necessarium judicat Sacramentum, quam fidem, quia sine Sacramento fidei, vel illius voto nullus justificatur, sive sit parvulus, sive adultus, bene vero sine fide aliquis justificatur, ut parvulus, qui nullam fidem propriam habet, a qua justificetur, & tamen per Sacramentum regenerationis salvatur.

CAPUT II.

PRINCIPIA INTRINSECA SACRAMENTORUM QUÆNAM SINT EX CONCILIIS, ET PP. OSTENDITUR, NEQUE EADEM POSSE IN SUBSTANTIA MUTARI, ET HABERE IN SE VIM SANCTIFICANDI.

§. I.

I. CAussæ intrinsecæ Sacramentorum sunt aliis Principia intrinseca rerum, quæ neque fiunt ab aliis, neque ab alterutris, sed ex ipsis omnia. Hæc Materiam, & Formam proprio nomine Philosophi nuncuparunt. Non dissentiunt ab his Theologi, qui propterea multa disputant de Materia, & Forma Sacramentorum. *Primus Scholasticorum, quem legi*, ait Morinus de SS. Ordinat. P. 3. Exercit. 1. c. 3. n. 6. *qui hanc Sacramenta explicandi methodum amplexus est, & docuit Guilelmus est Antisiodorensis, qui scribebat paullo post annum Christi 1215. ante hæc tempora Theologi totam hanc Sacramentorum materiam explicabant, per verba signi, & rei Sacræ, seu invisibilis*. Per signum intelligebant, quod postea per Materiam significatum est, atque etiam quod per Formam, quidquid scilicet sensibus percipitur. Per rem Sacram, seu invisibilem effectum Sacramenti, gratiam scilicet sanctificantem. Hic est apud

apud antiquos frequentissimus explicandi modus, unde illa definitio: *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma*, formam vocant speciem, quæ sensibus percipitur, Hinc potissima eorum cura fuit definire quæ fuerint Sacramentorum materiæ, quæ formæ, & sub horum nominum insigniis principales de Sacramentis quæstiones efformare, & protendere.

II. Materiæ Sacramentorum sunt res, Formæ vero sunt Verba. *Ex rebus, & verbis fit quodammodo unum in Sacramentis, sicut forma, & materia*, scribit D. Thomas 3. p. q. 60 a. 6. ad 2. *in quantum scilicet per verba perficitur significatio rerum*. Ubi notandum, quod per D. Thomam non solum quod est materiale in Sacramento, sed ipsum totum Sacramentum dicitur constare ex rebus, ut materia, & verbis ut forma, quod Cajetanus, & Sotus negant, qui volunt in Sacramentis rem sensibilem esse Materiam, sive postea sit verbum, sive res, sive utrumque; significationem vero esse Formam. Ratio discriminis istarum opinionum petitur a varia acceptione, & consideratione Sacramenti, quod in posteriori sententia consideratur veluti compositum quoddam artificiale, in quo tota substantia dicitur Materia, & Forma est aliquod accidens: Signum & caussa sunt partes, quæ artificialiter Sacramentum componunt: in ratione Signi requitur quod formaliter significet, in ratione caussæ necesse est quod habeat vim operandi: reliquum vero quod est in Sacramentis dicitur materia.

III. Sed D. Thomas Sacramentum comparat Composito Physico, in quo Forma subsequitur materiam, quam determinat, & perficit, quare totum verbum cum sua significatione in Sacramento debet esse forma, & res debet esse materia: *Accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum*. Divi Thomæ sententia videtur probabilior, a Concilio Florentino expressa in Decreto Eugenii IV. *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam Materia, verbis tanquam Forma, & Persona Ministri conficientis Sacramentum* &c. & est communis veterum omnium Theologorum.

IV. Non infertur ex his proprietates omnes, quæ reperiuntur in materia, & forma Compositi Physici, & naturalis convenire etiam materiæ & formæ Sacramentorum, in quibus non est necesse res, & verba ita conjungi, ut partes essentiales ejusdem rei. Demonstratur hoc in Sacramento Eucharistiæ; si Consecratio dicatur hoc Sacramentum aderunt verba, sed non res, ex quibus Sacramentum componitur; si res ipsa consecrata dicitur Sacramentum tunc res aderunt, & deerunt verba. Idem ostenditur in Sacramento Pœnitentiæ, si in aliud tempus absolutio diferatur; nam in hoc casu aderunt actus Pœnitentis, scilicet res, aut materia, verba vero seu forma deerunt. Opportune igitur Concilium Florentinum in instructione Armenorum docuit verba non esse formam Sacramenti Eucharistiæ, sed Consecrationis, quemadmodum Concilium Tridentinum Sess. XIV. can. 4. Actus Pœnitentis docet esse quasi materiam.

V. Quæ diximus de Sacramentis novæ Legis referri non debent ad Sacramenta veteris Legis, quæ probabile est non habuisse res, & verba, sed solas res. Hujus rei rationem addit D. Thomas l. c. ad 3. *quia Sacramenta veteris Legis prænuntia erant Christi venturi, & ideo non ita expresse significabant Christum, sicut Sacramenta novæ Legis, quæ ab ipso Christo effluunt, & quandam similitudinem ipsius in se habent*; & certe nullibi in Scriptura præter ritus observandos, reperiuntur verba a Domino imperata in usu vel ad-

ministratione Sacramentorum. Utebantur tamen aliquibus verbis in his, quæ ad cultum Dei pertinent, tam Sacerdotes, qui erant Sacramentorum illorum Ministri secundum illud Numer. 6. *Sic benedicetis filiis Israel, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus* &c. quam etiam illi, qui talibus Sacramentis utebantur secundum illud Deuteronomii 26. *Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod &c.* D. Thomas loco citato.

§. II.

VI. Diximus jam verba cum re conjuncta Sacramentum facere, modo dicendum est utrum res, & verba ita sint certa, ut nihil in eis mutari possit. Negabant olim Gnostici, qui res, & verba in Sacramentis mutabant Irenæo, & Epiphanio auctoribus: deinde vero eandem opinionem renovavit Lutherus in lib. de Captiv. Babylon. c. de Baptismo. *Quocumque modo tradatur Baptismus, modo non in nomine hominis; sed in nomine Domini tradatur, vere salvum facit; imò non dubitem, si quis in nomine Domini suscipiat, etiam si impius Minister non det in nomine Domini, vere baptizatum esse in nomine Domini.* Sed hanc opinionem non multo post retractavit; patrocinantibus hunc errorem Brentio, & Zuinglio. Theologi omnes constanter tuentur, tum res, tum verba Sacramentorum certa esse debere, & a nemine posse mutari, cum Deus illa instituerit, ut gratiam efficerent, & justificationem, si sermo sit de Sacramentis Novæ Legis, & ut producerent munditiam Legalem, & introducerent in Populum Dei, si loquamur de Sacramentis veteris Testamenti.

VII. Mutare verba Sacramentorum accidentaliter, ut ajunt, si consulto fiat injuria irrogatur Sacramento, sed tamen perficitur, nisi mutatio enormis sit, puta si tanta esset verborum corruptio, quæ omninò auferret sensum locutionis, aut introduceret novum essentialem ritum respectu totius Ecclesiæ cap. *retulerunt* de Consecrat. distinc. 4. quia, qui hoc ex industria faceret, non videretur intendere facere, quod facu Ecclesia. Multo magis hoc verum est si diminuatur aliquid eorum, quæ sunt de substantia formæ Sacramentalis, aut si defectus sit in interruptione verborum; & tanta sit interruptio, ut intercipiatur intentio pronuntiantis, aut verborum transpositio tollat sensum locutionis, aut demum aliquid apponatur, quod corrumpit debitam verborum significationem.

VIII. Illis præcise verbis uti oportet in Sacramentis conficiendis, vel administrandis, quæ antiquissimus Ecclesiæ ritus in formis Sacramentorum invexit. Hæc Christus Dominus suos Apostolos docuit, & per Apostolos semper tenuit universalis Ecclesia: *Pridie quam pateretur* Christus Dominus instituens Eucharistiæ Sacramentum; *Panem accepit, Benedixit, fregit, deditque Discipulis suis dicens: Hoc est Corpus meum: Hoc facite in meam commemorationem.* Audierunt igitur Apostoli quid illos oporteret dicere, ut Eucharistiam conficerent, audivit ab Apostolis Ecclesia, audiverunt Sacerdotes omnes, qui per eadem verba Sacrum Mysterium perficiunt. Pariter edocti Apostoli de forma Sacramenti Baptismi: *Ite, docete omnes gentes, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Hac ipsa usi sunt, & utitur Ecclesia in collatione Baptismi. Et sic de ceteris verbis, seu Formis Sacramentorum. Constat igitur nos ex Scriptura accepisse, adjuncta Ecclesiæ explicatione, & praxi,

illa verba, quæ dicere debemus, dum administramus, & conficimus Sacramenta.

IX. Patet jam verba illa quibus Sacramenta perficiuntur debere esse consecratoria. Sed ut clarius innotescat, consideremus hominem ante Baptismum, deinde post Baptismum. Certe non eundem hominem post Baptismum cernimus, sed hominem gratia justificante ornatum videmus. Undenam hæc justitia? Fortasse ex sola Aquæ aspersione? Absit. Sed ex invocatione Trinitatis, quando supra hominem Aqua infundebatur. Demonstratur ergo esse verba consecratoria, quæ Baptismi Sacramentum perficiunt: unde merito Augustinus Tractatu 80. in Joan. *Unde est*, inquit, *illa tanta virtus Aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur. Detrahe enim verbum, quid est Aqua, nisi Aqua?* Idem patet in verbis, quibus utimur in Sacramento Eucharistiæ, quæ ab Apostolo 1. Cor. 10. dicuntur verba benedictionis: *Calix Benedictionis, cui Benedicimus, nonne Communicatio Sanguinis Christi est?*

X. Sed contra hanc Doctrinam impudentissime protestatur Calvinus, qui *verbum Sacramentale* lib. 4. Instit. c. 14. §. 4. inquit, *intelligere debemus, non quod sine sensu, & fide insusurratum, solo strepitu, velut magica incantatione, consecrandi elementi vim habeat, sed quod prædicatum intelligere nos faciat, quid visibile signum sibi velit. Quod ergo sub Papæ Tyrannide factitatum est, non caruit ingenti Mysteriorum profanatione, putant enim satis esse si Sacerdos Populo sine intelligentia obstupente, consecrationis formulam demurmuraret.* Hæc Calvinus, & quod magis mirum est, nuper laudata Augustini verba ad suam impudentiam confirmandam detorquet.

XI. Sed peto a Calvino, & aliis Hæreticis, qui nolunt verba Sacramentalia esse Consecratoria, sed puram esse Concionem, num velint Concionem hanc esse partem essentialem Sacramenti, num illam requirant, ut excitamentum ad rite, & cum fructu suscipiendum Sacramentum? Hoc secundum videntur sentire Lutherani, qui præter Concionem adhibent verba Consecratoria, at de Calvino dubia res est, sed videtur utrumque aliquando asserere. Certe si hæc Concio non est de essentia Sacramenti, non habent Calvinistæ Sacramentum Eucharistiæ, cum in illo administrando nullis aliis verbis, quam concionalibus, & historicis utantur. En illorum ritus in confectione Eucharistiæ. Recitant institutionem Sacramenti ex capite 11. primæ Epistolæ ad Cor. hanc Concionator explicat, demum sine ullo signo Crucis, sine ullo usu verborum, aut ritu Sacro distribuunt Populo Panem, & Vinum. Quando vero Baptizant, præter verba Concionalia, dum aspergunt aquam, recitant consueta verba: *Ego te Baptizo in nomine Patris &c.* quæ inquiunt non esse formam Sacramenti, sed pertinere tantummodo ad ritum, formam vero esse Concionem præcedentem. Ex his satis videtur indicatum apud Calvinistas verba concionalia pertinere ad essentiam Sacramenti; videtur etiam validum esse Baptisma a Calvinista collatum, neque esse rebaptizandos, eos qui a Calvinismo redeunt ad Matrem Ecclesiam. Sed iterum peto, quibus fundamentis id probent?

XII. Nos absolute negamus requiri quodcumque verbum concionale ad essentiam ullius Sacramenti, quod in Scriptura de his verbis altum silentium habeatur. Dixi *ad essentiam Sacramenti*, ut concederem indicari a Scriptura dispositiones nonnullas, veluti præparatorias pro suscipiendo ab adultis Sa-

 cra-

cramento Baptiſmi, & pro ſuſcipienda Euchariſtia, & hujuſmodi ſunt Inſtructio in Dogmatibus Fidei, & experimentum bonæ Conſcientiæ, quæ diſpoſitiones indicantur in illis Verbis Matth. ultimo: *Docete omnes gentes*, & in illis Apoſtoli 1. ad Cor. *probet autem ſe ipſum homo*, ut indicatur Oratio præmittenda antequam Sacro Chriſmate fideles inungantur, & infirmi Sacro Oleo liniantur. Concionem certe longiſſimam habuit Chriſtus Dominus cum ſuis Apoſtolis, quam tribus capitulis refert D. Joan. ſed hæc nihil ad Cœnam pertinebat, quia poſt Cœnam facta eſt, vel quia de ipſa Cœna nihil in illa Concione diſſeruit.

XIII. Si reſpondeat Calviniſta, vel Lutheranus verba Sacramentorum non eſſe niſi promiſſoria, & Concionalia, quia per ſolam fidem promiſſionum Chriſti juſtificamur, non per applicationem Signi Sacramentalis, jam hunc errorem rejecimus ſupra C. 1. §. III. Quod ſi reſpondeat, quia idem docuit Auguſtinus loco ſupra citato. Dico Auguſtinum in verbis illis: NON QUIA DICITUR, SED QUIA CREDITUR, velle verbum Sacramentale habere hanc vim conſecrandi, non ex illius inſtitutione, ſive ut ajunt ex prima intentione, ſed ex ſecunda, quæ per fidem illi communicatur, & per intentionem illius, qui Aquam aſpergit, & hominem baptizat; nam ſi qui baptizat careret hac intentione, nihil prodeſſet aquam fundere, & verba proferre. Hanc fuiſſe mentem S. Doctoris ex ſequentibus patet; cum enim dixiſſet: *Unde tanta virtus aquæ, ut Corpus tangat, & Cor abluat, niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur*, addit: NAM, ET IN IPSO VERBO ALIUD EST SONUS TRANSIENS, ALIUD VIRTUS MANENS, ubi per *ſonum tranſeuntem*, nihil aliud poſſumus intelligere, quam ſignificationem illam, quæ convenit verbo, ut inſtituto ad ſignificandum rem tranſeuntem, ſcilicet ablutionem Corporis: *per Virtutem* vero *manentem* nos intelligimus, quod intelligit ipſe Auguſtinus *Verbum fidei, quod prædicamus*, ſcilicet, quod ablutio, quæ extrinſecus Corpus tergit, per virtutem Paſſionis Chriſti, quam per fidem intelligimus operatur interiorem animæ munditiem, cum ſtatim abluat ſordes omnium peccatorum.

XIV. Quod ſi hoc in loco paullo obſcurius ſuam ſententiam expoſuit Auguſtinus, audiamus quid ipſe in hac Controverſia ſentiat cap. 10. libri 3. de Baptiſmo. Scribit ibi: *Baptiſmus Chriſti verbis Evangelicis conſecratus, & per adulteros, & in adulteris Sanctus eſt*. Ergo per Auguſtinum Verbum in Baptiſmo eſt conſecratorium.

XV. Adeo vero efficax eſt Verbum Chriſti, ut ſive illud audias in Concionibus, ſive per illud Sacramenta efficias ſanctificandi, & mundandi vim habeat. Joan. 15. *Jam mundi eſtis propter Verbum, quod locutus ſum vobis*: ad Epheſ. 5. *mundans lavacro Aquæ in verbo vitæ*, & de hoc nulla eſt controverſia apud Catholicos, qui advertunt malitiam Hæreticorum, qui volunt vim mundandi, & ſanctificandi ſolis concionalibus verbis ineſſe, non illis quibus Sacramentorum formæ conſtituuntur, cum inſit alterutris, ſed alio modo. Reliquis Calvini Blaſphemiis, quas ſupra deſcripſimus reſponderi poteſt id, quod S. Hjeronymus ad Creſiſontem ſcripſit: *non neceſſe habet convinci, quod ſua ſtatim profeſſione Blaſphemum eſt*.

XVI. Supereſt monere cum Concilio Tridentino Seſſ. XXI. c. 2. poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum Subſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ip-

ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret; quapropter si ut licita sit, & valida administratio Sacramenti Pœnitentiæ modo requiritur Sacerdotis delegati ab Episcopo facta approbatio; si Matrimonia irrita sunt, quæ Clandestina vocantur; Si a ix. Ecclesiæ Sæculo Instrumentorum porrectio additur Manuum impositioni in Ordinatione Presbyteri, & Diaconi, hæc, & his similia opportune intelligimus, quare fuerunt introducta, non certe ad mutandam, sed ad perficiendam Sacramentorum Materiam, & Mysteria ipsa cum majori reverentia tractanda.

CAPUT III.

DE AUCTORE SACRAMENTORUM DISSERITUR, TUM DE EORUM MINISTRO. QUÆ INTENTIO IN ILLO REQUIRATUR, ET QUIBUS DISPOSITIONIBUS EADEM EFFICI DEBEANT, VEL SUSCIPI.

§. I.

I. Caussæ efficientes Sacramentorum, seu extrinseca Sacramentorum Principia sunt illa, a quibus Sacramenta efficiuntur. Efficiuntur autem dupliciter, vel per modum Caussæ Agentis, & ita solus Deus est Auctor Sacramentorum, vel per modum Caussæ instrumentalis, & hoc modo etiam homo potest operari ad effectum Sacramenti ex virtute principalis agentis. Solus Deus est institutor Sacramentorum, quia solus Deus illabitur animæ, in qua Sacramenti effectus existit, tum quia solus producit gratiam; Et Character etiam, qui est quorundam Sacramentorum effectus, est virtus instrumentalis, quæ manat a solo Deo. Utramque potestatem in Christo Domino cognoscimus, qui cum sit Deus, & Homo interiorem Sacramentorum effectum duplici potestate operatur. Prima, quæ Dei est, & *potestas auctoritatis* dicitur. Secunda, quæ Deo homini convenit, & *potestas excellentiæ* vocatur, ad distinctionem illius potestatis, quæ puro homini attribuitur, & appellatur *potestas ministerialis*; nam Christus, quatenus Homo, operatur ad interiores effectus Sacramentorum meritorie, & efficienter, sed instrumentaliter, in quantum humanitas est instrumentum Divinitatis ejus, eo excellentius quolibet alio instrumento humano, quia conjunctum Divinitati in Persona.

II. Hanc Excellentiæ potestatem posse Christum Dominum hominibus communicare non veretur asserere D. Thomas, *dando scilicet eis tantam gratiæ plenitudinem, ut eorum meritum operaretur ad Sacramentorum effectus, ut ad invocationem nominum ipsorum sanctificarentur Sacramenta, & ut ipsi possent Sacramenta instituere, & sine ritu Sacramentorum, effectum Sacramentorum conferre solo imperio*.

Quod hypothetice non repugnare docuit D. Thomas q. 64. a. 4. in Corpore, id contigisse jam aliqui Theologi tradiderunt, asserentes Sacramentum Pœnitentiæ institutum fuisse ab Apostolis, a D. Jacobo Sacramentum

Ex-

extremæ unctionis, a Concilio Meldensi Sacramentum Confirmationis, ut prætermittam illos, qui Nuptias a Diabolo introductas blasphemarunt. Contrarium tamen legitur in 1. ad Cor. c. 4. ubi Paulus in Persona Apostolorum ait: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei*, non igitur Institutores. Urget Canon 1. Sess. VII. Concilii Trid. *Si quis dixerit Sacramenta Novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, Anathema sit*. Urgent Cypriani, & Ambrosii testimonia: quare puto dicendum Theologos illos locutos fuisse de sola promulgatione, & declaratione illorum Sacramentorum, idque cohæret cum Auctoritate Augustini, qui lib. 3. Doctr. Christianæ c. 9. dicit, primo ipsum Dominum, deinde Apostolicam disciplinam tradidisse Ecclesiis Sacramenta. Sed non cohæret cum Ecclesiastica Historia id, quod additur de Concilio Meldensi, & hujus repugnantiæ Auctores sunt Fabianus Papa, Dionysius Areopagita, Cyprianus, aliique non pauci, qui ante tempora hujus Concilii Confirmationis meminerunt. Concilium Meldense solum jejunii Legem præscribit antequam Episcopus hoc Sacramentum administret.

Nihil modo reponimus ad impiam Saturnini Blasphemiam, quam suo loco confutabimus. Monemus solum laudatum Tridentini Canonem retundere Calvini, & Kemnitii, aliorumque Hæreticorum errorem, qui dicebant Baptismum, & Eucharistiam sola esse Sacramenta a Christo Domino instituta.

III. Monemus 2. ex verbis Canonis clare inferri posse, quid senserint Tridentini PP. de illa Scholastica distinctione MEDIATA aut IMMEDIATA institutione Sacramentorum facta a Christo Domino, scilicet Concilium non definivisse certe tanquam de fide credendum, sed tamen existimasse omnia Sacramenta instituta fuisse immediate a Christo Domino, nam nullus inter Theologos, & Hæreticos repertus est, qui vel negaverit, vel dubitaverit Christum Dominum saltem mediate omnia Sacramenta instituisse. Dubium esse non potest supra institutionem Extremæ unctionis, cum Concilium Sess. XIV. c. 1. dicat Sacramentum hoc a Christo Domino institutum fuisse, & a B. Jacobo Apostolo promulgatum cur, & non de ceteris? Cum omnia instituta fuisse a Christo Domino (quamquam sine conotato illius vocis immediate) definiat? Adde si Concilium agnovisset in Ecclesia talem potestatem, hanc silentio non præteriisset, cum eandem non prætereat Sess. XXI. c. 2. quando agit de cæremoniis, vel mutandis, vel instituendis, in quibus homines Spiritum S. habuisse Doctorem scripsit Cyprianus in Sermone de Pedum ablutione.

§. II.

IV. De Potestate Ministeriali modo disserimus, quam esse propriam solius hominis, non vero cujuslibet, & semper, apertissimis Scripturarum, & Conciliorum testimoniis ita probatur, ut qui tuentur oppositum, impietatis, & falsi Dogmatis propugnatores convincantur. Non erubuit hoc tueri Lutherus in lib. de Missa Privata, in lib. de Captiv. Babyl. c. de Ordine, in Articulis a Leone X. damnatis a. 13. in lib. de Abrog. Missa, in lib. ad Pragenses de instituendis Ministris Ecclesiæ; in omnibus enim locis illis, & asseruit, & sub pœna æternæ damnationis asserendum omnibus Christianis pro-

pronunciavit: *Mariam. Angelos, Diabolum, Mulieres, Pueros, Christianos omnes homines habere eandem potestatem in Verbo, & Sacramentis ministrandis.* Exhorruit Calvinus, & despexit tam ineptam fabulam in Antidoto ad can. 10. Sess. VII. inquiens: *Nemo sanus, Christianos omnes in Verbi, Sacramentorumque administratione pares facit, non solum quia decenter, & ordine geri omnia in Ecclesia debent, sed etiam, quod singulari Christi mandato, ad eam rem ordinantur Ministri.* Hinc contra Lutheri errorem Triden. Syn. l. cit. c. 10. definivit: *Si quis dixerit Christianos omnes in Verbo, & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, Anathema sit.*

V. Non Angelus ergo, vel bonus, vel malus, non quilibet baptizatus, sed qui rite in Ecclesia est ordinatus, est verus Sacramentorum Minister, Baptismo, & Matrimonio exceptis.

Cui Angelorum dixit unquam Christus Dominus: *Docete omnes gentes baptizantes &c.* aut cui dixit: *hoc facite in meam commemorationem:* & *quorum remiseritis peccata remittentur eis. Nemo assumit sibi honorem* ad Hebr. 5. legitur, *nisi qui vocatur a Deo tanquam Aaron: Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur:* & ad Ephes. c. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores, & Doctores: Numquid omnes Apostoli, numquid omnes Prophetæ &c.*

Rationem vero addit S. Thomas l. c. q. 64. a. 6. in Corpore; quare præsertim Angeli boni non debeant esse Ministri Sacramentorum, *quia non conformantur naturæ humanæ Christi, cui conformantur homines, & quia tota virtus Sacramentorum a passione Christi derivatur, quæ est Christi, secundum quod est homo.* Advertit tamen D. Thomas, virtutem suam Christum Dominum non ita alligasse Ecclesiæ Ministris, quin etiam Angelis possit virtutem attribuere ministrandi Sacramenta, quod a paritate probat virtutis suæ, quam non alligavit Sacramentis, quia posset sine Sacramentis effectum Sacramentorum conferre; & ita explicari poterunt narrationes illæ de Apparitionibus Angelorum, ut ab illis aliqui viri boni Sacramenta perciperent, quæ apparitiones, si veræ sunt, prosequitur D. Thomas, *quia boni Angeli sunt Nuncii veritatis, si aliquod Sacramentale Ministerium perfecerunt, est ratum habendum, quia debet constare id factum esse voluntate Divina.*

VI. Dixi *Baptismo, & Matrimonio exceptis*, quia cum Baptismus sit Sacramentum maximæ necessitatis, semper Ecclesia concessit posse a quolibet homine ministrari. Matrimonii vero oportet, quod sint Ministri ipsi Contrahentes, quia fit per mutuum contractum duorum.

Notandum est, quod si quandoque videatur Scriptura extendere Sacerdotium, & munera Sacerdotum ad omnes homines, ut Lutherani arguunt ex 1. Petri c. 2. ex c. 5. & 20. Apocal. ex c. 11. primæ ad Cor. & ex c. 13. 2. ex Lucæ 22. ex c. 15. Esdræ ex c. 22. lib. 4. Reg. ex c. 2. Joelis ex c. 21. Actuum. Scripturam distinguere duplex Sacerdotium, proprium scilicet, & Sacerdotium spirituale, quo Viatores in terris sacrificant Hostiam laudis, & Sancti in Patria Orationes offerunt Deo. Hoc expresse legitur in citato c. 2. primæ Epistolæ Petri: *offerentes spirituales Hostias*, & eruitur ex laudatis locis Apocal. Imò cum in iisdem textibus uterque Apostolus Petrus, & Joannes conjungant Regnum, & Sacerdotium: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium. Fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotium*, inferri etiam poterit, non solum omnes esse Sacerdotes, sed omnes homines esse Reges, quo nihil absurdius. Quod

VII. Quod si verbi Dei explicatio, tam in veteri Testamento, quam in novo videatur concessa Mulieribus, distinguere oportet Verbum Dei, quod per Prophetiam insinuatur, & Verbum Dei, quod in concionibus prædicatur, & interpretatione sacrarum Literarum. Primam concessam fuisse etiam quibusdam Mulieribus superiora loca Scripturarum probant, & de his nulla est difficultas, negatam alteram aperte constat sic enim scribit Apostolus in sua 1. ad Cor. c. 14. *Mulieres taceant in Ecclesia, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse*, nisi fortasse id contingat ex instinctu Spir. S. quod quondam contigit Deboræ Judic. 4. quæ. docuit Barac. & narratur etiam contigisse D. Catharinæ Senensi

§. III.

VIII. Eugenius IV. in supra laudato Decreto Cap. II. §. I. N. III. cum jam statuisset Sacramenta omnia tribus perfici, videlicet rebus, verbis, & persona Ministri, addidit; *Conficientis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quorum si aliquod desit non perficitur Sacramentum*. Concilium Trident. Can. 11. sæpius laudatæ Sessionis VII. inquit: *Si quis dixerit in Ministris dum Sacramenta conficiunt, & conferunt non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit*. Constat igitur hæreticam esse Propositionem illam, quæ nullam requirit intentionem in Ministro Sacramentorum. Id docebat Lutherus ita fuisse a Christo institutum Sacramentum, ut etiam si Minister per manifestam irrisionem, ac ludibrium illud perageret, effectum consequeretur. Hæc sunt illius verba excerpta ex libro de Captiv. Babyl. *Quidquid credimus nos recepturos, vere recipere, quicquid faciat, vel non faciat, simulet, vel jocetur Minister*. Eadem docuit Calvinus in Antidoto Concilii Triden. corrigens tantum mimicam subsannationem, aut ridiculum lusum, quem non vult in Ministro apparere. Martinus Kemnitius eadem protestatus est, & Tilmannus Heshusius in libro de sexcentis erroribus Pontificiorum Loco 15.

IX. Rationem, quare in Ministro Sacramentorum requiratur intentio, affert D. Thomas l. c. a. 8. *quando aliquid se habet ad multa, oportet quod per aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat, ea vero quæ in Sacramentis aguntur possunt diversimode agi, & ideo oportet quod determinentur ad unum, idest ad sacramentalem effectum per intentionem Ministri, qui licet sit instrumentum quo Deus utitur, est instrumentum ratione utens, cujus prudentia commissa est cura gregis Apostolici, Divinorum Mysteriorum dispensatio* 1. ad Cor. 4. & *imperatum, ne sancta det Canibus Matth.* 7.

X. Quandoquidem vero intentio aliquid faciendi multiplex esse solet, adverto, quod in Ministro Sacramentorum non est necessaria illa intentio faciendi quod facit Ecclesia, quæ vocatur *reflexa*, qua qui operatur cognoscit se cognoscere suum actum, & intentionem ejus, neque est utilis illa quæ dicitur *habitualis*, quia est sine advertentia rationis, aut illa quæ appellatur *interpretativa*, cum sit potius quædam dispositio ad operandum, quam vera intentio. *Actualis* intentio optima est, per quam Minister est præsens animo, & attente facit quod vult facere, licet etiam hæc possit non adesse, dumodo tamen in ejus locum succedat intentio *virtua-*

tualis, cum qua Minister operatur virtute præcedentis intentionis actualis, quæ non adest ob aliquam evagationem mentis, sed tamen paullo ante fuit, hæc est illa intentio, quam D. Thomas loc. supra cit. appellat habitualem, hic enim mos apud veteres Theologos viguit, ut omnem intentionem distinguerent in actualem, & habitualem, sed exemplum quo utitur in illius explicatione clare probat correspondere nostræ intentioni virtuali. Præter hanc intentionem excogitarunt Theologi novum intentionis vocabulum, & dixerunt intentionem *conditionatam*, & illius usus est cum forma Sacramentorum sub conditione proferuntur.

Hæ formæ conditionales primum auditæ sunt octavo Sæculo, & Alexander III. tales præscripsit A 1159. pro forma Baptismi, sed usque ad Sæculum XIII. ab omnibus Ecclesiasticis non fuerunt usu receptæ.

XI. Post Concilii definitionem gravissima apud Theologos excitata est Controversia utrum suo Decreto Tridentini PP. proscripserint opinionem, quæ asserit ad efficaciam Sacramenti sufficere intentionem ritus exterioris serio exercendi, quem exercet Ecclesia, ita ut sit necessaria intentio ipsius effectus, & finis, quem Ecclesia intendit.

Videtur Concilium non proscripsisse hanc opinionem, quam primi omnium Robertus Pullus, Petrus Cantor, Præpositivus, Petrus Paludanus & Silvester Prieras in scholas invexerunt, & sedente adhuc Concilio defendit in suo Opusculo de intentione Ministri Typis edito Catharinus nemine ex Patribus repugnante; imò huic opinioni favere videtur praxis Ecclesiæ, quæ non vult rebaptizandos, vel ordinandos, quos certo constaret baptizatos vel ordinatos fuisse a Ministris, qui ritum exterioris Sacramenti serio perfecissent, quamquam dicerent non habuisse intentionem faciendi quod facit Ecclesia Romana, vel negarent intentionem ipsam esse necessariam. Videatur Concilium Rotomagens. anni 1581. Rhemense anni 1582. Aquense anni 1585. Tolosanum 1590. & Narbonens. anni 1609. Additur eandem opinionem explicasse Eugenium IV. in sua instructione ro Armenis, Innocentium IV. in cap. *si quis puerum* extra de Baptismo: *non requiritur quod Baptizans sciat quid sit Ecclesia nec quod gerat in mente, modo exterius exprimat facere quod facit Ecclesia*, imò *si contrarium gereret in mente, idest facere quod facit Ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat nihilo minus baptizatur dummodo baptizare intendat*; ita D. Thomas supra a. 8. ad 2., & alii.

XII. Contrariam opinionem probavit Alexander VIII. qui anno 1690. damnavit hanc Propositionem: *Ministrum Baptismi, qui exteriorem ritum plene observat verum Sacramentum conficere, licet aliud intus in Corde gerat*. Quid senserit D. Thomas supra retulimus. Verum tamen est S. Doctorem in laudata responsione ad secundum non loqui de illa intentione, quæ perficit Sacramentum simpliciter, sed de illa intentione, quæ illud perficit coram hominibus, quæ intentio sufficit, ne baptizati animus inanibus torqueatur angustiis, quod vereatur a Ministro effectu Sacramenti defraudatum fuisse defectu intentionis illum baptizandi.

Quia vero mala fides baptizantis, ut mox diximus, vel circa Divinitatem Christi, vel circa essentiam Sacramentorum non officit eorumdem validitati, hinc laudata non modo Concilia Rotomagense, Rhemense &c. sed etiam Concilium Nicænum I. decreverunt non esse rebaptizandos, & or-

ordinandos ab Hæreticis, aut pravis & infidelibus Ministris baptizatos, & ordinatos, quia certum est illos hæc Sacramenta admittere, ut instituta a Christo Domino, neque aliud ipsi intendunt facere præter Sacramentum quod Christus instituit. Eadem sensisse Innocentium IV. ex superioribus verbis colligitur scilicet, Innocentium non loqui de eo quod facit Ecclesia quantum ad substantiam Actionis, sed de eo quod facit quantum ad effectum illius Actionis, quem effectum nulla est necessitas, ut Minister Baptismi intendat, & non officit veritati Baptismi, etiamsi putaret illam cæremoniam non habere talem virtutem, unde satis est quod intendat vere facere cæremoniam, quam facit Ecclesia. Dixi *vere facere* ut refellerem Calumniam a Kemnitio falso illatam Innocentio, quod Pontifex dixerit *Sacramentum esse ratum, si tantum appareat Ministrum voluisse baptizare, sed revera noluerit*.

XIII. Colligitur ex his efficaciæ Sacramentorum non obesse infidelitatem hæresim, hypocrisim, vel scelestam Ministrorum vitam: *Quid in Christo non noverat Joannes*, inquit D. August. Tract. 5. in Joan. *potestatem Baptismi ipsum Dominum habiturum, & sibi retenturum, sed mysterium plane transiturum in bonos, & malos. Quid tibi facit malus Minister, ubi bonus est Dominus?* Donatistæ, Luciferiani, Albigenses Waldenses, & Anabaptistæ efficaciam Sacramentorum a Ministrorum probitate, & fidelitate repetunt. Concilia plura sententiam impugnant. Nicænum I. validas agnoscit Ordinationes ab Hæreticis factas. Concilium Alexandrinum A. 392. Ephesinum generale III. Nicænum II. susceperunt Ordinatos ab Hæreticis: Arelatense primum damnavit Donatistas: Constantiense damnavit Wiclefum, & tandem Tridentinum can. 12. Sess. VII. decrevit, *quod si quis dixerit Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent servaverit, non conficere, anathema sit*. Et Canone 4. *Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab Hæreticis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. cum intentione faciendi quod facit Ecclesia non esse verum Baptismum anathema sit*. Unde ergo habere poterunt argumenta Adversarii ut pietatem, ut fidem probent necessariam in Ministro Sacramentorum? *Effectus*, inquit D. Thomas l. c. a. 5. ad 1. *consequitur in suscipientibus Sacramenta non secundum similitudinem Ministrorum, sed secundum configurationem ad Christum*, & in responsione ad 2. *Christus operatur in Sacramentis, & per bonos tanquam per membra viventia, & per malos tanquam per instrumenta*; non bonitas Ministri Sacramentum efficit, sed debita forma, debita materia, & debita intentio. Propterea S. Stephanus Papa scribens S. Cypriano rebaptizanti baptizatos ab Hæreticis inquit: *Si quis a quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad pœnitentiam*, & Concilium Carthaginense III. cap. 38. *Suggerimus mandatum nobis, quod etiam Capuensi plenaria Synodo videtur statutum, non licere fieri rebaptizationes, & reordinationes*.

XIV. Colligitur 2. quod cum hæc controversia de non rebaptizandis baptizatis ab Hæreticis non fuerit elucidata nisi sub finem Sæculi IV. mirari non debemus summos Theologos, & Viros Sanctissimos Cyprianum, Firmilianum, Athanasium, Cyrillum aliosque oppositam opinionem acerrime tradidisse; ita tamen ut non propterea se ab Ecclesiæ unitate sepa-

ra-

raverint, quod satis constat ex Cypriani Epistolis ad Quintum, ad Pompejum, & ad Jubajanum, & ex testimonio Augustini, qui libro 5. de Baptismo c. 25. *Stephanus*, inquit, *etiam abstinendos putaverat, qui de suscipiendis Hæreticis priscam consuetudinem convellere conarentur: ille*, scilicet Cyprianus, *autem quidem ipsius difficultate per motus, & Sanctis Charitatis visceribus largissime præditus, in unitate cum eis manendum, qui diversa sentirent. Ita quamvis commotius, sed tamen fraterne indignarentur, vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut in tali disceptatione nullum inter eos malum schismatis oriretur.*

XV. Colligitur 3. triplicem a quibusdam Theologis distingui manuum impositionem Reconciliatoriam, Confirmatoriam, Ordinatoriam. Lapsi in hæresim, vel in quamcumque aliam lethalem culpam post pœnitentiam subjiciebantur manuum impositioni reconciliatoriæ. Baptizatis in hæresi si ad veritatem Religionis revertebantur Orientalium, mos erat manus imponere, & hæc manuum impositio erat Confirmatoria, ut reciperent Spiritum Sanctum, sed neutra illarum dicebatur reiteratio Sacramenti nam illæ manunm impositiones communes erant, etiam quando aliquis a fide Apostata execrata hæresi ad veram Ecclesiam revertebatur. Illa igitur Unctio, & manuum impositio erat mera Cæremonia Ecclesiastica apud Orientales, & de illa loquitur Innocentius I. in sua Epistola 23. ad Macedoniæ Episcopos in qua imperat revertentes ab hæresi esse suscipiendos sive Laicos, sive Clericos per manuum impositionem, Baptismum vero, & ordinationem iterari non debere.

XVI. Colligitur 4. Non licere malos Ministros Sacramenta conficere. Sacerdotibus veteris Testamenti minatur Deus interitum Levit. 22. *Omnis homo, qui accesserit de Stirpe vestra ad ea, quæ consecrata sunt, in quo est immunditia, peribit coram Domino.* Quanto magis addit Apostolus ad Hebr. 10. *putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, & Sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Probentur*, igitur concludit in c. 3. Epist. ad Tim. *primum, & sic ministrent nullum crimen habentes.* Et D. Thomas l. c. ad 6. *non est dubium quin mali exhibentes se Ministros Dei, & Ecclesiæ in dispensatione Sacramentorum peccent, & quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, & contaminationem Sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris* (licet Sacramenta secundum se incontaminabilia sint) *consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale.* Quapropter Gregorius IX. c. *quæsitum* titulo de temporibus Ordinationum, *monendi sunt*, inquit, *& sub interminatione Divini judicii obtestandi, ut in testimonium suæ damnationis, in susceptis suis ordinationibus non ministrent.* Ex hoc tamen non sequitur, quod si ministraverint irregulares efficiantur, quia hæc suspensio quoad Deum non est proprie Censura Ecclesiastica, & ideo irregularitatem non inducit.

Id vero intelligendum est extra casum necessitatis gravissimæ; nam hoc posito quilibet Minister, vel Hæreticus, vel Excommunicatus, vel Schismaticus poterit Sacramenta conferre: *Si quem forte contigerit*, scribit August. l. 1. de Baptismo cap. 11. *contigerit extrema necessitas, ubi Catholicum per quem recipiat non invenerit, per aliquem extra unitatem Catholicam positum acceperit, non solum non improbamus quod fecit, sed*

etiam securissime, verissimeque laudamus. Et Concil. Trident. de Sacr. Pœnit. Sess. xiv. c. 7. *Pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat in Ecclesia Dei semper custoditum fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque adeo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis casibus, & censuris absolvere possunt*.

XVII. Colligitur tandem ex parte suscipientis Sacramentum, quod si parvulus fuerit, nullis dispositionibus præparatur dum est suscepturus Baptismum, si vero Adultus bonæ voluntatis proposito debet ad Sacramentum accedere, idque habetur ex traditione Ecclesiæ, tum ex definitionibus Conciliorum præsertim vero ex Decretis tertii, & quarti Carthaginensis can. 79. & primi Arausicani can. 12. Idem decrevit Innocentius I. in cap. *majores* de Baptismo. Intentio hæc sufficit, quod sit virtualis, quia consensus, quem aliquis semel habuit, adhuc durat virtute, cum voluntas semel posita semper durare præsumatur, nisi probetur mutata cap. *perlatum* de his quæ vi & met. caus. Neque opponatur contigisse pluries, ut validum judicaretur Baptisma quorundam, licet contestarentur se invitos, & coactos Sacramentum suscepisse. Notandum est discrimen inter coactionem præcisam, & conditionalem, prima consensum prorsus evacuat, ita ut sic coactus dicatur potius pati, quam agere cap. *sacris* de his quæ vi metus causa, unde si baptizetur, vel ordinetur nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti, coactus vero conditionaliter, idest qui terroribus atque suppliciis attrahitur, & ne detrimentum incurrat Baptismi, vel Ordinis suscipit Sacramentum, utique characterem recipit, quia talis coactio, seu vis compulsiva non evacuat prorsus, sed attenuat consensum, ut dicitur in dicto cap. *sacris*. Id declarat D. Thomas 1. 2. q. 6. a. 6. in corpore, *quod enim fit per metum magis habet rationem voluntarii, quam involuntarii*. Et propterea Concilium Toletanum decrevit, quod *qui jam pridem ad Christianitatem coacti sunt, sicut factum est temporibus religiosissimi Principis Sisibuti, quia jam constat eos Divinis Sacramentis associatos, & Baptismi gratiam suscepisse, & Chrismate unctos esse, & Corporis Domini extitisse participes, oportet etiam ut fidem, quam necessitate susceperunt tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, & fides, quam susceperunt vilis, ac contemptibilis habeatur*.

Non valet hæc responsio si aliquis ad Sacramentum Pœnitentiæ, vel invitus, vel coactus accedat, deesset enim in hoc casu materia Sacramenti, quæ consistit in actibus Pœnitentis, Atritione, Confessione, & Satisfactione.

XVIII. Notandum non deesse Theologos, qui velint solam interpretativam intentionem sufficere in suscipiente Sacramenta reliqua post Baptismum, ex hoc enim, quod quis libens, & volens ad Baptismum accessit, paratus creditur, nisi constet contrarium, ad cetera suscipienda. Non dissentit Ecclesiæ praxis, quæ repentino aliquo morbo correptis, loquendique impotentia affectis, & rationis usu destitutis Sacramenta administrat Confirmationis, Pœnitentiæ, & Extremæ unctionis. Excipiunt aliqui Sacramentum Ordinis, & Matrimonii, quod æquum esse putent cognoscere illorum propositum, qui Matrimonium contrahunt, & Sacro Ordine initiantur, ne postea deterriti Sacramentorum, quæ jam susceperint magnitudine, ad Juris remedia præcipitent, ut in pristinam libertatem restituantur.

CAPUT

CAPUT IV.

EXPONUNTUR EFFECTUS SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS, ET DISPUTATUR DE EORUM NUMERO, ET EXCELLENTIA.

§. I.

I. DEmonſtravimus jam cap. 1. §. III. Sacramenta Novæ Legis conferre gratiam, ex opere operato, ex hac tanquam, ex radice naſcitur alia ſpecies gratiæ, quæ vocatur Sacramentalis, per quam, qui Sacramentum recipit diſponitur ad reliquas gratias actuales, & dona, quæ ab ipſis Sacramentis prodeunt, dum homo Baptizatus illorum indiget, vel ad ſe coroborandum in fide, vel ad aliqua miniſteria exercenda, quæ adveniunt occaſione Sacramenti, jam ſuſcepti, & tendunt ad conſecutionem finis per Sacramentum intenti. Major, vel minor diſpoſitio ſuſcipientis Sacramenta, majorem, vel minorem gratiam pollicetur, quod Concilium Tridentinum inſinuat Seſſ. VI. cap. 7. *unuſquiſque juſtitiam ſuam recipit ſecundum menſuram, quam Spiritus S. partitur ſingulis prout vult, & ſecundum propriam cujuſcunque diſpoſitionem, & cooperationem*. Ab hac accepta juſtificationis gratia excidunt, qui ſuis paſſionibus iretiuntur, & Carnis concupiſcientiæ obediunt, & ammittentes omne jus ad auxilia ſupernaturalia, & ad gratiam Sacramentalem pertinentia, indigent deperditam gratiam, excitante Deo recuperare per Pœnitentiæ Sacramentum, per ſatisfactionem, per jejunia, eleemoſinas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia.

§. II.

II. Præter gratiam Sacramentalem aliqua Sacramenta ſunt, quæ in ſuſcipientibus imprimunt Characterem. Impugnatores hujus dogmatis Anathematis ſententia cohercuit Tridentina Synodus Seſſ. VII. can. 9. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi Characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, unde ea iterari non poſſunt, Anathema ſit*. De hoc Charactere Morinus de SS. Ordin. cap. 1. Exerc. 3. obſervat nihil apud Patres, aut in antiquis canonibus ſolidi occurrere. Primus, qui hujus meminerit fuit Innocen. III. in cap. *majores* de Baptiſmo, etſi non determinaverit in quo conſiſtat hujus Characteris eſſentia.

Si non velimus Verbis ludere Morini querelam refellunt plurima SS. PP. teſtimonia, niſi quod PP. dicunt *ſignaculum* id, quod nos Characterem vocamus. Ambroſius lib. de Eccleſ. Hyerarc. c. 2. par. 3. de illo, qui baptizatur ſcribit: *Hunc divina majeſtas in ſui conſortium intus admittit, eique lucem ſuam, perinde ac ſignum aliquod tradit*. *Baptiſmum obſignare animas* Cyrilli Jeroſol. in præfat. Catecheſeon tradidit. *Signaculum inviolabile* Baptiſmum vocat Baſilius Orat. 13. *Signaculum Chriſti* Epiphan. hæreſ. 30. & *Sigillum* vocat Gregorius Nazianz. Oratione in Sanctum lavacrum; & hæc loquendi ratio non diſcrepat ab uſu ejuſdem vocis, quæ legitur in Sacris Scripturis. Ita in 2. ad Cor. 1. *qui unxit nos Deus, & ſignavit nos, & dedit*

pi-

pignus Spiritus in cordibus nostris, & ad Ephes. 1. *in quo*, *& credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto*, *qui est pignus hæreditatis*; & c. 4. *nolite contristare Spiritum S. in quo signati estis in diem redemptionis*. Sed auditur etiam Character apud Chrysost. homil. 2. in Epist. ad Ephes. *Charactere Spiritus S. nos insignivit*, & Augustinus Epist. 185. vel 50. sub finem, cum in persona Donatistæ interrogasset: *Quare me non Baptizas*, *ut abluas me a peccatis? Respondet*, *quia non facio injuriam Characteri Imperatoris*, *cum errorem corrigo desertoris*.

III. Falsitatis etiam convincitur Morinus, cum in antiquis Canonibus ait, nihil *solidi occurrere de hoc Charactere*. Audiatur Augustinus quid scribat lib. 6. de Baptismo c. 1. *Satis eluxit Pastoribus Ecclesiæ Catholicæ toto orbe diffusæ*, *per quos postea plenarii Concilii Auctoritate originalis consuetudo firmata est*, *& Ovem*, *quæ foris errabat*, *& Dominicum Characterem a fallacibus depradatoribus suis foris acceperat venientem ad Christianæ unitatis Salutem*, *ab errore corrigi*, *a captivitate liberari*, *a vulnere sanari*, *Characterem tamen Dominicum in ea agnosci potius*, *quam improbari*. Quodnam fuerit hoc plenarium Concilium non refert S. Doctor, verisimile tamen est fuisse, vel Nicænum primum, vel primum Arausicanum, sed quodcunque illud fuerit in errore versatur Morinus, cum Canonica Sanctio inveniatur, quæ non perfunctorie, sed serio de Charactare agit. Imò si ipse Pontifex Innocentius in laudato c. *majores* refert opinionem quorumdam dicentium, eos qui inviti baptizantur recipere tantum Characterem, ut illi qui baptizantur ficti, non ergo ipse Pontifex primus hoc nomen excogitavit.

IV. Jam ex relato can. Concilii Tridentini non videtur inferri posse, quid Tridentini PP. putaverint per signum hoc impressum in anima. Ens quoddam morale, quidquid alii dixerint, quale solet imprimi, dum quis ad dignitatem, aut conditionem aliquam stabilem, & permanentem assumitur verisimilius appellari posse crediderim, aut fortasse melius potentiam ad ea peragenda, quæ Divini sunt cultus, qui cultus consistit, vel in recipiendo aliqua Divina, vel intradendo aliis, & hæc duo munera indicavit D. Dionysius in 1. cap. Eccles. Historiæ: *Deus in quodam signo tradit sui participationem accedenti ad Baptismum perficiens eum Divinum*, *& communicatorem Divinorum*.

V. Ex Concilii Canone inferuntur tria: Characterem imprimi in anima, esse indelebilem, & iterari non posse. Præter hæc nihil aliud infertur, & est apertum Kemnitii mendacium, quod scribit lib. 2. Examinis. *Concilium nos cogere*, *ut credamus tanquam dogmata fidei Scholasticorum opiniones circa essentiam Characteris*. Non ergo Concilium definit Characterem esse in essentia animæ, quod negat D. Thomas q. 63. a. 4. neque definit utrum sit in voluntate, vel in intellectu, quod ultimum affirmat D. Thomas loco citato ad 3. hac ratione. *Charecter ordinatur ad ea*, *quæ sunt Divini cultus*, *qui quidem est quædam Fidei protestatio per exteriora signa*, *& ideo oportet*, *quod Character sit in cognitiva potentia animæ*, *in qua est fides*. Dum definit Concilium Characterem esse in Anima, vult retundere errorem Wiclefi, Calvini, & aliorum Novatorum, qui Characterem negant, quod non possit, vel Scriptura, vel ratione probari.

VI. Sicut vero probavimus auctoritate Scripturæ, & PP. Characterem existere, modo rem eandem ratione probamus. Nobiscum conveniunt Nova-

to-

teres quædam Sacramenta esse, quæ iterari non possunt, & quare hoc? Quia semel data semper manent in suo effectu, sed hic effectus, qui semper manet non est dicendum, quod sit gratia, quia hæc facile amittitur, vel augeri potest, cujus caussa cetera Sacramenta iterari possunt: ergo debet esse Character, qui non potest augeri per iterationem ejusdem Sacramenti. Scio Calvinum lib. 4. Instit. c. 18. §. XIX. docere Baptismum non posse repeti, quia est ingressus in Ecclesiam, & initiatio quædam fidei, quæ sicut facit, ut unum confiteamur Deum, ita per illam credimus unum Baptisma. Sed præter quam quod apud Hæreticos, non reperitur vera Ecclesia, & propterea nec vera fides, non video rebaptizari eos, qui abjurata hæresi iterum intrant in Ecclesiam. Deinde ut per Baptisma, ita per verbum nos introducimur in Ecclesiam, & initiamur ad fidem 1. Cor. 4. *Per Evangelium ego vos genui*; sed verbum potest repeti: ergo & Baptisma: ratio ergo Calvini non probat, quod ipse vult, tum etiam quia per Ordinationem non initiamur ad fidem, & tamen neque Ordinatio iteratur. Vide Aug. lib. 1. de Baptismo c. 1.

§. III.

VII. Fidei Professio a Pio IV. præscripta, & hodie ubique per Ecclesiam Catholicam recepta de Sacramentorum institutione, & numero habet: *Profiteor quoque VII. esse verè, & propriè Sacramenta Novæ Legis a J. C. D. N. instituta atque ad salutem humani generis licet non omnia singulis, necessaria sc. Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre*. In Canone 1. Sess. VII. Concilii Tridentini hic septenarius Sacramentorum numerus Consecratur, & utraque Ecclesia tam Latina, quam Græca, etiamsi Schismate sit divisa in hoc consentit. *Sacra Mysteria*, seu Sacramenra scribit Archudius de Concordia Ecclesiæ Occident. & Orienr. lib. 1. c. 2. *tot esse numero apud Græcos, quot apud Latinos, nimirum Septem, nemo umquam, quidquid dicant utriusque gentis communes hostes hæretici nostri temporis, in dubium revocavit. Horum enim sunt paginæ plenæ SS. PP. tam Græcorum, quam Latinorum*. Tametsi numerum Sacramentorum antiqui Auctores non expresserint, expressuri sane, si suo ævo Sacramentarii extitissent, res tamen ipsas, ubi se se offert occasio tractant, & usus Ecclesiæ Orienralis hoc idem clare confirmat. Sed & posteriores Græci ab hinc tamen multis annis ad nostra tempora hunc numerum docent, atque testantur Simeon Archiepiscopus Thessalonicensis, qui librum integrum, eumque satis prolixum de VII. Ecclesiæ Sacramentis edidit, sic habet. *Septem sunt Dona Spiritus S teste Esaja, septem item Ecclesiæ Sacramenta, quæ ab eodem Sp. S. vim operandi habent, quæ nimirum sunt Baptisma, Chrisma, Communio, Manus impositio, Matrimonium, Pœnitentia, & S. Oleum* Leo Allatius lib. 3. c. 16. de Ecclesiæ Occident. atque Orient. perpetua consensione eadem confirmat, & insuper aliqua profert ex quibusdam Synodis Constantinopolitanis, & Auctoribus Græcis, ut Græcos, & Latinos in hoc consentire uberius probet idem patet, ex eorum Eucologiis, seu Ritualibus, ex Synodo Bethlehemitica A. 1672. & ex censura Augustanæ Lutheranorum Confessionis audita per Jeremiam Patriarcham Constantinopolitanum, quare nec plura, nec pauciora esse, quam septem Novæ Le-

gis

gis Sacramenta contra Novatores omnes pronunciamus, & purum mendacium esse, quod Kemnitius dicit 2. parte exam. pag. 35. *obtrusum fuisse Armenis hunc numerum Sacramentorum, cum eum ignorassent per annos mille, & amplius* & id, quod dicit loco citato p. 25. *vetustissimos PP. non agnovisse nisi duo Baptismum, & Eucharistiam*.

VIII. Hic vero notare oportet PP. dum agunt de numero Sacramentorum, illorum mentionem facere, de quibus pro re nata disputant. Qui scribebant ex professo ad Cathecumenos, ut Cyrillus, & Ambrosius de tribus tantum Sacramentis agebant Baptismo, Confirmatione, & Eucharistia, quia cum baptizabantur Adulti hæc tria Sacramenta illis eodem die ministrabantur. Qui de solemnibus Hierarchiæ Ecclesiasticæ Actionibus (inter quos Dionysius) differebant, quatuor nominabant Baptismum, Consecrationem olei, Eucharistiam, & Ordinem, quæ quatuor Sacramenta a solis Episcopis fieri possunt. Qui scribebant de Institutione Clericorum, inter quos Rabanus, sex memorabant Sacramenta Matrimonium omittentes. Ita demum Justinus meminit duorum tantum Sacramentorum, quod id exigebat argumentum sui Operis contra Gentiles. Extenditur hæc observatio ad ipsam Sacram Scripturam, quæ certe nullibi repetit septenarium numerum Sacramentorum, sed tamen data opportunitate illorum institutionem commemorat suppresso nomine Sacramenti, quod quandoque a Scriptura usurpatur ad alia significanda, quæ omnium consensu Sacramenta non sunt, ut cap. 1. §. 1. adnotavimus. Ita Matth. ultimo habetur ritus Baptismi. *Docete omnes gentes Baptizantes eos in Nomine Patris &c.* Lucæ 22. habetur ritus Eucharistiæ *Accepto Pane gratias egit, & dedit eis*, idest Apostolis, *dicens hoc est Corpus meum, hoc facite in meam commemorationem*: Actuum 8. & 19. habetur ritus Confirmationis *imponebant manum, & accipiebant Spiritum S.* Joan. 20. habemus ritum Pœnitentiæ. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*. Jacobi 5. habetur ritus Extremæ Unctionis: *orent soper eum ungentes eum Oleo in Nomine Domini*, & in 1. ad Timot. 4. habetur ritus Ordinationis. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Præsbiteri*: demum ritum Matrimonii habemus in epistola ad Ephes. c. 5. *Erunt duo in Carne una, Sacramentum hoc magnum est*.

IX. Notandum præterea apud Patres vocari Sacramentum Aqua benedicta, Signum Crucis, Panis benedictus, Exorcismi, & aliæ cæremoniæ quæ Baptismum præcedunt, & lotio pedum, ex hoc tamen non sequitur, ut etiam alibi notavimus, fuisse vera Sacramenta, cum nulla illarum rerum habeat promissionem gratiæ gratum facientis; nec verba illa Joan. 13. *nisi lavero te non habebis partem meeum* accipienda sunt pro gratiæ promissione, quæ ex illa pedum lotione oriretur, sed dicta sunt illa verba a Christo Domino Petro, ut intelligeret quod si in sua obstinatione permansisset in æternum periisset. Chrysost. Cyrillus, & Basilius ita interpretantur hunc locum Sacræ Scripturæ, quapropter nihil horum favere videtur opinioni asserentium plura esse quam septem Sacramenta, quam opinionem idem Concilium Tridentinum l. c. damnat *si quis dixerit aut esse plura aut pauciora quam septem, Anathema sit.*

X. Hunc septennarium Sacramentorum numerum quidam accipiunt, scribit D. Th. l. c. q. 65. a. 1. in corp. *per quandam adaptationem ad virtutes, & ad defectus culparum, & pœnalitatum, dicentes quod Fidei respondet Baptismus, & ordinatur contra culpam originalem. Spei Extrema unctio, &*

or-

ordinatur contra culpam venialem, Charitati Eucharistia, & ordinatur contra pœnalitatem malitiæ. Prudentiæ Ordo, & ordinatur contra ignorantiam, Justitiæ Pœnitentia, & ordinatur contra peccatum mortale, Temperantiæ Matrimonium, & ordinatur contra concupiscentiam, Fortitudini Confirmatio, & ordinatur contra infirmitatem. Ipse vero D. Thomas accipit hunc numerum Sacramentorum ab ordine, quem habent Sacramenta ad duos, scilicet ad *perficiendum hominem in his, quæ pertinent ad cultum Dei secundum Religionem Christianæ vitæ, & in remedium contra defectum peccati.* Hujus autem spiritualis perfectionis ordinem traditurus, illum repetit a conformitate spiritualis vitæ ad vitam corporalem; sicut & cetera corporalia conformitatem quandam spiritualium habent. Perficitur autem inquit loco citato homo in corporali vita dupliciter, uno modo quantum ad Personam, alio modo per respectum ad totam Communitatem. Per se autem perficitur, *primo quidem per generationem, per quam homo incipit esse, & vivere, & loco hujus in spirituali vita est* Baptismus, *qui est spiritualis regeneratio secundum illud ad Titum* 3. Per Lavacrum regenerationis &c. *Secundo per augmentum, quo aliquis perducitur ad perfectam quantitatem, & virtutem, & loco hujus in spirituali vita est* Confirmatio, *in qua datur Spiritus S. ad robur. Unde dicitur Discipulis jam baptizatis Luc. ult.* Sedete in Civitate quoad usque induamini Virtute ex alto. *Tertio per nutritionem, qua conservatur in homine vita, & virtus, & loco hujus in vita Spirituali est* Eucharistia. *Unde dicitur Joan.* 1. Nisi manducaveritis Carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. *Et hoc quidem sufficeret homini, si haberet, & corporaliter, & spiritualiter impassibilem vitam. Sed quia homo incurrit interdum, & corporalem infirmitatem, & spiritualem (scilicet peccatum) ideo necessaria est homini curatio ab infirmitate: Quæ quidem est duplex. Una quidem est sanatio, quæ sanitatem restituit, & loco hujus in Spirituali vita est* Pœnitentia, *secundum illud Psalmi* 40. Sana animam meam, quia peccavi tibi. *Alia autem est restitutio valetudinis pristinæ, per convenientem diætam, & exercitium, & loco ejus in spirituali vita est* Extrema unctio, *quæ removet peccatorum reliquias, & hominem paratum reddit ad finalem gloriam. Unde dicitur Jacob.* 3. Et si in peccatis sit dimittentur ei. *Perficitur autem homo in ordine ad totam Communitatem dupliciter: uno modo per hoc, quod accipit potestatem regendi multitudinem, & exercendi actus publicos: & loco hujus in spirituali vita est* Sacramentum Ordinis *secundum illud Hebr.* 7. *quod* Sacerdotes Hostias offerunt non solum pro se, sed etiam pro Populo. *Secundo quantum ad naturalem propagationem, quod fit* per Matrimonium, *tam in corporali, quam in spirituali vita, eo quod est non solum Sacramentum, sed naturæ Officium.* Prosequitur deinde Angelicus Doctor ea recensere, secundum quæ ordinantur Sacramenta contra defectum peccati, nimirum contra carentiam vitæ spiritualis, contra labilitatem animi ad peccandum, contra actuale peccatum post Baptismum commissum, contra reliquias peccatorum, contra dissolutiones multitudinis, contra concupiscientiam personalem, aut contra defectum multitudinis, qui per mortem accidit, & ita ex singulis his recensitis defectibus infert septem esse opertere Sacracramenta.

XI. Sacramenta hæc præstare Sacramentis Legis Veteris alibi probavimus, nunc ostendemus præstare etiam inter se, ut unum sit alio nobilius. Dicimus

itaque Eucharistiæ Sacramentum esse inter cetera Sacramenta excellentius, & dignius ceteris, quia substantialiter continet Christum, cujus virtus tantum continetur in aliis Sacramentis instrumentalis (ut dicitur) & participata: tum etiam quia reliqua omnia Sacramenta ad illud tamquam ad finem ordinantur: vel quatenus ipsum Eucharistiæ Sacramentum conficitur, vel quatenus recipitur, vel quatenus suscipientem illud perficiunt in fide, aut quatenus suscipientem ipsum præparant ad illud ex occasione peccati; aut demum quatenus Sacramentum illud attingunt ratione suæ significationis, & hoc dicitur de Matrimonio, utpotequod significat conjunctionem Christi D. cum Ecclesia, quam perficit Eucharistia, scribente Apostolo ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.*

Quod vero spectat ad reliqua Sacramenta, cum illa secundum diversos conceptus diverso modo inter se socientur, oportet etiam, quod alia aliis nobiliora cognoscantur. Explicat hoc eorum discrimen D. Thomas 3. p. q. 65. a. 3. in c. his verbis: *In via necessitatis Baptismus est potissimum Sacramentum: In via autem perfectionis Sacramentum Ordinis: Medio autem modo se habet Sacramentum Confirmationis: Sacramentum vero Pœnitentiæ, & Extremæ unctionis sunt inferioris gradus a prædictis Sacramentis, quia ordinantur ad vitam Christianam, non per se, sed quasi per accidens, scilicet in remedium supervenientis defectus. Inter quæ tamen Extrema unctio comparatur ad Pœnitentiam, sicut Confirmatio ad Baptismum: Ita scilicet, quod Pœnitentia est majoris necessitatis, sed Extrema unctio est majoris perfectionis.* De Matrimonio vero hæc scripserat S. Doctor in articulo 2. *Ultimo inter Sacramenta ponitur Matrimonium, quod ad multitudinis perfectionem ordinatur, eoquod minus participat de ratione Spiritualis vitæ ad quam ordinantur Sacramenta.*

XII. Id Novatoribus ingratum est audire, Luthero præcipue qui in lib. de instituendis Ministris ad Pragenses propositionem hanc turpiter projicit: *Unum Sacramentum altero dignius esse non potest, cum eodem verbo Dei omnia constent.* Contra Lutherum Synodus Tridentina loco citato Canone 3. definivit: *Si quis dixerit hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, Anathema sit.*

Nec officit, quod Calvinus in Antidoto, & Kemnitius in Examine 2. par. pag. 75. dissimulent hoc in negotio statum quæstionis & Concilii canonem ad jocum, & calumnias vertant; cum enim Concilii scopus fuerit Lutheri errores damnare, singuli, qui Lutheri errores norunt, de vero sensu hujus canonis dubitare non poterunt. Imò hoc Concilii canone ipsi Calvinistæ, & Pseudo-Reformati Omnes feriuntur, qui inter Sacramenta Baptismum tantum, & Eucharistiam recensent, hoc ipso quod docent Corpus Christi in sacramento Eucharistiæ tropice contineri; nam si non verbis aperte negant hoc dignitatis discrimen inter hæc Sacramenta reperiri, revera tamen cum Luthero conveniunt.

XIII. Illud postremo inquiri potest utrum septem hæc Sacramenta fuerint rite disposita, & cur si non omnia necessaria sunt, tamen utilia affirmentur?

Si Sacramenta considerentur relative ad proprios fines, convenienter fuisse disposita asserimus, eo vel maxime quod Florentinis, & Tridentinis PP. idem visum fuisse satis patet hoc ipso quod eandem dispositionem retinuerunt. Illos autem proprios fines Sacramentorum cognoscimus, qui ad Spiritualem vi-

vitam ordinantur, vel cum illa conjunctionem habent. Unicus est ex SS. PP. Dionysius, qui in cap. 5. de Eccles. Hjerar. Sacramentorum seriem distribuens, Eucharistiam præponit Confirmationi, fortasse propter rationem, quam indicat S. Thomas l. c. a. 3. ad 3. quia nutritio, quæ tribuitur Eucharistiæ præcedit, sicut ejus caussa augmentum, quod adscribitur Confirmationi: Ceterum reliqui omnes tum Patres, tum Theologi a prima dispositiotione non recenserunt.

Alteram vero quesiti partem ita dirimimus: Quod si non singula hæc Sacramenta sunt necessaria, sed tantum tria, quod præcipue fatemur de Baprismo pro omnibus, de Pœnitentia pro Lapsis, de Ordine pro tota Ecclesia, affirmari tamen non debet, reliqua Sacramenta non esse minus utilia, ut convenientius, & commodius finis intentus habeatur: quare dicitur quod Confirmatio quodammodo perficit Baptismum, Extrema unctio Pœnitentiam, Matrimonium vero Ecclesiæ multitudinem per propagationem: unde merito Ecclesia damnavit III. Seculo Novatianos, qui Neophytos non Confirmabant, Manichæos IV. Sæculo, qui Nuptias damnabant, Wiclephistas XIV. Sæculo, qui Extremam unctionem rejiciebant, & demum Lutheranos, Zuinglianos, & Calvinistas XVI. qui duo tantum, vel tria Sacramenta admittebant. At nullos eorum damnamus, qui excluso Religionis contenptu, aut nullum, aut alterum ex his Sacramentis non suscipiunt, quia non sunt de necessitate salutis. Verum de his alibi.

CAPUT V.

CÆREMONIARUM APPARATUS NON VANUS, NON SUPERSTITIOSUS DECLARATUR, ET ANTIQUSSIMUS EARUM USUS, CUI NON REFRAGATUR QUÆLIBET IMMUTATIO, SI ILLI NON OBSIT CANONICA AUCTORITAS.

§. *Unicus*.

I. Oportebat res tantas, atque sanctissimas in Ecclesia Dei solemniter administrari, unde hinc, & Cæremoniarum facta est institutio, & imperatus earum usus. Cæremoniæ, si propriæ loqui velimus, sunt ritus Sancti in Sacrificiis, & Divinis Officiis ad Dei cultum adhibiti. Vocis originem aliqui repetunt a nomine *Cerus*, quod veteri lingua *Sanctum* significat; a *Carendo* Augustinus lib. 2. Retract. c. 37. quasi *Carimonias*, eo quod quædam Cæremoniæ in carendo, & abstinendo a quibusdam rebus vetitis positæ sunt. Alii, ut Livius lib. 5. ab *Oppido Cere*, ubi direpta Urbe a Gallis, Virgines Vestales, Sacerdotes, & Simulacra Deorum plaustro perducta permanserunt, in cujus rei memoriam omni Divino cultui Cæremoniarum nomen enatum est, nisi potius dixeris ab hebraica voce *Cherem* derivatum hoc nomen, quod significat devovere, consecrare Deo, & a communi usu separare. Antiquissimum esse Cæremoniarum usum præseferunt Caldæorum Sapientes, qui existimarunt non posse nos ad Deum reduci, nisi animæ vehiculum materialibus Cæremoniis aptum reddamus, unde apud Zoroastrem initio Magicorum Oraculorum Axioma audit: *Sacris Caremoniis animam ad Deum reduci*, & Plato est Auctor (lib. de Re-

Regno) quod apud antiquos esse Theologum nihil aliud erat, quam scire quæ Numina, quibusque Cæremoniis colerentur. Numa Pompilius octo libris plurimarum Cæremoniarum apparatum complexus est, Julianus Apostata in Idolorum Templis Christianorum Cæremonias invexit, & Augustinus ait lib. 19. contra Faustum: *Nullam esse Religionem, sive veram, sive falsam, quæ sine Cæremoniis subsistere possit*. Nullibi verò ut apud Hæbreos Cæremoniarum usus invaluit, quarum si dignitatem, majestatemque observaveris ceterarum omnium Religionum Cæremoniis excellentiores, nobilioresque prædicaveris, in Deum enim veræ Religionis Auctorem refundebantur, & Mysteriis quibusdam sacratioribus adumbrandis inserviebant, sed facta per Jesum Christum gratia, & veritate, earum cessavit obbligatio, cum novas Cæremonias, & novos ritus ipse Christus imperaverit, & alias Apostoli instituerint, qui per Ecclesias propagati, novisque additis juxta temporum conditionem, ad nos usque pervenerunt.

II. Plurima sunt, quæ observamus in his Ritibus, & Cæremoniis discrimina, quæcunque illæ fuerint, vel a Christo institutæ, vel ab Apostolis, vel ab Ecclesia, eo quod illarum instituendarum non una semper vel ratio, vel caussa fuit, quædam res institutæ sunt ad justificandum, ut Sacramenta, quædam ad alios effectus Spirituales producendos, ut Exorcismi, quædam ad solum ornatum, & significationem, ut Paramenta Sacerdotalia, Ecclesiasticorum indumenta, lumina Cereorum, & quædam ad Divinum cultum immediate peragendum, quædam ut Fideles ad hunc cultum disponantur, & quædam ad instrumenta illa paranda, quibus utimur dum Sacra ipsa peragimus. Quædam respiciunt Personas, quædam loca, quædam tempora, & quædam modum, ut quod non lingua vernacula, sed latina, Missa, & Divina Officia celebrentur, quædam res ipsas, ut sunt omnes benedictiones Sacerdotales, quædam ad universam Ecclesiam diriguntur, & aliæ ad particulares, demum aliæ ita institutæ sunt, ut perpetuo observentur, aliæ pro dato tempore, aliæ sunt præceptæ, & aliæ postremo liberæ hominum voluntati relinquntur.

III. Cujuscunque verò ordinis, conditionis, & Speciei fuerint hæ Cæremoniæ, sententia est omnium Catholicorum, Cæremonias Ecclesiasticas non esse præcipuum cultum, non constituere Sacramenta, non producere effectum Sacramentorum; ritus contrarios verbo Dei non esse admittendos, nec alios plus quam necessitas exigat multiplicandos. Sentiunt quoque omnes Catholici Cæremonias aliquas Christum, aliquas Apostolos instituisse, quarum nulla fit mentio in Scriptura: Aliquas Cæremonias vim habere Spiritualem: Esse in Ecclesia potestatem instituendi novas Cæremonias ad alios effectus Spirituales, qui non sint justificatio impii: Cæremonias ab Ecclesia institutas ab omnibus esse observandas, licet illarum omissio esset citra scandalum: Sapientissime institutum esse ut in Ecclesia Latina Sacramenta latinè administrentur.

IV. Totum itaque negotium est contra Novatores, qui has propositiones impugnant, sed irrito prorsus conatu in illis evertendis laborant. Quod enim scribat Apostolus in 1. ad Cor. 7. *se nolle laqueum nobis injicere*; & ad Colos. 2. *non esse de vero Dei cultu petendam ab hominibus doctrinam, ne per inanem philosophiam abducamur a grege Christi secundum traditionem hominum*: & ad Galatas 5. *nolite jugo servitutis contineri*: & Math. 15. Christus reprehendat traditiones hominum: & c. 4. Joan. *Venit hora, qua veri adoratores in spiritu & veritate adorabunt*: & Prov. c. 30. *Non addas ad verbum*

bum Domini, neque minuas ex eo, ne te forte arguat, & inveniaris mendax: & 4. Reg. 17. arguantur Samaritani, quod novis Cæremoniis Deum colerent, & cap. 16. Acax repræhendatur, quod novum Altare in templo extruxerit, c. 21. Aggravetur crimen Manaſſe, quod ipſe quoque Altare novum extruxerit in Jeruſalem &c. nunquam ex ſingulis his teſtimoniis falſitatem Catholicæ doctrinæ demonſtrabunt, cum in pravum proprium ſenſum hæc ſingula teſtimonia Novatores detorqueant.

V. Primum quod arguunt ex Apoſtolo reſpicit continentiam virginalem, quam ideo Paulus non præcipit, quia Chriſtus Dominus eam non imperaverat, ſed conſuluerat; Ubi verò præceptum Chriſti non eſt, aut conſilium, ſed ſolum Apoſtolica regula, qualis Actuum 15. indicatur & in pluribus aliis locis Novi Teſtamenti, audiatur quomodo loquitur Apoſtolus in 2. ad Theſ. c. ultimo: *ſi quis*, ait, *non obedit verbo noſtro hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, ut confundatur*. Diſtinguendum igitur eſt pro intelligentia auctoritatum Sacræ Scripturæ, quæ a Novatoribus uſurpantur ſubjectum de quo Scriptura loquitur, & finis, cujus gratia ita loquitur. In ſecundo c. ad Coloſſen. agit Apoſtolus de ſublimitate fidei, unde merito dicit hanc non eſſe petendam a doctrinis hominum, qui Chriſto contraria docent, qui proprio ingenio ſigna Religionis componunt, & omnem cultum illum, quem ipſe damnat: nam cum in 1. ad Cor. 14. plura in hanc rem ipſe inſtituiſſet addit: *ſi quis Profeta, aut ſpiritualis eſt, cognoſcat quæ ſcribo vobis, quia Domini ſunt mandata*, hoc eſt Domini inſpiratione ſunt data. In cap. 5. ad Galat. exhortatio eſt ad conſtantiam in fide, & libertate Chriſti, ne baptizati redeant ad Idola, & Dæmones, vel obruantur oneroſis Cæremoniis Legis. Hic ergo Calvinus peſſima fide Scripturam tractat, dum eam a vero ſenſu trahit ad ſuam hæreſim confirmandam, quod abundantius agit, dum Chriſtum audit arguentem Mat. 15. traditiones hominum, quæ pugnabant cum Mandatis Dei, quæ inanes erant, & prorſus inutiles, vel ſi bonæ, quia pluris illas faciebant quam Divina mandata, nam vult, quod generaliter deteſtemur Cæremonias omnes, quas in futurum Eccleſia fidelibus obſervandas decerneret.

VI. Jam verò non video quomodo ex verbis Joan. c. 4. *Venit hora, qua veri adoratores in ſpiritu, & veritate adorabunt* Calvinus lib. 4, Inſtitut. c. 10. §. 14. inferat Deum voluiſſe hoc diſcrimen eſſe inter nos, & Judæos, quod illos ut pueros docuit per ſigna ſenſibilia, nos ut viros, ſimplicius ſine talibus ſignis; ſcilicet ut Kemnitius explicat, Judæos ſolas habuiſſe Cæremonias externas, nos autem ſolum lucem verbi, & ſpiritualem ac ſimplicem veritatem. Contra enim eſt illud Pſalmi 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*: profecto in illo loco Joannes agit de diſcrimine inter cultum Sinagogæ, & Eccleſiæ cultum, ille eſt principaliter externus, & corporalis, iſte principaliter internus, & ſpiritualis, ſed quid hoc cum Cæremoniis, & ritibus Eccleſiæ? Quicunque ſit cultus, oportet quod per ritum exteriorem manifeſtetur in hac peregrinatione, in qua ſumus hoſpites, & advenæ, & ideo ritus, & Cæremonias illas admittit, quæ cultui ſpirituali deſerviunt. Satis eſt tantummodo quod his ritibus, & Cæremoniis nihil addatur, aut aliquid detrahatur contra præſcriptas ab Eccleſia regulas, idque innere videntur poſteriora illa verba, quæ a Novatoribus petuntur ex 30. cap. Proverbiorum: *ne addas ad verbum Domini, neque minuas, ne forte arguat te, & inveniaris*

niaris mendax, quod accidit, si veri ritus, & veræ Cæremoniæ corrumpantur, aut Cæremoniis a se inventis aliquis uteretur in sacris peragendis, quod faciunt Novatores, mendaces, pleni omni dolo, vaniloqui, & seductores, qui universa testimonia Scripturarum subvertunt, docentes illa, quæ nunquam in Scriptura leguntur, & hujusmodi sunt postrema illa exempla, quæ adjiciunt petita ex quarto libro Regum in confirmationem depravatæ opinionis. Verum est quod c. 17. arguuntur Samaritani, fortasse, ut inquit Novator, quia novis Cæremoniis Deum colebant? Absit, sed cum Dominum colerent, Diis quoque suis serviebant, juxta consuetudinem gentium, a quibus descenderant. Reprehenditur c. 16. Acaz, non quod novum Altare in Templo extruxerit, sed quia jussit fieri Altare novum in similitudinem Altaris Idolorum, quod erat apud Damascum, & removerit Altare Domini de loco suo, ut ibi constitueret Altare novum. Arguitur c. 21. Manasses, quod Altare novum in Templo posuit, ut ibi sacrificaretur Idolis: *Extruxit Altaria universæ militiæ Cœli in duobus Atriis Templi Domini*. Constat igitur quod ubi veritas Scripturarum elucet, tota corruit garientium Hæreticorum vana loquacitas.

VII. Verum adhuc silere nesciunt. Dicunt enim ad Idolatras nos accedere, quod quædam Cæremoniæ reperiantur, quæ nobis, & illis communes sunt. Et ut e multis pauca seligam. In Sacris inquiunt nos utimur veste candida. Usi sunt & Gentiles hac veste, testibus Valerio Maximo lib 1. & Philostrato Lemnio lib. 2. Primitias offerri solitas Diis gentium, & vero Deo fuisse oblatas, auctor est Censorinus c. 1. Offerri Decimas, & Vota etiam apud Ethnicos observatum scribit Dionysius Halicarnasseus lib. 1. Lustralem aquam, aspersionem Sepulchrorum, Cereorum, & Lampadarum usum, & alia multa, quæ nobis in usu sunt, etiam inter gentes viguisse prisci Scriptores commemorant. Sed hæc omnia jam pridem noverat, & vehementer doluit Tertullianus de Prescr. c. 40. ex Lege Divina in superstitionis cultum agente Diabolo hæc fuisse transfusa. Præter quam quod multas Gentilium superstitiones ad cultum veri Dei a Sanctis Patribus laudabiliter fuisse translatas Gregor. Nyssenus in vita Thaumaturgi, Theodoretus lib. 8. de curan. Græc. affect. ostenderunt, & conceptis verbis Chrysostomus hom. 6. in Matt. asseruit: *Ne opineris Deo indignum, quod Magi per stellam vocentur, hoc enim modo omnes Judæorum Cæremonias, omnesque Ritus, & Sacrificia, atque Purificationes, & Neomenias, & Arcam, Templumque ipsum reprobabis; siquidem hæc omnia originem a Gentium ruditate traxerunt. Sed Deus ob deceptorum salutem per ea ipsa se coli passus est, per quæ illi Dæmones ante coluerant, illa in melius inflectens, ut eos paullatim a consuetudine sua reduceret, & ad Philosophiam perduceret altiorem*; quod etiam Cyrillus Alexandrinus egregie notatum reliquit in lib. 16. de Adoratione.

VIII. Sed ut obturentur ora Leonum, & Definitiva Ecclesiæ sententia contra Novatorum latratus audiatur, exscribitur Canon qui 13. est Sess. VII. *Si quis dixerit receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione contemni posse, anathema sit*. Affertur etiam canon. 7. Sess. XXI. *Si quis dixerit Cæremonias, Vestes, & externa Signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur irritabula impietatis esse, magis quam officia pietatis, anathema sit*.

IX. At

IX. At petet aliquis cur una cum sit Eccl. & una fides sunt Ecclesiarum ritus, & consuetudines tam diversæ, ut altera sit Consuetudo in Romana Ecclesia, altera in Ecclesia Galliarum? Petenti eandem rem Augustino, quem Magnus Gregorius in Angliam miserat, ut illas gentes ad fidem converteret, ita respondit S. Pontifex: *Novit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit enutritam, sed mihi placet, ut sive in Sancta Romana, sive in Galliarum, sive in qualibet Ecclesia aliquid invenisti, quod plus Omnipotenti Deo possit placere, sollicite eligat, & in Anglorum Ecclesia quæ adhuc in Fide nova est, institutione præcipua, quæ de multis Ecclesiis colligere potuisti infundas; Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca nobis amanda sunt*. Hactenus Gregorius. Ordo Cæremoniarum, & reliqua minoris momenti diversis Ecclesiis diversa, & peculiaria sunt, nec ita ab Apostolis, & Apostolicis Viris instituta fuerunt, ut perpetua forent, & immutabilia. Ideo in illis varietates apparent, & mutationes, quæ unitatem Ecclesiæ non scindunt, nec fideles offendunt: *In his rebus*, inquit Augustinus, *de quibus nihil certi statuit Divina Scriptura, mos populi Dei, vel instituta majorum pro lege tenenda sunt, de quibus si disputare voluerimus, & ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio*: & Nicolaus I. Epist. 2. ad Photium: *De consuetudinibus, quas nobis opponere visi estis scribentes per diversas Ecclesias diversas esse consuetudines, si illis Canonica non obsit auctoritas, pro qua obviare debeamus, nihil judicamus, vel eis resistimus*: Et Ernulphus Roffensis Episcopus Epist. 2. in Tom. 2. Spicilegi edita *Christum docuisse*, ait, *quæ facienda erant, sed non præfixit modum, quo fieri deberent*; deinde subdit: *Hinc esse videtur quod ait: Hoc facite in meam commemorationem, non ait hoc modo facite. Unde nonnulla Christianæ Religionis instituta eum in Ecclesiæ nascentis initio suæ modum originis accepere, quem in progressu ejusdem credentis propter quasdam rationabiles caussas, non diu tenuere*, & Anselmus Cantuariensis in responsione ad querelas Valeranni c. 1. propter varietatem rituum Ecclesiarum: *habere*, nos ait, *a SS. PP. quod si unitas servatur Charitatis in Fide Catholica, nihil officit consuetudo diversa: natas esse varietates ex humanorum sensuum diversitate, qui quamvis in unitate non dissentiant, in aptitudine tamen, & decentia administrationis non concordant, quia quod unus aptius esse judicat, alius sæpe minus aptum æstimat*. Ratio vero esse potuit, quod primis Ecclesiæ sæculis sæviente in Christianos persecutione Episcopi convenire non potuerint, ut communibus suffragiis, qui essent observandi ritus, quæ Cæremoniæ, & Consuetudines definirent. Ceterum quos nos invenimus ritus, & quas a Romana Ecclesia approbatas accepimus Cæremonias constanter tenebimus, serio observabimus, ut in rebus ceteris, quibus addictæ sunt, ita præcipue in administratione Sacramentorum, ne in læthalem culpam ex malitiosa illarum omissione incidamus, quod in laudato Tridentini canone primo ex mox recensitis definitur, & perpetuo fatebimur in novos alios ritus per quemcunque Ecclesiarum Pastorem non posse mutari, ut in eodem canone declaratur.

X. Dixi *tum in rebus ceteris*, ut adverterem ex neglectis Cæremoniis plurimas irrepsisse in Ecclesiam, & gravissimas dissensiones. Primam de usu Legalium extinxit Concilium Apostolorum canone 15. *Visum est Spiritui Sancto &c.* Alteram de vero die celebrandi Paschatis diremit primum Nicænum Conci-

li-

cilium. Tertiam de non rebaptizandis Hæreticis, quæ dudum agitavit Ecclesiam, Arelatense I. sopivit. Ex neglectu Cæremoniarum plures ortæ sunt controversiæ pro delectu ciborum temporibus jejuniorum, pro diebus festis, peregrinationibus, vigiliis, cereis, aliisque pluribus rebus &c. & exinde plures Hæretici apparuerunt Encratitæ, Manichæi, Eustathiani, Aetiani, Valdenses, Thaburitæ. Undenam totum illud dissidium, quod tandiu inter Græcos, & Latinos exarsit, & nondum extinctum est, sumpsit exordium? Nisi ex nimia libertate, quam sibi temere arrogabant quidlibet in hoc genere audendi minorum etiam Gentium Episcopi, ut suis Ritualibus insererent multa prorsus insulsa, & aliena ab Ecclesiastica gravitate. Licentiam hanc detestatur Innocentius Primus in sua epistola, quam scripsit ad Decentium Episcopum Eugubinum, in qua testatur primarias Ecclesias proprios ritus a Fundatoribus accepisse, quosdam vero a Successoribus per licentiam, & potestatis abusum sæpe fuisse immutatos, eosdemque novitates introduxisse. Ut igitur his tantisque malis occurreret Concilium Tridentinum superiores edidit Canones.

XI. Modo superest, ut quid mihi proposuerim in hoc opere conscribendo, & quicum mihi negotium futurum sit, ingenue, breviterque commemorem. Non satis itaque habui Scita, & Decreta Fidei in re Sacramentaria declarare, & illustrare, aut quæstiones instituere, quales inter Catholicos discutiuntur, sed repugnantes iis hæreses adjicere, & contra ipsas pro Christiana veritate confligere sedulo studui, fontes ipsos, & Auctores Disputationum indicare, ex quibus Doctrinæ Christianæ inimici argutias carpunt, & ratiunculas ad invidiam conciliandam ingenuis fontibus, quos vel corrumpunt, ut obripiant incautos, vel Sophisticis inventis exprobrare non desinunt, ut sibi, & Sectatoribus suis blandiantur.

XII. Operis divisionem ipse suppeditat numerus Sacramentorum, de quibus singulis in totidem Tractatibus disputabimus. Quod si Tractatuum major numerus exurget, caussa erunt *Purgatorii*, *Indulgentiarum*, & *Ecclesiasticæ Hierarchiæ* insertæ elucubrationes, totam vero materiam Operis tria Volumina complectentur. Alicui fortasse videbitur illud idem nos agere, quod jam plures egerunt, fortasse non ita erit: Ceterum hic audiri poterit Augustinus, qui in libro I. de Trinitate cap. 2. ita scribit: *Non omnia, quæ conscribuntur in omnium manus veniunt, & utile est plura a pluribus fieri diverso stylo, non diversa fide*. Quod si nostra meliora non fuerint, cum Cypriano respondebimus Epist. 61. *Non vincimur quando nobis offeruntur meliora, sed instruimur, maxime in his, quæ ad Ecclesiæ unitatem pertinent, & Spei, & Fidei nostra veritatem*, & demum illud Bernardi usurpabo Epist. 174. *Quæ autem dixi absque præjudicio sane dicta sint sanius Sapientis, Romanæ Ecclesiæ præsertim auctoritati, atque examini totum hoc, sicut & cetera, quæ hujusmodi sunt universa reservo, ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare.*



DOCTRINA
CHRISTIANA DE SACRAMENTIS

DOCTRINA
CHRISTIANA DE SACRAMENTIS
AB ETHERODOXORUM ERRORIBUS VINDICATA.

TOMUS PRIMUS

IN QUO AGITUR DE BAPTISMO CONFIRMATIONE ET EUCHARISTIA

A U C T O R E
ALBERTO PAPPIANI
IN COLLEGIO FLORENTINO SCHOLARUM PIARUM
S. THEOLOGIAE MAGISTRO EXAMINATORE SYNODALI
ET SOCIETATIS DOGMATICORUM PRAESIDE.



FLORENTIÆ MDCCLXXI.
EX TYPOGRAPHIA DOMINICI MARZI, ET SOCIORUM.
Superiorum Adprobatione.

Optimam regulam servandam ne fallamur, quemadmodum in omnibus aliis rebus esse, si consideremus quid sit consentaneum antiquitati, Traditionibus Sanctorum, & priscis consuetudinibus Ecclesiæ. Augustinus in 1. Joan, cap. 1.

VIRO CLARISSIMO

ZENOBIO MORMORAI

BASILICAE BAPTISTERII FLORENTINI

PRAEPOSITO

ET ACADEMIAE THEOLOGORUM DOGMATICORUM

AMPLISSIMO CONSERVATORI

ALBERTUS PAPPIANI SCHOL. PIARUM

EIUSDEM ACADEMIAE PRAESES

I. P. G. A. M.



Ntiquos, & laudabiles Eccleſiæ mores non niſi male cordatus, aut Religionis inimicus homo inficiabitur, quorum cum non ultimi fuerint, melius dixerim, cum inter omnes omnium ætatum præcipui fuerint, Baptiſmate initiari Credentes, initiatis dare Spiritum Sanctum, eoſdemque Sacra Euchariſtia reficere, deſperata illorum eſt cauſſa, qui contra

hunc

hunc morem turpiter insanierunt. Sed cur inimicos hujus moris homines dicam? hostes insolentissimos appellabo horum Sacramentorum, cum non solum illos derideant, qui eisdem utuntur, sed singula etiam e medio tollant, vel larvas eisdem substituant, ut decipiant incautos, & mendacissimi omnium cum sint, ut mendaces Pastores prædicent, qui se a Christo potestatem hanc recepisse testantur, ut in Nomine suo Gentes baptizent, baptizatos confirment, & suis Carnibus, & Sanguine pascant famelicos, & sitientibus potum præbeant. Molinæi Ministri inscitiam huc revoco, qui in Clypeo Fidei *parte* 2. *Sect.* 19. pro magno absurdo Catholicis Romanis hoc objicit, quod doceant absque Baptismi remedio in æternum esse parvulos perituros. Lutherum hic memoro, cui satis fuit pro ritu Ecclesiastico Confirmationem habere, & Calvinum, qui abortivam Sacramenti larvam eandem appellavit in *lib.* 4. *Institut.* Pseudoreformatos denique omnes, qui Eucharistiam pessime traduxerunt, quorum nullus profecto in tam tritis, & usitatis rebus peregrinaretur, si quid Patres, quid Ecclesiastica antiquitas, & historia, quid Theologia denique sit, vel minima ex parte cognosceret. Hoc unum itaque habent, in quo gloriari isti possunt, si ipsi audiantur (nos enim infelicissimam eorum conditionem dolemus) quod communem omnium Matrem Ecclesiam, cujus auctoritas pro lege amplectenda est, pro eorum arbitrio, ac libidine deseruerint, aut illos secuti, quos Carthaginenses Patres in eorum Synodica, quæ in Augustini Epistolis est 91. descripserunt, qui infantes in *æternum necabant*, *promittentes*, *etiamsi non baptizantur*, *habituros vitam æternam*; aut Novatianorum, & Waldensium æmulatores, qui Auctore Theodoreto, & Epiphanio Confirmationem, sive Sacramentum esse negarunt, sive illam pro nihilo habuerunt, cum nulli dubium esse possit, quin Apostolica Traditio fuerit, eaque auctore instituta Christo, eos, qui baptizantur *post lavacrum Chrysma celeste percipere*, *&* *Regni Christi participes inveniri*, ut Synodus Laodicena testatur *can.* 48.; aut denique veteris illius erroris propugnatores, qui laicos, & mulieres ab Altaris ministerio
non

non arcebat, ita ut illis liceret ex Christi permissione, & consecrare, & offerre, cum Traditione interprete constet, neminem consecrare posse Christi Corpus, *nisi qui Sacramentum Ordinationis* habet ut appellat S. Augustinus *Libro de bono Conjugali cap.* 24. Innumera alia sunt, in quæ inciderunt errata homines, Ecclesiæ, & Traditionis Apostolicæ inimici, cum agerent de Baptismo, de Confirmatione, & de Eucharistiæ Sacramento; ita ut mirum sit, neque invicem convenire, quod sapientes illi ostenderunt, qui de Variationibus Ecclesiæ Reformatorum Scripserunt. Hæc autem eorum fuit potissima ratio, quod Spiritus libertatem prætenderent, & quælibet Secta professiones exigeret quarumdam assertionum, quibus aliorum Conscientia non assentiebatur. Quanto ergo justius corrigerentur omnes, si Assertionibus istis ab Ecclesia Catholica sibi propositis assentirentur, & recordari vellent, tum quod Epiphanius scribit in Alogorum hæresi, quæ est 51. *Catholicam Ecclesiam habere vim bituminis similem, quæ mala, & perniciosa, serpentiaque dogmata, doctrinasque propulsat*: itemque se alios esse debere ab illis, de quibus S. Hilarius *in libro* 8. scribit: qui *Simulantes fidem non sunt subditi fidei, sibique fidem potius constituunt, dum quæ volunt, sapiunt, & nolunt sapere quæ vera sunt, cum Sapientiæ hæc veritas sit, ea interdum sapere, quæ nolis*. At est inauditum, quod Hæretici homines Sapientiæ regulis innitantur; etenim cum impotenti, & stolidè feroci sint ingenio, doceri se, vel reprehendi quamlibet merito, justèque non ferunt, sed conviciis, & maledictis atrocibus illos proscindunt, qui cum ipsis non sentiunt, & quibus se contumeliis affici summa laus est; quippe qui vere sciunt Synesii monitum *in Epistola* 95. quod omni generi improbitatis adversari, nihil aliud est, quam esse generi omni virtutis affinem. Verum hac de re plura dicere sequentibus Controversiis reservamus, in quibus experiemur an Novatores ea in utilitatem suam converterint, in quibus deliquerunt.

Interim ad Te me converto Vir Clarissime, cui potissimum cura hæc est demandata, ut regenerandis in Christo

Re-

Regenerationis Sacramentum, aut ipse impertiaris, aut ne alii desint huic muneri, diligentissime invigiles, cui (si non ordinaria potestate, nihil tamen obest, ut præter ordinem Spiritum Sanctum concedas Renatis, & Sacratissimo Christi Corpore eosdem nutrias) ut in difficillima hac semita incedentem manu teneas, virtute, & Sapientia tua dirigas, & in proposito firmes; ut imperterritus in adversarios insiliat, & Ecclesiæ Fidem de tribus his Sacramentis ostendat. Hic enim scopus est hujus Operis, ut ab Hæterodoxorum erroribus Christiana veritas vindicetur. Nullus vero mirabitur, quod tria hæc Sacramenta conjunxerim, nam hoc idem ex Patribus præstiterunt Ambrosius, Cyrillus Jerosolymitanus, & alii, qui Fidei rudimenta in suis Catechesibus exponunt, quas pro Catechumenis instituendis susceperant, & quibus solebant tria hæc Sacramenta ministrari. Antiqui hujus moris insigne testimonium suppeditat Dionysius in Ecclesiastica Hierarc. cap.6. ubi scribit *Baptizatum Sacerdotes induunt veste congrua munditiæ, ut ad Pontificem ducant: ille vero Sacro, atque prorsus Divino unguento baptizatum signans, Sacratissimæ Communionis participem facit.* Neque penitus obsolevit hic usus, sed illum adhuc Ecclesia retinet, cum baptizantur adulti.

Nemo etiam inquirat, cur Tibi potius, quam alteri hos ego meorum Studiorum fructus nuncupaverim; Nam si Te Adolescentem suscepi, cum Scientiarum prima limina ingressus es, in quibus tua diligentia, & præclaro ingenio adeo excelluisti, ut æqualibus tuis antecelleres, Tuæ quoque Virtuti, & Pietati debebatur, ut me jam Senem colligeres, & postremos labores meos tuo Patrocinio tuereris, ut nostram tueri non desinis Dogmaticorum Academiam, pro quo etiam auspicatissimo munere profecto oportebat, ut Te grato hoc, memorisque Animi mei argumento, prosequerer.

DO-

SUPREMA RERUM CAPITA

QUÆ IN HIS TRACTATIBUS EXAMINANTUR

QUI SEQUITUR INDEX EXPONIT;

TRACTATUS PRIMUS

DE SACRAMENTO BAPTISMI

CAPUT PRIMUM

DE BAPTISMO JOANNIS.

NUm. I. *Ritus Baptismi lege Evangelica longe antiquior fuit, unde vero sit repetendus, non satis constat, postremus omnium in lege veteri fuit Ritus Baptismi Joannis, de quo quæritur an fuerit Sacramentum.*

§. *Unicus.* Exponuntur fundamenta pro alterutra opinione, & negativa Sententia Affirmativæ præfertur.

Num. II. Exponuntur fundamenta affirmativæ sententiæ III. *Petilianus Donatista castigatur, qui Joannis, & Christi Baptismum unum asseruit, & castigantur Lutherani omnes, qui idem senserunt* IV. *Differentiæ assignantur Baptismi Joannis a Baptismo Christi, & prima petitur ex eius Auctore. Hinc Apostolus baptizatos Baptismo Joannis jussit rebaptizari Baptismo Christi* V. *Decreti Apostolici varia explicatio traditur, sed quælibet refellitur* VI. *Kemnitius cum sua explicatione confutatur, & verum fundamentum eligitur* VII. *In varietate effectuum alia differentia demonstratur* VIII. *Tertia differentia statuitur in diversitate Recipientium Baptismum* IX. & X. *Duo alia varietatis indicia subijciuntur* XI. *Notæ illæ explicantur quibus alteruter Baptismus in sacris Litteris commendatur* XII. *Demonstratur quare Christus non debuit suo Baptismo baptizari, & voluerit baptizari Baptismo Joannis* XIII. *Credibile est Apostolos fuisse baptizatos Baptismo Christi* XIV. *Antiqua additur Reformatorum sententia de Baptismo Joannis, & præcipua ratio quare ab illa recesserint* XV. *Sententia refellitur illorum Theologorum, qui arbitrati sunt, quod baptizati Baptismo Joannis non debuerunt baptizari Baptismo Christi, & quod Baptismus Joannis fuerit Sacramentum quoddam, qualia erant Sacramenta veteris Legis.*

CAPUT. II.

DE HIS QUÆ PERTINENT AD SACRAMENTUM BAPTISMI.

§ I. Natura, sive Essentia Baptismi in quo consistat exponitur.

Num. I. *Vox Baptisma quid significat, & variæ dantur nuncupationes Baptismi* II. *Melanchthonus, & Calvinus Baptismi naturam non intellexerunt, quæ de re eorum definitiones pluribus scatent erroribus* III. *Eligitur definitio quam Baptismo assignat D. Thomas. Additur ejusdem fundamentum, & notantur varii errores, qui corriguntur.*

§. II. Materia remota Sacramenti Baptismi est Aqua naturalis.

Num. IV. *Probatur hæc assertio, & unà refelluntur varia hæreticorum cogitata* V. *Agitur de inepta materia, & ad examen revocatur Responsum Stephani II. quod inferitur in Tomo* 17. *Conciliorum cap.* fiin vino *Sirmondus laudatur* VI. *De Baptismo per immersionem dato, & de controversia inde nata fit sermo. Responsum additur Gregorii magni, & Decretum Concilii Toletani IV. & Wormatiensis anni* 868. VII. *Quamvis immersio prævaluerit, tamen interdicta non fuit vel aspersio, vel infusio* VIII. *Variis exemplis eadem praxis confirmatur, quæ tandem abiit in usu Ecclesiæ Occidentalis, quæ infusionem præscribit* IX. *Immersio trina vel unica nunquam fuit antiquitus necessaria vel necessitate Sacramenti, vel necessitate Præcepti. Exponuntur fundamenta variatæ praxis & explicantur Auctoritates contrariæ* X. *Additur nova ratio in confirmationem præcedentium* XI. *Baptismus Infusione sive aspersione datus semper valuit. Explicatur responsio S. Cornelii Papæ, & obiter agitur de Baptismate Clinicorum.*

§. III. Nullus Catholicorum dubitavit veram a Christo Domino institutam *Baptismi* formam cum mittens Discipulos in universum Mundum jussit prædicare & baptizare in Nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti.

Num. XII. *Variæ hæreticorum formæ exhibentur, & confutantur omnes* XIII. *Varia monumenta proferuntur quæ a forma Baptismi excludunt hæc verba* Ego te Baptizo XIV. *Adversatur his Alexander III. non vero Orthodoxa Confessio Fidei Orientalis a* Nectario *P. Hierosolymitano approbata* XV. *Demonstratur necessitas horum verborum* Ego te Baptizo, *aut quod alia æquivalentia substitui debeant. Hic exponitur forma Orientalis Ecclesiæ quare ita fuerit instituta. Errores, & dubia inde nata* XVI. *Baptismus in* Nomine Jesu *datus validus demonstratur* XVII. *Laudatur D. Thomæ Sententia* XVIII. *Contraria Sententia defenditur & explicantur verba Scripturæ, quæ validitatem videntur adstruere illius Baptismi* XIX. *Stephani I. Papæ Decretum, & Sententia vindicatur; itemque Nicolaus I. explicatur* XX. *Magistri Sententiarum opinio rejicitur, & multiplici fundamento* XXI. *Baptizare in nominibus blasphemia est* XXII. *Nemo potest se ipsum baptizare, neque plures eundem.*

CA-

CAPUT III.

DE MINISTRO, ET SUBIECTO BAPTISMI.

§. I. Alius est Baptismi Minister Ordinarius, alter Extraordinarius.

Num. I. *Ad solos Episcopos olim jus baptizandi pertinebat, paullatim accesserunt Presbyteri, postremo Diaconi. Hodie Parochi sunt Ordinarii Ministri hujus Sacramenti: cogente necessitate etiam inferiores Clerici baptizare possunt imo & Laici* II. *Variis testimoniis Patrum hæc veritas probatur, & ex Rom. Pontificibus laudatur Eugenius quartus* III. *De non baptizatis olim fuit dubitatum quod possent Baptismum conferre, modo certa res est* IV. *Etiam dubitatum fuit de Hæreticis* V. *itemq. de Mulieribus* VI. *Impia doctrina Calvini confutatur.*

§. II. Baptismus non solum non est denegandus Infantibus, sed neque differendus.

Num. VII. *Anabaptistarum argumenta recensentur, quæ contraria assertioni favent.* VIII. *Adduntur exempla ab Ecclesiastica historia petita* IX. *In pluribus nostra assertio probatur* X. *& variis definitionibus Conciliorum confirmatur* XI. *Additur Scripturæ Sacrae auctoritas* XII. *Additur Auctoritas D. Thomæ* XIII. *Adduntur Decreta Imperantium & universali Traditione concluditur demonstratio, & Concilii Tridentini Canonibus.* XIV. *&* XV. *Respondetur argumentis Adversariorum. Erasmus castigatur* XVI. *Non reprehenditur usus baptizaudi infantes in utero dummodo corpus ablui possit* XVII. *Stoicorum prava sententia confutatur* XVIII. *Exhibetur Ecclesiæ praxis in Baptismo Catecumenorum.*

§. III. Judaei, & Pagani perperam coguntur Baptismum suscipere.

Num. XIX. *Ab Auctoritatibus Patrum probatur hæc Assertio* XX. *Exempla contraria adduntur* XXI. *Non probavit Ecclesia hæc exempla, & efficatius assertio confirmatur* XXII. *Extenditur argumentum ad filios Infidelium* XXIII. *Judicium profertur de Amentibus, & Dormientibus quo ad illorum Baptismum; de furiosis, & Energumenis* XXIV. *Baptismi necessitas contra Pelagianos ostenditur* XXV. *Refelluntur inutiles Hæreticorum nugæ, cum locum Io. interpretantur* Nisi quis renatus &c. *& eadem veritas demonstratur* XXVI. *Martyrium supplet vices Baptismi, & quomodo hoc fieri possit declaratur* XXVII. *Exponitur Baptismus flaminis. Utrum prosit vel non, Patres disputant, Huius differentia a Martyrio traditur* XXVIII. *Contra Kemnitium ostenditur tam Martyrium, quam Pœnitentiam peccata remittere, non vero solam fidem* XXIX. *Designatur tempus quo viguit obligatio Baptismi suscipiendi,*

CAPUT IV.

DE EFFECTIBUS BAPTISMI.

§. I. Habet Baptismus suos Effectus, in quibus recensendis turpissimè hallucinantur Hæretici.

Num. I. *Effectus Baptismi duodecim retenset S. Chrysostomus præter Characterem* II. *In Effectibus Baptismi recensendis aliter sentiunt hæretici, contra quorum errores Concilia definiunt quid nos oporteat credere. Additur ratio, & auctoritas Patrum* III. *Confirmatur sententia ex iis quæ leguntur in novo Testamento* IV. *probatur ex iis quæ reperiuntur in Veteri* V. *Augustinus a calumnia Novatorum vindicatur, & eorum pravus error proscribitur.*

§. II. Hæreticum est asserere eos, qui Christum in Baptismo induunt, quia peccatum non habent, non posse ammittere gratiam Dei nisi nolint credere; aut non posse damnari etiam si perditissime vivant.

Num. VI. *Exponuntur fundamenta huius Assertionis, & explicantur varii textus Sripturæ Sacræ, qui ab hæreticis laudantur* VII. *Eruitur ex his Baptizatos teneri ad observantiam Divinæ Legis* VIII. *Debere etiam obedire Legibus humanis Ecclesiæ, & Principum sæculi* IX. *Tenentur etiam baptizati ad observantiam Votorum* X. *& si velint salvi fieri pœnitentia illis est necessaria. Kemnitius confutatur* XI. *Explicatur Scripturæ textus Joannis* 1, de plenitudine ejus nos omnes accepimus, *quomodo nimirum baptizati Christo incorporentur. Solvuntur nonnullae difficultates. Habitus virtutum infunduntur cum Gratia sanctificante* XII. *Baptismus si ab adulto sine dispositionibus suscipiatur solum imprimit Characterem, reliqui ejus effectus omnes suspenduntur qui reviviscunt recedente fictione, scilicet simulatione dispositionis; quomodo autem quis fictus possit ad Baptismum accedere, & quomodo ab hac fictione liberari, ostenditur.*

CAPUT V.

DE DISPOSITIONIBUS QUAE AD BAPTISMUM REQUIRUNTUR.

Num. I. *Varias dispositiones exigunt Novatores in Pueris, qui Baptismum sunt suscepturi: quanti sint faciendæ exponitur, & traditur sententia Catthòlica.*

§. I. Neque actualem fidem, neque alios novos motus, & inclinationes similes actibus fidei, & dilectionis, ut Conciliabulum Vittembergense explicavit, infantes habent, aut habere debent cum baptizantur; sed sine ulla fide justificantur.

Num. II. *Scriptura Auctoritate, D. Augustino interprete, hac Assertio pro-*

probatur III. *Non solum Catholici, sed ipse Calvinus propositionem Conciliabuli Vittembergensis despexit. Catholicorum ratio exponitur, & ostenditur inconvenientia Lutheranæ opinionis* IV. *Explicatur Joannis locus* qui non credit jam judicatus est *& explicatur quomodo parvuli credant. Rejicitur systema Calvini, & proponitur prædestinationis regula, quæ a Scriptura desumitur.*

§. II. Recensentur Dispositiones, quas olim Ecclesia exegit ab Adultis cum baptizabantur.

Num. V. *Agitur de Catechumenatu. Catechumeni unde appellati. Catechumenorum varii status describuntur, & quibus Cæremoniis ingressus in Catechumenatum perficiebatur. Græci vero, & Hispani ab aliquibus Cæremoniis abstinebant. Peculiaris fuit in Germania usus* VI. *Baptizatis nomen imponebatur ante Baptismum. Nomina Gentilium non imponebantur ex Decreto Concilii Nicoeni* VII. *Poenitentiis & aliis piis Operibus ad Baptismum disponebantur. & postrema omnium dispositio erat humilis, & sincera peccatorum Confessio* VIII. *Scrutinia super his fiebant. Non fuit communis hic usus. In scrutinio omnes repetebantur Cæremoniæ Catechumenatus, & novæ addebantur secundum morem Ecclesiarum* IX. *Abrenunciationes præcedebant Baptismum juxta morem Ecclesiarum, subsequebatur unctio (licet non esset usitata in omnibus Ecclesiis Latinis) & interrogatio de Fide, & de Fidei professione, & præsertim super articulis ab hæreticis impugnatis* X. *Patrini baptizandos Episcopo offerebant. Quid moris circa hoc in Ecclesia esset, breviter indicatur. Qui probibebantur ab hoc munere. Quæ onera essent Patrinorum.* XI. *Baptisterii antiquitus nullus erat determinatus locus, deinde vero* Baptisteria *Latinis;* Illuminatoria *Græcis ædificari cœperunt tempore Constantini Imperatoris: & hæc facultas concessa fuit quibusdam Ecclesiis* XII. *Tempora Baptismi perficiendi indicantur* XIII. *De Ritibus agitur qui Baptismum subsequebantur* XIV. *Querelæ hæreticorum contra hos ritus.*

TRACTATUS ALTER

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS

CAPUT I.

DE NOMINE, NATURA, ET ORIGINE SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

Num. I. *Confirmationis cum Baptismo magna connexio* II. *Variæ inveniuntur illius nuncupationes* III. *& varia hæreticorum effugia, ut illam tollerent de numero Sacramentorum, sed perperam.*

§. Confirmatio est verè & propriè Sacramentum novæ Legis.

Nnm. IV. *Pluribus argumentis hæc Conclusio probatur* V. *Kemnitii, & Calvini subtilitates despiciuntur* VI. *Augentur probationes* VII. *Kemnitius iterum confutatur* VIII. *Additur universalis Ecclesiæ Patrum consensus* IX. *Hierony-*

ronymus, & Augustinus non adversantur, licet hoc velit Calvinus X. *Zuinglius confutatur, qui Confirmationem accipit pro Catechesi puerorum, qui in infantia baptizantur* XI. *Confutatur Lutherus, qui eandem Confirmationem vocat Caeremoniam in Baptismo adhiberi solitam, & iterum principalis assertio concluditur* XII. *Hoc Sacramentum Christum habet auctorem. Refelluntur Novatores omnes, qui contrarium asserunt, Catholicorum vero sententiae, nimirum Halensis, & S. Bonaventurae explicantur. D. Thomas nobiscum sentit* XIII. *Indicantur duo effectus Confirmationis. Primus est recensere baptizatos inter Christi milites, secundus est Character, propter quem reiterari non potest, quod multipliciter ostenditur.*

§. II. Ritus repetendae Confirmationis Apostatis Conversis, de quo loquitur S. Methodius non officit veritati Characteris, qui per hoc Sacramentum imprimitur.

Num. XIV. *Exponitur ritus qui legitur in Euchologio S. Methodii Patriarchae COS.* XV. *ostenditur hic Canon vitiatus in titulo, qui inscribendus erat de* haereticis *ut* cohaereret *consuetudini Ecclesiae Orientalis. Laudatur Gregorius Magnus. Laudatur Archudii responsio, & refellitur explicatio Jacobi Goar, pro qua nullum profert monumentum* XVI. *Confirmatio si sit collata secundum ritum, quem Christus instituit non reiteratur, quare Morinus, & Maldonatus confutantur* XVII. *Confirmatio praeter Characterem operatur augumentum Gratiae, & hominem Christianum perficit.* XVIII. *Confirmatio differt ab Eucharistia, & explicatur in quo sensu haec a Cypriano dicatur praebere robur* XIX. *Definitur Confirmatio* XX. *Quantum illi obsit peccatum mortale ostenditur* XXI. *Quando operatur speciale robur, quod per illam confertur.*

C A P U T II.

DE MATERIA SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

Num. I. *Confirmationis Sacramenti vestigia nulla inveniunt in tota antiquitate Novatores, qui propterea contumeliis proscindunt Catholicos, & Sacro Chrismate abutuntur. Inquiritur vera materia Sacramenti Confirmationis, & quibusdam praemissis sequens Assertio ponitur.*

§. I. Quando visibilia signa defierunt, manuum impositionem, & sacri Chrismatis unctionem Ecclesia retinuit in usu Sacramenti Confirmationis; quare merito sustinetur rem utramque ad materiam ejusdem Sacramenti essentialiter pertinere.

Num. II. *Exponitur prima ratio petita ex D. Thoma, cui praeluxerunt S. Clemens, Concilii Moguntini Patres, & S. Martyr Pacianus* III. *Additur Optatus Milevitanus, qui utrumque ritum unctionis, & manuum impositionis fuisse repraesentatum asserit in Baptismo Christi* IV. *Additur praxis Ecclesiae Occidentalis* V. *& quod eadem fuerit Ecclesiae Orientalis traditio*

ditio demonstratur; & concluditur ad essentiam Sacramenti Confirmationis unctionem pertinere, non secus ac manuum impositionem VI. *Alterutram tamen materiam a Scriptoribus Ecclesiasticis mediæ ætatis in unam & eandem Actionem contractam fuisse notamus, & exinde Sacramentum hoc fuisse nuncupatum* Manuum impositionem VII. *Diversimode recipiebantur hæretici a suis hæresibus revertentes, & hinc nascitur explicatio Canonis octavi Concilii Arrlatensis I. & octavi Primi Nicani; & Textus Gregoriani. Additur canon* 17. *Arelatensis II. & Theodoreti expositio canonis octavi Nicaeni. Adduntur varia exempla, quæ antiquam praxim confirmant* VIII. *Expenditur Canon secundus Arausicani primi Concilii. Sirmondus, Petrus Aurelius, & Sambovius audiuntur ejusdem Canonis interpretes, nec ita facile definiri potest in hac varietate lectionum quæ sit præferenda, solum testatur Sambovius ex hoc Canone non posse probari quod unctio non pertineat ad essentiam hujus Sacramenti, ut illorum singuli se ita credere profitentur.*

§. II. Oleum Consecratum, non vero mixtio Balsami pertinet ad essentiam Sacramenti Confirmationis.

Num. IX. *Sacramentum Confirmationis non iteratur in eo, qui fuit non Chrismate, sed Oleo delibutus* X. *ommissio in collatione Sacramentorum multipliciter potest contingere* XI. *In Sacramento Confirmationis Ecclesia desideravit oleum balsamo mixtum, Græci varias alias addunt aromatum species. Quandonam incoepit Ecclesia immiscere balsamum oleo. Hujus mixtionis principium proprie tribuitur sexto Sæculo, & propterea non pertinet ad essentiam Sacramenti. Quod confirmatur ex variis monumentis* XII. *Prius tamen oleum benedicitur. Consecrationis Chrismatis exordium facile non est invenire, sed licet suspicari esse repetendam ab Apostolis. Tertio Ecclesiæ sæculo praxis hujus Consecrationis ubique observata fuit. Soli Episcopi Chrisma consecrant* XIII. *Eandem potestatem sibi arrogarunt aliquando Presbyteri, sed restituta fuit solis Episcopis* XIV. *Reprobatur Calvinus, & Kemnitius, qui tum benedictionem hanc, tum eamdem unctionem superstitiosam vocat, & magicam* XV. *Latini frontem ungunt, Græci vero diversas corporis partes, & singulæ mysticas significationes habent, & dum inungunt non nulla verba pronunciant, de quibus quæritur utrum ad Cæremoniam, vel potius ad exprimendam formam usurpentur.*

§. III. Oratio, quam Episcopus profert extensis manibus versus Confirmandos est vera forma Sacramenti Confirmationis.

Num. XVI. *Quatuor exponuntur Theologorum sententiæ in quibus varia traditur Confirmationis forma. Illa autem est verisimilior, quæ fundamentum habet in Traditione* XVII. *Latini Patres favent huic sententiæ* XVIII. *Efficacius eadem veritas comprobatur, postremo additur quod hæc verba* signo te signo Crucis &c. *accidentalia sunt Confirmationis Formæ* XIX. *Idem alia ratione ostenditur* XX. *Divi Thomæ sententia exponitur, quæ in laudatis verbis* Signo te &c. *invenit formam huic Sacramento convenientem* XXI. *Omnino refellitur illorum opinio, qui volunt esse formam Sacramenti Confirmationis illa verba, quibus Chrisma consecratur, & ita pariter* XXII. *Nugæ Novatorum refelluntur cum laborent falso supposito.*

CA-

CAPUT III.

DE MINISTRO SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

Num. I. *Quid Hæretici sentiant de vero, & proprio Confirmationis Ministro, & quid sentiant Catholici exponitur.*

§. I. Chrismatio Confirmatoria in Ecclesia Latina confertur a solo Episcopo, ut Ordinario Ministro, & hoc munus nulli convenit Presbyterorum.

Num. II. *Dignitati Episcopali multa sunt reservata quæ Presbyteri præstare non possunt. Recensentur hæc peculiaria officia, & præcipue munus conferendi hoc Sacramentum* III. *Presbyter, & Corepiscopus, etiam in casu necessitatis non conferunt hoc Sacramentum. Laudatur Canon.* 77 *Concilii Illiberitani, laudantur Innocentii, & Gregorii Magni Responsa, itemque Eugenius IV., & S. Thomas. hoc tamen munus conceditur Episcopo etsi ob illegitimam ordinatio-deposito* IV. *Adversariorum argumenta exponuntur* V. *Respondetur his argumentis* VI. *Explicantur quædam auctoritates Ignatii & Ambrosii. Rursum agitur de differentia Episcopi a Presbytero* VII. *Hieronymi verba ad Evagrium explicantur, sed refellitur explicatio Michaelis a Medina. Blondellus hallucinatur* VIII. *Altera Hieronymi Auctoritas ad Rusticum citatur & non genuina ostenditur, attamen non favet adversariis* IX. *Divina dispositione Presbyter subest Episcopo, non vero ex consuetudine Ecclesiæ: exponitur status hujus consuetudinis* X. *Explicatur Gregorii textus ad Januarium, itemque Dionysius in Ecclesiastica Hierar.* VI. *Citatur, & explicatur Canon septimus Concilii Hispalensis II., & excluditur omnis vana interpretatio.*

§. II. Si non proprio jure, tamen conivente Rom. Ecclesiâ possunt Presbyteri Chrismationem Confirmatoriam conferre, præsupposita rationabili causa.

Num. XII. *Ægyptiorum, Hispanorum, Graecorum, & Gallorum Presbyteri primi sunt quibus legitur concessa hæc facultas a Rom. Ecclesiâ* XIII. *Recensentur illi Theologi qui huic Assertioni adversantur* XIV. *sed non sunt audiendi, & Rom. Ecclesiæ non est deneganda hæc facultas. Laudatur D. Thomas, & ostenditur Divinum jus non immutari* XV. *Calaritanis Presbyteris Magnus Gregorius omnium primus hoc Privilegium concessit, & alii Pontifices deinceps aliis* XVI. *In quo casu vere Presbyteri illi confirmabant, etsi Estius, & Petrus Aurelius contrariam tenuerint sententiam* XVII. *Verum hæ concessiones incœperunt sæculo sexto, & cessarunt in Occidente ante nonum. Hanc consuetudinem retinuerunt & retinent Græcorum Presbyteri. Interim explicatur, quare a Græcis confirmatos, iterum latini Episcopi confirmaverint, & rursum Petrus Aurelius & Sambovius notantur* XVIII. *Quod Apostoli aliquos ex his ministris extraordinariis instituerint non probatur* XIX. *Sicut probatur verum fundamentum potestatis Presbyterorum quando per ipsos, ex concessione Pontificis, Confirmationis Sacramentum administratur* XX. *Potestas ordinis & Potestas jurisdictionis Presbyterum reddit extraordinarium ministrum hujus Sacramenti, e contra vero sola Potestas ordinis sufficit, si per Episcopum administretur, sed illæ duæ potestates non sufficiunt, verum tertio*

tia requiritur, nimirum suprema jurisdictio in eo, ut capite totius Ecclesiæ, qui hanc facultatem concedit Presbytero. Exponitur ratio quare Diacono concedi hac facultas non possit.

CAPUT IV.

DE SUBJECTO CONFIRMATIONIS, ET DE DISPOSITIONIBUS IN HOC REQUISITIS.

§. *Unicus*. Omnes omnino, nisi cetera obstent recipiendæ Confirmationis capaces sunt.

Num. I. *Melchiades Papa, & Chrysostomus in hoc argumento non convenerunt, vera tamen est superior assertio, dummodo dispositiones concurrant, quæ ex necessitate prærequiruntur* II. *Enumerantur requisita dispositiones, & demonstrantur. Prima harum dispositionum est Baptismus* III. *Notatur canon* 39. *Concilii Eliberitani anni* 305. *& explicatur*. IV. *Notatur canon sextus Concilii Arelatensis* 1. *anni* 314. *pro Neophitis, qui in infirmitate desiderabant sibi manum imponi, quod periculosum esse crederent sine Confirmatione decedere* V. *Secunda harum dispositionum est intentio suscipiendi hoc Sacramentum. Hic varii casus expenduntur* VI. *Tertia dispositio pro adultis est status Gratiæ* VII. *Olim inter dispositiones recensebatur Jejunium. Hæc praxis per duodecim priora sæcula perseveravit. Variati Jejunii causam reddit S. Thomas. Additur inter dispositiones Confirmandorum instructio, & Fidei professio* VIII. *Confirmationis Sacramentum in veteri disciplina Ecclesiæ administrabatur statim post Baptismum, deinde vero alia tempora fuere præfixa* IX. *Utrum vero hac de re præceptum sit, nimirum suscipiendi hoc Sacramentum, Sotus, & Estius negant, sed communior sententia affirmat, & demonstratur quod Eucharistia, & Matrimonium negatur iis, qui non fuerint Confirmati*. X. *Naturalis ratio a D. Thoma exponitur, qui S. Doctor ulterius notat, quod sine hoc Sacramento nemo est idoneus ad executionem suorum Ordinum, & ideo Concilium Tridentinum illud prærequirit in initiando primâ tonsurâ*. XI. *Patrini inter requisita ad Confirmationem recensentur; & hoc probatur contra Magdeburgenses* XII. *additur ratio ex D. Thoma* XIII. *Eorum numerus indicatur, & exponuntur conditiones. Eorum tamen defectus Sacramentum non impedit, præsertim si contingat casus necessitatis* XIV. *Quod extenditur ad Ceremonias omnes, quibus hoc Sacramentum solet administrari.*

TRACTATUS TERTIUS

DE EUCHARISTIA.

Eucharistia modo diverso ab aliis Sacramentis perficitur, & inde patet duplex ejusdem respectus Sacramenti, & Sacrificii, & causa divisionis hujus Tractatus in duas Partes.

PARS PRIMA.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

CAPUT I.

DE NOMINE EUCHARISTIÆ, ET DE CONSENSU ECCLESIASTICORUM AUCTORUM CIRCA ILLAM USQUE AD SÆCULUM XI.

Num. I. *Eucharistia idem sonat ac Gratiarum Actio, & quare? Diversis aliis nominibus appellatur, & singula otiosa non sunt. Ex singulis tamen, primum eligitur per quod Sacramentorum omnium maximum fidelibus declaratur. Totus Christus in Eucharistia continetur, & quomodo hoc contingat explicatur. Primus omnium Jo. Schotus verum Dogma deseruit circa finem* IX. *saculi. Berengarius eundem errorem suscitavit saculo* XI. *qui propterea auditus est Pater Sacramentariorum. Aliter tamen sentiunt Novatores.*

§. Unicus. Constans semper fuit apud Ecclesiæ Patres Sacramenti Eucharistiæ fides.

Num. II. *Novatores antesignanos in suo errore dicunt se habere Tertullianum, Origenem, Cyrillum Jerosolymitanum, Basilium, Theodoretum* &c. *laudant hic Tertulliani verba; Nos e contra Tertullianum Tertulliano opponimus, ut probetur Tertulliani fides de reali Corporis Christi præsentia* III. *Additur Pamelii Commentarium.* IV. *Adduntur etiam alia exempla, in quibus Tertullianus in modo scribendi sibi videtur consentaneus, & non dissentiunt Calvinus, & Claudius in examine doctrinæ Calvinianæ, & in Apologia adversus Bezam.* V. *Laudatur ab Hæreticis Origenes, & varia ex eodem petita testimonia repounnt.* VI. *Demonstratur quod Hæretici illius auctoritate abutuntur, & variis observationibus id confirmatur, & explicatione textuum, qui ambigui videri possunt. Xistus Senensis, Genebrardus & Petronius falsæ opinionis arguuntur. Huetius optimus interpres verborum Origenis.* VII. *Explicatur in quo sensu acceperit Origenes* vinum Aaronis, & Sacerdotum, *nimirum veluti umbram vini Eucharistici Christi, & Apostolorum.* VIII. *Castigatur Albertinus pessimus interpres verborum Origenis, in quibus agit de Offula a Christo Domino Iudæ porrecta.* IX. *Ex verbis ejusdem Origenis de sua pravitate convincuntur Hæretici.* X. *Hinc quam immane distet sententia Origenis a sententia Novatorum opportune colligitur.* XI. *Riveri pravam interpretationem verborum Cyrilli refellimus, & probatur non unicus, qui Eucharistiam vocaverit* Antitypa XII. *Hac voce Eustathius & S. Doctor Basilius, & alii usi sunt in sensu Catholico.* XIII. *Attendenda tamen maxime est vera significatio harum vocum* similitudo, *&* substantia, *quibus non infrequenter Patres utuntur; & ubi hæc constiterit explicabuntur statim textus, qui citantur ex Theodoreto.* XIV. *& ex*

ex Gelasio. XV. *Clarius explicatur Mens Theodoreti* XVI. *Idipsum ostenditur de vero sensu verborum Gelasii*. XVII. *Ita pariter ubi constiterit quid Patres velint quando vocant Corpus Christi, Sacramentum, aut Eucharistiam vocant Figuram Corporis Christi, quod dependet ab intelligentiâ earum vocum* Sacramentum, & Figura, *quæ diversos sensus recipiunt, liberabuntur a Calumnia hæreticorum Facundus Lirmensis, & Anastasius Sinaita* XVIII. *quamquam Anastasius nullibi scripsit Eucharistiam esse figuram Corporis Christi, imo vetavit dicere; & quicunque alter ex Patribus liberabitur, qui alia nomina repertus fuerit ex circumstantiis temporum usurpasse, cum ex eorum nominum explicatione usurpatâ a Patribus, non confictâ ab Hæreticis, verus sensus illarum Propositionum dependeat. Id agnovit Blondellus, qui tandem fateri non erubuit Anastasium primum fuisse Assertorem præsentiæ Realis Christi in Eucharistia* XIX. *& hanc ejus Doctrinam occupasse Orientales Ecclesias. Si tamen Claudio credendum esset, Paschasius Radbertus, non Anastasius Occidentalibus omnium primus tradidisset hanc opinionem Præsentiæ Realis* nullis Catholicis reclamantibus propter summam ignorantiam illorum temporum. XX. *Claudii petulantia proscinditur* XXI. *Temeritas detegitur, & quot floruerint decimo sæculo Viri Sanctissimi, & eruditissimi calculo declaratur.*

C A P U T II.

DE REALI PRÆSENTIA CHRISTI IN SACRAMENTO ALTARIS.

§. I. Recensentur opiniones Hæreticorum, qui impugnarunt Realem Christi præsentiam in Sacramento Altaris.

Num. I. *Eucharistiæ veritatem primus omnium impugnavit Joannes Schotus Erigena, nam reliqui Hæretici, qui illum præcesserunt hanc quæstionem non attigerunt. Secundus Eucharistiæ impugnator fuit Berengarius, qui ipsam dixit merum Signum Corporis Christi* II. *Tertius impugnator Petrus de Bruis Eucharistiam nihil esse dixit, neque Deo offerri debere. Ejus vero discipuli agnoverunt Christi Corpus tantum in ultima Cœna datum discipulis, deinceps purum esse figmentum*. III. *Waldenses ejusdem erroris defensores labente sæculo* XII. *scribit Heberardus, sed negat Reynerus* IV. *Wiclephus Berengarianam hæresim circa annum* 1370. *in Anglia suscitavit. Jacobitæ ex illius Secta prodierunt. Ex eodem fonte Lutherus suos hausit errores* V. *Andreas Carlostadius Sacramentariorum sepultum errorem excitavit an.* 1524. *novum addens figmentum. Habuit sectatorem Zuinglium* VI. *Hunc excepit Jo. Oecolampadius, qui Eucharistiam vocavit figuram Corporis Christi. Habuit sectatorem Bulingerum, Ochinum, Petrum martyrem, & Bucerum* VII. *Hic agnovit Corpus Christi in solo usu, cui subscripsit Melanctonus* VIII. *Jo. Calvinus plures alios errores addidit* IX. *Post Calvini obitum ejus Sectatores in Rupellana Synodo temperamentum aliquod addiderunt, sed errores retinuerunt. Novum temperamentum addidit eorum Synodus Nemausensis, quod describit Beza. Iterum Controversiam proposuerunt,*

runt, & definiverunt in Concilio Dostretano. X. *Sacramentariorum errores sæculo* xvi. *propugnarunt Antetrinitarii, & Sociniani XI. Inter ceteros Joannes Volkelius novum exhibuit modum ad intelligentiam pronominis* Hoc, *& verbi substantivi* est. XII. *Antiquorum doctrina omnino discrepat a doctrina Sacramentariorum, unde fit quod perperam apud istos veritas inquiratur* XIII. *Et hoc uberrime demonstrarunt Patres, & Theologi, qui natas hæreses in sua ætate profligarunt.* XIV. *His adduntur Concilia, & præsertim Tridentinum:*

§. II. Vanum esse dicimus deliramentum Novatorum, quo contendunt Sacramentum Eucharistiæ consistere in usu dumtaxat, aut in actione transeunte, quando in re permanente consistit.

Num. XV. *Sine fundamento provocant hæretici ad Baptismum, & Confirmationem, ut inde probent Eucharistiam in solo usu perfici, & affertur ratio; deinde tollitur occasio æquivocationis petitæ a varia transpositione verborum, quæ in textu Evangelico observatur* XVI. *&* XVII. *Illyricus, & Calvinus confutantur comparatis inter se scripturis, & eorumdem hæreticorum argumentis. Describuntur gesta Christi in suo vero ordine, & Albertinus convincitur.* XVIII. *Notantur ea, quæ favere videntur Novatoribus* XIX. *Subijciuntur contraria momenta ex disciplina Ecclesiæ petita Eucharistiæ servandæ* XX. *Etiam sub utraque specie* XXI. *Et variæ historiæ traduntur Eucharistiæ servatæ in Templis, in Sacrario* XXII. *In domibus privatorum, ut se ipsos possent sacra Communione reficere Persecutionum tempore* XXIII. *Itemque Eucharistiæ delatæ ad absentes* XXIV. *Aut etiam secum in longis itineribus a pluribus Sanctis viris, qui mos hodie reservatur soli Rom. Pontifici* XXV. *Postremo respondetur Etherodoxorum argumentis. Non apparere præceptum Christi Domini de non servanda Eucharistia, neque Cyrilli, & Origenis auctoritatem idem probare, ut contrarium probat usus, & traditio Ecclesiæ* XXVI. *Quod si aliquando id contigit attribuendum fuit periculo instantium persecutionum, ne Sacramento ab inimicis Christi irrogaretur injuria.* XXVII. *Provisionem Ecclesiæ, ut Eucharistia certis datis diebus consummaretur, efficacius ostendere Catholicam doctrinam, & præsertim Calvinianam, quæ asserit perseverare Corpus Christi in Sacramento toto tempore, quod intercedit inter distributionem, & manducationem,* XXVIII. *Cæsaraugustanum, & Toletanum* I. *Concilium consuluerunt fraudibus & sacrilegiis Priscialinistarum, & aliorum infidelium, qui ne detegerentur, sacrum Christi Corpus secum deferebant, tum polluebant, & profanabant, non secus providit iterum Innocentius* III. *ne aliqui ad Veneficia tanto Sacramento uterentur, ex quibus eruitur evidens argumentum præsentiæ Realis Corporis Christi in Eucharistia, quare Gabriel Biel, & Humbertus commendantur, qui aliud docuerunt ab illo, in quo ab Hæreticis condemnantur* XXIX. *Habissinorum contraria praxis arguit falsæ fidei Novatores, qui illorum morem opponunt, ut suum errorem tueantur, illa vero praxis ab illorum Liturgia demonstratur* XXX. *Quæ concludit contra Novatores, Habissinos in hoc articulo a Catholico dogmate non discrepare* XXXI. *Demum ex effectibus quos Eucharistia operatur* XXXII. *Ex ritibus, & ceremoniis, quibus conficitur, verum esse Sacramentum concluditur* XXXIII. *In hoc*

hoc ab aliis diversum, quia in hoc Sacramento, fieri, *&* esse *sunt aliud, quod notatur, ut dirimantur illæ difficultates, quæ a scripturis oriri possunt, ut ostendatur Sacramentum hoc solum in usu, non vero in re permanente consistere, ad differentiam aliorum Sacramentorum, quorum idem est* fieri, *&* esse.

CAPUT III.

DE MATERIA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

§. I. Panis & Vinum sunt materia necessaria Sacramenti Eucharistiæ.

Num. I. *Gnostici, Encratitæ, Pepuziani, & alii confutantur, qui aliam materiam tradiderunt, tum illi, qui pro vino Aquam, aut alia liquorum genera adhibuerunt. Statuitur vera panis & vini natura. Spelta, Far, & Amidum reijciuntur, & bonum omnium ratio additur innixa testimoniis Patrum, & Conciliorum definitionibus* II. *Contra Hordeaceum panem stat S. Thomas, neque videtur adversari Congruentia, ut non satis contrarium probat multiplicatio quinque panum, quæ in Scriptura describitur*. III. *Differitur de quantitate materiæ, quæ quantacunque illa sit a Sacerdote consecratur, qui cavere debet ne nimia sit, ita ut Species in Pixide servatæ non corrumpantur, & ne id præstet pravâ intentione, ut irrideat, aut Veneficiis inserviat*. IV. *Quæstio movetur de validâ consecratione materiæ insensibilis quantitatis, & negativè resolvitur. Explicatur canon* 3. *Sess.* XIII. *Concilii Tridentini, & res eò deducitur, ut ostendatur quod in his minimis particulis non inveniatur natura panis, sed materia communis, ut sunt Atomi, quæ dicuntur Principia omnium Corporum, & res non apta Consecrationi Eucharistiæ, quod si hypoteticè loquendo Eucharistia in has minimas particulas divideretur, a contrario non valere argumentum demonstratur. Obiter agitur de materia indeterminata, aut quæ saltem moraliter præsens non esset cum proferretur Consecrationis forma, & dicitur quod Consecratio non valeret*.

§. II. Valet Consecratio, sive Panis sit Azimus, sive sit Fermentatus.

Num. V. *Michael Cerularius primus auctor hujus Disputationis, & qui male sentiat de Latinis*. VI. *Apostolos indiscriminatim in Azimo pane, & in Fermentato Sacra Mysteria celebrasse ex Scriptura colligitur, & legitimâ ratione ostenditur, cui subscribunt Anselmus Havelburgensis, Nicbites Nicomediensis, Ernulphus Roffensis, & Barlaamus Hieracensis Episcopus, & alii*. VII. *Christianus Lupus contrarius Ernulpho corrigitur, eo quod ille arbitretur Azimum esse Traditionem Apostolicam, quam neque demonstrat Canon Apostolorum, quem refert Cotelerus in notis ad Clementem*. VIII. *In primitiva Ecclesia panis consecrandus a Fidelibus offerebatur, & ne mos ejusmodi antiquaretur Sanctissimi Ecclesiarum Antistites invigilabant, ut id probant plura Conciliorum Decreta, & ipsæ formulæ oblationum consuetæ, eam in Missa Græcorum, quam Latinorum. Adduntur argumenta quibus probatur*

tur quod hic panis fuerit communis. IX. *Confirmatur eadem ſententia ex aliis monumentis. Eulogia, & Fermentum perperam confunduntur. Explicantur verba Melchiadis, & Syricii, & exponitur opinio Anſelmi Havelburgenſis, quæ refellitur*. X. *Progreditur examen Havelburgenſis, cui opponitur Demetrius Chomatenus Bulgariæ Archiepiſcopus. Perperam citatur Alexandri* I. *Decretum, quod idem aſſeritur de Reſponſo Gregorio Magno attributo, cum ſit Gregori* VII. *& de Decreto* VI. *Synodi Generalis, quod explicatur, & de ſententiis aliorum PP. qui pro Azimis citantur, & de Mozarabum ritu. Conceditur tamen quod in aliquibus Hiſpaniæ Eccleſiis, & in aliis aliarum Regionum Azimorum uſus, aut citius, aut tardius invaluerit, ſed non ſufficit ad aſſerendam univerſalem conſuetudinem Rom. Eccleſiæ uſque ad ſæculum* XI. *quo exordium habuit controverſia inter Græcos & Latinos pro Azimo, & Fermentato. Explicatur etiam Paſchaſius Ratbertus, Gaudentius Brixienſis, & relinquimus Sirmondo & Mabillonio, & Chriſtiano Lupo, quod inter ſe certent, ut tempus definiant uſûs Azimorum in Eccleſia Latina*. XI. *In Eccleſia Græca perpetuus fuit Fermentati uſus. In Anglia, in Gallia, in Eccleſia Moguntina a ſchiſmate Photii incepiſſe uſum Azimorum, teſtes ſunt Alcuinus & Rabanus, ſi revera id ex eorum ſcriptis inferri poſſit. Proponitur hiſtoriola quædam, in qua traditur hæc origo Azimorum in Eccleſia Latina, ſed confutatur. Illud etiam perſuadet a tempore Photii non fuiſſe uſum Azimorum univerſalem in Eccleſia Latinorum, quod Photius in hoc Latinos non accuſavit, quemadmodum eoſdem accuſavit poſt duo ſæcula Michael Cerularius, quos Azimitas vocavit. Fruſtra lex quæritur, quæ hunc ritum præſcripſit, inoluiſſe tamen tempore Concilii Florentini patet ex ſententia ejuſdem Concilii, quod a conſuetudine Latinorum hunc ritum repetit, ut jam illum repetierat S. Leo Nonus*. XII. *A Græcorum traditione receſſerunt Armeni ſæculo ſexto, & Maronitæ ſæculo undecimo. Gregorius Illuminator nuncupatus ritum hunc Armenis tradidit. Sub Davide Maronitarum Archiepiſcopo ipſi Maronitæ Azimorum uſum receperunt. Fortaſſe utrumque dicitur incertâ famâ, quemadmodum incerta eſt cauſa hujus mutationis. Leo Bulgariæ Archiepiſcopus Aegyptios adjunxit Auctore Allatio. Indis etiam attribuitur idem ritus a Navigantibus in illas Regiones. De Chaldæis, & Syris idem Teſtimonium perhibet Cardinalis Bona, ut Michael Cerularius apud Baronium, & Humbertus Cardinalis olim idem ſcripſerunt de Alexandrino, & Jeroſolymitano Patriarcha*. XIII. *Modo unaquæque Eccleſia ſuum ritum ſervat*. XIV. *Vindicatur Eccleſia Latina a Calumnia Judaizantium, vel ſi Latini judaizant, judaizant etiam Græci, eo quod in Lege Moyſi præcipiuntur non ſolum panes azimi, ſed etiam panes fermentati. Alia eſt igitur petenda ratio utriuſque moris, & hæc traditur. Non omnia Chriſti facta præcepta ſunt, & oſtenditur. Lex Chriſti eſt, ut Euchariſtia conficiatur in pane triticeo, & alteruter panis, purus panis appellatur ab Egberto Eboracenſi, & Gregorio Hieromonaco*.

§. III. Vinum & Aqua etiam pertinent ad materiam Sacramenti Euchariſtiæ.

Num. XV. *Notantur Hæretici, qui aliter ſenſerunt. Cyprianus, Juſtinus, Irenæus, & alii ex PP. laudantur. Canones Conciliorum indicantur, &*

præ-

præsertim citatur Canon Trullanae Synodi quæ depositione punit Presbyterum, qui Sacrificium operans Aquam vino non miscet. XVI. *Proponuntur Indicia illa, ex quibus nascitur dubitandi occasio, utrum sine mixtione Aquæ peragi possit sacrificium Missæ, & utrum hæc mixtio sit ex Divino, vel potius ex præcepto Ecclesiastico* XVII. *Exponuntur pro utraque sententia argumenta, & sustinetur Ecclesiasticum præceptum, Cyprianus explicatur* XVIII. *Est verum Sacrificium licet aqua vino non misceatur, unde neque ad essentiam illius, neque ad integritatem pertinet, sed solum ad convenientiam ut pluribus auctoritatibus demonstratur.* XIX. *Hinc parum refert si misceatur naturalis aqua, sive artificialis, peccaret tamen sacerdos, qui non adhiberet naturalem* XX. *Et si per oblivionem Sacerdos Aquam non miscuerit post Consecrationem non tenebitur illam miscere. Exponitur mos Græcorum, qui ante & post Consecrationem aquam miscent primo frigidam, deinde calidam.* XXI. *Varia PP. Decreta circa quantitatem Aquæ Calici infundendæ proponuntur. Sed communis est sententia, quod debet esse exigua, ut mysterium salvetur, & fiat Sacramentum* XXII. *Magnâ opus est cautelâ dum disputatur de Materia Sacrificii Missæ, & deligendi sunt scriptores, qui partium studio non sint abrepti & qui floruerint ante* XI. *Sæculum, nam præocupatis mentibus fere singuli ad scribendum tunc temporis accessere, quo maxime invaluit inter alterutram Ecclesiam disputatio super azimis, & fermentato.*

§. IV. Christus Dominus si audiatur Joannes Philoponus, ultimum Pascha ante diem decimam quartam celebravit.

Num. XXIII. *S. Petrus Alexandrinus, Chrysostomus, Photius, Theophilactus, Nicephorus huic sententiæ patrocinantur, & textus Joannis in cap.* 13. 18. 19 *unde Euthymius arbitratur Christum Paschatis tempus dispensative anticipasse uno die.* XXIV. *Ratio proponitur efficacissima, ut contraria sustineatur sententia. Exponitur caput 9. Numerorum Evangelistarum propositiones comparantur.* XXV. *Unus Joannes non dissentit a reliquis, & demonstratur. Agitur de Disciplina Hebræorum transferendi Paschatis solemnitatem in concursu Festivitatum* XXVI. *Diffident Theologi in eligenda interpretatione textus Joannis, & exponitur ratio diffidii* XXVII. *Verum tamen est quod quæcumque seligatur interpretatio difficultates explicantur, quod ostenditur ab earum enumeratione* XXVIII. *Recensentur præterea tria commoda ex eo nata, quod Hebræi illo anno transtulerint in diem sabbati solemnitatem Paschalem. Singularis est Epiphanii locus, qui. N.* XXIX. *explicatur, ubi etiam confutatur sententia illorum, qui asserunt Christum nequaquam legitimum Agnum manducasse, sed illud Pascha celebrasse, quod ipse instituit novum pro vetere.*

CAPUT IV.

DE FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

Num. I. *Proponitur Controversiæ status de vera forma Sacramenti Eucharistiæ, & indicatis Tridentini Concilii verbis ex cap.* 1. *sess.* XIII. *aperiun-*

riuntur duæ sententiæ Theologorum. Prima; quæ docet Christum sine verbis Eucharistiam confecisse, & postea formam exposuisse, quâ Sacerdotes consecrarent. Secunda asserit, Benedictionem a Christo adhibitam supra panem, & vinum, ipsum panem, & vinum in suum Corpus, & Sanguinem transmutasse. II. *Pro utraque Sententia fundamenta exponuntur.* III. *Tutior videtur sententia divi Thomæ, quæ sic proponitur.*

§. *Unicus.* Solis his verbis perficitur Consecratio: *Hoc est Corpus meum. Hic est Calix Sanguinis mei*; & Christus manifeste ea proferens consecravit.

Num. IV. *Probatur Auctoritate PP: Latinorum* V. *Tum Græcorum.* VI. *Adduntur Liturgiæ. Notantur Bucerus, & Erasmus, & alii, qui negant ex Divino præcepto nos teneri verba illa pronunciare.* VII. *Refellitur sententia illorum Græcorum, qui efficaciam Consecrationis tribuunt quibusdam precibus. Explicantur PP: qui pro hac sententia citantur Justinus, Augustinus, Cyrillus, Eusebius Emissenus, & Chrysostomi Lyturgia. Nicolaus Cabasila, & Marcus Ephesinus impugnantur.* VIII. *Exponitur Ritus Mozarabicus, additur Ritus communis Syris, & Armenis, a quibus omnibus precatoria verba post peractam Consecrationem recitantur ex testimonio Richardi Simonis.* IX. *Ultimum argumentum suppeditat ratio, quæ comparat formas aliorum Sacramentorum, & præsertim Baptismi cum forma Eucharistiæ, & infert in alterutra eundem effectum independenter a precibus, quibus tantum in Sacramento Extremæ Unctionis vis datur producendi suum effectum.* X. *Agitur de verbis mere Consecratoriis, cum plura alia in tota hac actione recitentur, & confutatur illorum sententia, qui putant panem & vinum non consecrari, si verba aliqua prætermittantur.* XI. *Quâ in re affertur sententia PP:* XII. *Considerantur singula verba utriusque formæ, utrum singula pertineant ad essentiam, aut quæ, & hic exponitur Doctrina D. Thomæ.* XIII. *Patres, & Concilia, & Pontifices nihil statuerunt, & Liturgiæ ipsæ neque integras ponunt. Explicantur singula verba, & eorum differentia traditur.* XIV. *Licet vero non singula pertineant ad essentiam, hoc unum tamen contra hæreticos demonstratur has formas revera esse Consecratorias,* XV. *Quomodo id contingat præmissis nonnullis principiis evidenter ostenditur.* XVI. *Temere igitur hæretici volunt hæc verba solum exprimere figuram Corporis Christi, ut bene argumentatur Hilarius, & eruitur ex Scripturis, absque eo quod descriptæ formæ adjungantur adverbia* verè, & propriè XVII. *Adde nullibi Scripturam statum hunc adnotasse contra morem ipsius, quæ solet explicare id quod vel figuratè, vel ambigue dictum fuit in uno loco, ut patet ex textibus, qui afferuntur.* XVIII. *Hæreticorum dictatum PP: omnes insectantur, & Christus ipse, qui loquens de suo Corpore, & Sanguine, omnem aufert ambigendi locum, ipsum loqui de figura sui Corporis.* XIX. *Præterea oporteret Eucharistiam suâ efficaciâ privari producendi gratiam, quæ res signo, & figuræ non convenit, nisi contrarium probetur, quod nullibi probant Sacramentarii, etiamsi in eorum Confessionibus fidei, & Conciliis hoc dixerint, ut exuberanter ostenditur* XX. *Sufficit tamen consensus omnium Christianarum Societatum, quæ Verba institutionis litteraliter explicarunt, & testimonium Græcorum, qui licet cum Latinis non con-*

convenirent in definienda materia Eucharistia, conveniunt omnes in eadem forma. XXI. *Exponuntur diversæ acceptiones Pronominis* hoc, *aliæ Catholicæ, aliæ hæreticales. Ermengaudus a Calumnia Albertini vindicatur.* XXII. *Exponitur argumentum Ermengaudi, & aliud additur Ebrardi.* XXIII. *Agitur de natura, & proprietatibus Signi, cui aliquando tribuitur nomen rei significatæ licet non eodem modo. De singulis his modis differitur, additis veris exemplis, ut ex universali hac doctrina concludatur propria Significatio verborum Institutionis, & ad quod Signum illa pertineant. Solvitur argumentum petitum ab institutione Circumcisionis ad institutionem Eucharistiæ, ut quemadmodum illa vocatur* pactum, *ita hæc vocari possit* Signum, *& notantur varia ad uberiorem explicationem verborum institutionis. Lucas, & Paulus soli addunt hæc verba:* hoc facite in meam commemorationem, *quæ ab Algero explicantur.* XXIV. *Pluribus locutionibus figuratis Scriptura referta est. Traditur regula explicationis earum, & singula explicantur.*

CAPUT V.

QUOMODO CHRISTI DOMINI CORPUS EXISTAT IN EUCHARISTIA.

§. I. Neque Paschasium Radbertum, neque Rupertum Tuitiensem Abbatem, neque Berengarium asserimus favisse pravo Impanationis errori acceptæ pro assumptione panis ad unionem hypostaticam.

Num. I. *Paschasium Radbertum calumniatur Blondellus, quod faveret pravo errori Impanationis. Errorem hunc ejus operi de Corpore, & Sanguine Domini edito anno 1528. inseruit Hiobus Gastus.* II. *Non solum id probatur in genuinis auctoritatibus Paschasii, sed ex silentio illorum Auctorum, qui Sinchroni Paschasio fuerunt, & illum accusant, quod crederet Christi Corpus de virgine natum, illud idem existere in Eucharistia, quæ tamen locutio explicatur.* III. *Rupertus Tuitiensis Abbas male auditur a Bellarmino, & quare?* IV. *Exponitur vera sententia Ruperti, & ostenditur contraria erroribus Sacramentariorum, & vindicatur a contumelia, quam eidem sententiæ Wiclephus impingit, & Baronius commendatur.* V. *Quod est obscurum in verbis Ruperti declaratur.* VI. *Aliæ explicationes adduntur.* VII. *Nec inferiora desunt momenta, ut ostendatur temere Berengarius factus auctor impanationis acceptae pro assumptione panis ad unionem hypostaticam. Contemporanei auctores haec fundamenta suppeditant.* VIII. IX. X. *Concilia contra Berengarium coacta hunc errorem in Berengario non proscribunt.* XI. *tandem conjectura traditur originis hujus erroris.*

§. II. Id quod a Luthero, & suis Sectatoribus traditum est, ut modus explicetur, quo Christus in Eucharistia existat, omni Theologicæ rationi adversatur.

Num. XIII. Lutheri prava dogmata de Sacramento Eucharistiæ XIV. Tria e contra stant pro Catholica opinione XV. Hæc sententia invictissime demonstratur. XVI. Futilis conatus Lutheri, ut ostendat transacсidentiationem. XVII. Præsentia realis Corporis Christi in Eucharistia, & transubstantiatio inter se cohærent XVIII. Transubstantiationem recens inventum esse sub Innocentio III. natum scribit Calvinus tempore Petri Lombardi, nihil certi de hoc fuisse scribit Kemnitius. Auctorem ejusdem Lutherus facit D. Thomam. Per singula retro sæcula fuisse inauditam fatentur omnes Reformati XIX. Confutantur singula hæc dicta, & Traditio universalis Ecclesiæ firmatur, & solum conceditur Transubstantiationis vocabulum non esse antiquius Stephano Eduensi Auctore XII. Sæculi. XX. Audacter Kemnitius mentitur, & confutatur, cum primo ostenditur Transubstantiationem pertinere ad Fidei dogma, & secundo cum probatur a Græcis Patribus in Concilio Florentino de hoc dogmate non fuisse disputatum, sed tantum interrogatos fuisse ipsos Græcos qua mente post verba consecrationis hæc alia adderent; & fac panem hunc quidem honorabile corpus Christi tui. Et ad uberiorem probationem additur Censura Orientalium ad Confessionem Augustanam XXI. Annichilatur ergo substantia panis? Petrus Martyr hoc asseruit, sed rejicitur hæc propositio, & explicantur varii modi Conversionis unius Substantiæ in aliam XXII. Urgetur idem argumentum, & ostenditur Accidentia non indigere substantiâ, ut varias subeant mutationes, sed satis est quod habeant quantitatem. Maxima difficultas est quomodo species corrumpantur, & ex eis aliquid generari possit. Verum hoc explicatur XXIII. & XXIV. Expositis variis Theologorum sententiis concluditur id posse contingere ex prædicta quantitate dimensiva panis, & vini, non quidem novo miraculo sed in vi miraculi prius facti. XXV. Respondetur reliquis objectionibus Petri Martyris, & ostenditur quinam sensus sit hujus propositionis Corpus Christi fit ex pane quod aliud non est quam exponere terminum a quo recedit panis dum convertitur in Christi Corpus præexistens. Similiter aliud est dicere factum, & aliud dicere productum, nam Corpus Christi non producitur ex pane, sed in ipsum panis substantia commutatur XXVI. Neque propter hoc transubstantiatio est nova generatio; & hoc probatur ratione petitâ ab Angelico Præceptore XXVII. Hic Lutherani, qui Corpus Christi cum pane conjungunt adductâ similitudine ab unione Naturæ assumptæ per Verbum, convincuntur erroris, & dementiæ, & exponuntur absurda illa singula quæ necessario affirmari deberent ex hoc eorum falso principio. XXVIII. Rejicitur Systema Transubstantiationis excogitatum a Joanne de Parisiis XXIX. Rejicitur aliud Systema excogitatum a Durando, in quo explicatur Transubstantiatio ad modum illius Conversionis quæ fiebat in alimento, quando Christus illud convertebat in Corpus suum, adducto fundamento ex PP. qui Conversionem hanc transformationem dixerunt, & ex illis Conversionibus, quæ in Scriptura inveniuntur. XXX. Aliud absurdum eruitur ex Durandi sententia, quod consistit in illo officio, quod attribuit Animæ Christi, ut recedente forma panis, ejusdem panis materiam informet, & difficultates aperiuntur, quæ ex hac suppositione orirentur. XXXI. Confutantur cum ratione petita a D. Thoma etiam illi Theologi, qui consecrato pane, & vino aiunt manere cum Accidentibus formam substantialem panis, & vini

XXXII. *quod liberaliter concederetur in hypothesi recentiorum Philosophorum, qui in formis substantialibus praeter Congeriem Accidentium exigunt subjectum capax illarum formarum, & propterea facile concedunt existentiam formarum non existente substantia, qua ab illa forma denominabatur.*

§. III. Exponitur Accidentium natura juxta varias Thelogorum explicationes, sive Sententias, & probabilior eligitur.

Num. XXXIII. *Haec Accidentia non sunt Entitates reales sed species purae, quae a Deo sensibus nostris imprimuntur, aut sunt species similitudinaria, quod non visum est absurdum Chrysostomo, Abbaudo Abbati, Augustino &c.* XXXIV. *Confirmatur magis, quia Concilia nihil super hac accidentia definiverunt, unde placuit aliis dicere hac Accidentia, vel remanere in aere, vel esse in Corpore, & sanguine Christi ita Petrus Abelardus, & Guillelmus. Adversatur D. Thomas, sed quaecumque sententia eligatur, illud verum est, quod hac Accidentia in nullo substantiali subiecto sunt, nullique inhaerent substantiae* XXXV. *Idque probatur petitis similitudinibus ab iis, qua Basilius recenset contigisse initio Creationis, cui sententiae subscribunt Damascenus, Thomas Valdensis, & Theologi illi, qui accidentia subjici asserunt quantitati panis, & vini* XXXVI. *Agitur de Generationibus illis, quae contingunt in speciebus consecratis, in quibus explicandis Theologi non conveniunt. Guitmundus, & Algerus audiuntur* XXXVII. *Notant illorum sententiam aliqui Theologi* XXXVIII. *Quorum responsio ab aliis impugnatur; & verisimilius quibusdam videtur has generationes, & mutationes explicare per sensuum deceptionem a Deo permissam.*

§. IV. Variis Quaestionibus respondetur, quae moveri solent de Christi Corpore, quatenus existit sub speciebus Sacramentalibus.

Num. XXXIX. *Quaeritur utrum Christi Corpus careat suis dimensionibus, & cuius sint naturae hae dimensiones, an spatio contineantur, & an commensurentur dimensionibus earundem specierum Eucharisticarum.* XL. *Quaeritur an sit petenda mensura quantitatis huius corporis a distantia locali, qua est inter sua membra, aut ab alterius generis distantia: quod secundum asseritur, & demonstratur, & simul explicantur nonnullae proprietates huius Corporis. Profligatur error Petri Martyris. Augustinus declaratur. Durandus refellitur, & tandem dicitur quod Christi Corpus non est in Eucaristia cum singulis proprietatibus suae magnitudinis.* XLI. *Christus totus est in sacramento scilicet Corpus, Anima, & Sanguis Christi cum unione ad Verbum, quam habet in Caelo; quomodo autem id fiat ex vi verborum Consecrationis, explicatur* XLII. *Non vero reliquae Divinae Personae concomitanter sunt in Eucaristia* XLIII. *Sub unaquaque specie, & sub singulis cuiusque partibus separatione facta totus Christus continetur. Hanc doctrinam constantissime semper tenuit Ecclesia, & confirmatur ex facto Christi cum Corpus suum, & Calicem singulis Discipulis tradidit.* XLIV. *Etiam ante fractionem Hostiae Christum totum in qualibet eius parte reperiri docet S. Thomas etiamsi minima sit, dummodo possit vere panis denominari* XLV. *Perpenditur utrum aliae proprietates commu-*

e 2 *nes*

ner aliis corporibus, ut loco moveri, videre, agere, & pati, possint dici convenire Corpori Christi in Eucaristia latenti? Respondetur negative; & assignatur ratio si res ipse considerentur in statu naturali, si vero agatur de via extraordinaria poterit oculus videre Corpus Christi in Eucharistia, non vero modum, quo idem corpus est in Sacramento, quia modus hic ita est contra omnem cognitionem, ut neque oculus Christi hunc modum videat. XLVI. *Recensentur & exponuntur apparitiones Carnis, vel Sanguinis in Eucharistia, & concluditur non esse carnem, & sanguinem Christi, nec veram carnem, aut verum sanguinem, sed referre tantum colorem carnis, & sanguinis species Sacramentales, manente nihilominus Corpore Christi sub his speciebus, quae quandiu conservantur, easdem conservare, & venerari solet Ecclesia, ut verum Eucaristiae Sacramentum.* XLVII. *Varii errores describuntur contra cultum Eucharistiae.* XLVIII. *Concilii Tridentini definitiva Sententia ponitur. Antiqua Traditio additur, & Ritus Adorationis Eucharistiae ex antiquo tempore, hoc est a temporibus Dionysii Areopagitae, qui huius meminit in cap. 3. Eccles. Hierar. Alia adduntur desumpta ex peculiaribus Ritibus utriusque Ecclesiae Orientalis, & Occidentalis, in quibus constat universalem Ecclesiam hunc morem retinere, & si quo ad modum Graeci non imitentur Latinos. Latini Eucharistiam publicae adorationi exponunt, eamdemque in Processionibus circumferunt. Graeci neque illam exponunt, neque circumferunt.* XLIX. *Argumentantur Haeretici contra adorationem Eucharistiae, & confutantur singula eorum argumenta, & invicte concluditur quod Latria cultus Eucharistiae debetur.*

CAPUT VI.

DE MINISTRO SACRAMENTI EUCHARISTIAE.

§. I. Catholicum Dogma est solos Sacerdotes esse Ministros Sacramenti Eucharistiae.

Num. I. *Exponitur Controversiae status & refelluntur deliramenta somniantium.* II. *Haeretici in suas partes trahunt verba Apostoli, quae leguntur in 1. ad Cor. 11. verba quoque Matth. in cap. 26. & Petri in cap. 2. suae epist. Tertullianum addunt in libro de exhortatione Castitatis cap. 7. Canon. 2. Concilii Ancyr. & 15. Concilii Arelat. 1. &c.* III. *Respondetur Haereticis qualis sit verus sensus Scripturarum, disciplina quoque primitivae Ecclesiae: ex aliis contextibus & ex ritu Ordinationum.* IV. *Alia est ratio administrandi Baptismi, & alia administrandae Eucharistiae, de utraque agitur, & solvitur Haereticorum ex hac paritate petitum argumentum.* V. *Tertullianus a Pamelio explicatur. Comparatur Tertullianus Tertulliano, & vanitas hujus argumenti concluditur* VI. *Facultates fingunt Novatores ob Ecclesia Laicis concessas. Agitur de his, & mala illorum fides detegitur. Examinantur Canones Conciliorum, & traditur veritas historiarum, quibus abutuntur.* VII. *Cum igitur soli Sacerdotes conficiendae Eucharistiae potestate polleant, utrum probi, & sancti esse debeant, ut illam conficere possint, quaeritur, & quid dicendum si fuerint criminosi, & haeretici?* VIII. *Antiqui-*

quitus Episcopi soli offerebant, Presbyteri celebrante Episcopo concelebrabant. Describitur haec praxis, cujus vestigium servavit, & retinet Ecclesia in inauguratione Sacerdotum. IX. *Cum solus Sacerdos Eucharistiam conficiat, etiam solus ex officio eam Laicis administrat. Triplicem rationem reddit S. Thomas, idemque probatur ex Scriptura, ex Concilio Rhemensi, & ex Dionysio.* X. *Traditur usus primitivae Ecclesiae administrandi Eucharistiam per Diaconos, per inferiores Clericos, per Laicos, & etiam per Fœminas.* XI. *Ut quod esse potest ambiguum in hac re tollatur, notatur, aliud esse Eucharistiam tangere, aliud deferre, & aliud ad os sumentis porrigere: aliud hac singula ex officio operari, aliud ex commissione, & demum aliud esse quod communiter fit, & aliud quod fit necessitate cogente. Sacerdotes tangunt Eucaristiam, deferunt, & aliis porrigunt. Diaconis ex commissione permittitur. Laicis antiqua Ecclesia id permisit Persecutionum tempore, Persecutoribus avulsis exempla inveniuntur usque ad* x. *Saeculum, sed varia Concilia abusum hunc sustulerunt.* XII. *Ex veteri disciplina, neque singuli Sacerdotes Eucharistiam dispensabant suis non subditis, obsolevit tamen hac disciplina qua hodie permittit, ut singuli Sacerdotes illam distribuant præter quam tempore Paschali, quo tempore quilibet non Sacerdos tenetur illam petere; & accipere a proprio Parocho, cui etiam tantum debetur cura administrandi Viatici.*

CAPUT VII.

DE IIS, QUIBUS EUCHARISTIA POTEST ADMINISTRARI.

§. *Unicus* Omnibus, quibus lex non prohibebat, nec infantibus ipsis prætermissis, olim Eucharistia dispensabatur.

Num. I. *Qui prohibebantur offerre antiquitus a Communione arcebantur; Pœnitentes omnes, Cathecumeni, Energumeni, & ultimo supplicio damnati. Orientalis Ecclesia adhuc retinet hunc morem. In Ecclesia vero Latina in desuetudinem abiit post saeculum* xi. *& ubi Pueri non attingunt rationis usum de sacris mysteriis participare non permittuntur. Eadem recentior disciplina energumenis Eucharistiam confert, & ultimo supplicio damnatis in Italia, & Germania.* II. *Eucharistia olim cum ipsis Mortuis consepeliebatur, quem morem Cartaginense tertium Concilium damnavit, Antisiodorense anni* 563. *& Quinisextum. Publice quoque indignis denegatur, Excommunicatis, Interdictis, manifeste infamibus &c. de quorum Pœnitentia, & emendatione non constat.* III. & IV. *Statuitur necessitas sumendæ Eucharistiæ, & duplex circa illam Theologorum sententia, relative ad salutem obtinendam, argumenta utriusque ponuntur.* V. *Explicantur Scripturae, Conciliorum, & PP. dicta, & concluditur quod non est necessaria necessitate medii Eucharistiæ participatio Pueris, neque quibuslibet aliis, qui Divino præcepto tenentur ad Eucharisticam Communionem.* VI. *Agitur rursum de eodem præcepto, & audiuntur Theologi illi, qui verba Ioannis:* nisi manducaveritis *&c. & verba Lucae:* hoc facite *&c. interpretantur pro modo, vel conficiendæ, vel sumendæ Eucharistiæ pro libito Sacerdotum, & Fidelium.* VII. *Statuitur verus sensus verborum*

borum sensus juxta intelligentiam Concilii Tridentini, & in illis factum praeceptum de sumenda Eucharistia, & ratio additur cur allatam interpretationem non patiuntur; neque dissentiunt PP. Ecclesiae VIII. *Tempus inquiritur hujus obligationis, & propter differentiam opinionum, & praxim Ecclesiae Galliarum, & Hispaniarum, quae Communionem negat illis, qui morte plectuntur, citantur decreta Pontificum, & Conciliorum Eliberitani, & Sardicensis, & indicatur praeceptum eliciendi Actum Fidei, & Dilectionis Dei, ut a puris inferatur quando Fideles teneantur ad Communionem.* IX. *Protrahitur eadem inquisitio, & exponitur antiqua Disciplina Communionis quotidianae. Casaubonus citatur contra Baronium, qui negat illam quotidianam Communionem fuisse preceptam. Explicatur Anacletus Papa, & canon* 10. *Apostolorum. In Synodo Agathensi an.* 505. *prodiit primum Decretum, ut singuli Fideles in praecipuis solemnitatibus Eucharistiâ reficerentur. Praeceptum triplicis annuae Communionis legitur in Concilio Turonensi â.* 813. *postea in Lateranensi quarto an.* 1225. *statutum fuit, ut semel in anno, & in Paschate Fideles communicarent, quod Decretum confirmavit Concilium Tridentinum. Viaticum vero Siricius Papa omnibus dispensari voluit cum ad Dominum ceperint proficisci; idque semper cavit, & cavet Ecclesia ne morientes sine Viatico decederent* XI. *Agitur de frequentia Communionis, & commendatur, nisi caetera obsint, & quae illa sint, recensentur* XII. *Dispositiones praemittendae sunt Communioni. Ponitur antiquus mos. Impia Haereticorum propositio notatur, quae inter dispositiones non recenset Gratiae statum, sed statum peccati, & confutatur* XIII. *Inter dispositiones non ponitur carentia omnis actualis venialis peccati, & hoc probatur ratione petitâ ab Angelico Praeceptore, & a silentio Concilii Tridentini, quod non exigit confessionem peccatorum venialium.* XIV. *Neque Actualis devotio ponitur inter necessarias dispositiones, quia ex se ipsa obicem non ponit. Dubitatur si haec carentia devotionis sit voluntaria, & in hoc Theologi eodem modo sentiunt.* XV. *Agitur de Dispositionibus Corporis, & proponuntur Ecclesiae Canones. Jejunium praemittendum esse Communioni probatur a Disciplina Ecclesiae a temporibus Apostolorum, & hanc consuetudinem confirmatam fuisse in Concilio Nicaeno, quod Concilium excepit Communionem diei Caenae Domini, & quare. Sexta tamen Synodus Oecumenica integram reddidit veterem disciplinam* VI. *Haeretici contra hoc jejunium insurgunt, quid contigerit Apostolorum tempore, & post obitum Apostolorum penes diversas Ecclesias traditur. Agitur de Agapis, de earum origine, & duratione. Exponitur consuetudo vetus & nova, & respondetur argumentis Novatorum. Distinguitur Jejunium naturale ab Ecclesiastico, & numerantur casus, in quibus a non jejunis sancta mysteria consumuntur. Eucharistia jejunium naturale non frangit. Explicatur apud* Relatum *de Consecrat. dist.* 2. XVII. *Numerantur illi Casus, in quibus jejunium naturale non frangitur. Nocturna vigilia non impedit Communionem, & Alexandri* III. *Decretum in* cap. si constiterit *de Accusat. perperam pro hac opinione citatur.*

CAP.

CAPUT VIII.

DE EUCARISTICA COMMUNIONE.

§. I. Licitum fuiſſe de ſacris myſteriis participare fidelibus non conficientibus ſub utraque, vel ſub una ſpecie, conſtanti fere XII. Sæculorum uſu luculentiſſime demonſtratur contra Sectariorum calumnias, qui utriuſque Speciei neceſſitatem adſtruunt ex Divino præcepto.

Num. I. *Non in uſu materiæ, ſed in Conſecratione conſiſtit Sacramenti Euchariſtiæ perfectio, unde huic perfectioni non derogat populus qui ſumit Corpus ſine Sanguine.* II. *In primitiva Eccleſia populus, qui aderat ſolemni Myſteriorum celebrationi, ſub utraque Specie communicabatur, non infrequenter vero de una tantum Specie participabat, utraque hæc veritas demonſtratur auctoritate, & hiſtoriâ, & ex ritu Communionis Infantium, Abſentium, Anachoretarum, & Infirmorum, & ex aſſervata Euchariſtia.* III. *Sectarii effugia quærunt, ut vim eludant antiquæ diſciplinæ, & hæc exponuntur.* IV. *Pro catholica opinione efficaciora alia argumenta congeruntur petita, tum ex Conciliis, tum ex variis textibus Scripturæ, tum ex natura ipſius Sacramenti, ſive conſideretur illius effectus, ſive id quod ſignificat, ſive id quod in hoc Sacramento ſumitur abſque ejuſdem injuria, licet ſub una tantum ſpecie ſumatur.* V. *Reſpondetur effugiis Sectariorum, & oſtenditur, quod confundunt antiquum morem cum recentiori diſciplina Eccleſiæ. Liberatur Paulini narratio a figuris. Notatur uſus illarum Eccleſiarum, quæ Infirmis utramque Speciem deferebant, ſi ſtatim poſt Miſſam Euchariſtiam accepiſſent, qui tamen uſus conſtans non fuit. Additur vetus mos Græcorum, cum ægrotos communicabant, & mos Maronitarum, & reliquarum Eccleſiarum Orientalium, & tandem Abyſſinorum.* VI. *Quod Sectarii addunt de caſu neceſſitatis retorquetur contra ipſos argumentum, nam ipſa neceſſitas Eccleſiarum Paſtores impulit, ut morem introducerent, quem deinde tenuit univerſalis Eccleſia communicandi ſub una ſpecie, nec unquam Græci Latinis objecerunt, ipſos mutilum Sacramentum fidelibus tradere, quod tamen Brentio, & Melanctono objicitur, qui non obſtante jure Divino utramque Speciem precipiente, Abſtemios eximunt ab obſervantia Divini mandati, & aquam mellitam vino ſubſtituunt.* VII. *Arguuntur etiam Sectarii maximæ imperitiæ, dum domeſticam Communionem abuſum vocant. Arguitur Kemnitius, primo cum aſſerit, quod ii, qui unam Speciem domi ſumendam reſervabant alteram in Eccleſia prius ſuſcepiſſent. Secundo arguitur, quod unam, eamdemque dixerit Communionem factam per temporum intervalla. Arguuntur, reliqui qui utramque ſpeciem in domos ſuas detuliſſe veteres Chriſtianos affirmant. Explicatur Gregorius Nazianzenus in iis, quæ ſcribit de Gorgonia ſorore. Tunc viri nudis manibus, mulieres in linteo Euchariſtiam deferebant. Nunquam fuit uſus in Eccleſia plures Calices conſecrandi. Citatur epiſtola Gregorii II. Ad Bonifacium Moguntinum Epiſcopum. Explicantur decreta Cæſarauguſtani, & Toletani Concilii, quæ a Sectariis citantur.* VIII. *Abutuntur iidem Sectarii Decretis Rom. Pontif. Gelaſii, & Leo-*

& Leonis, & eorum mentem Novatores non esse assequutos ostenditur. Citatur Anastasius Bibliothecarius, qui describit utilitatem Decreti Gelasiani. De mendacio convincitur Lutheri excogitatum contra Concilium Constantiense, & Basileense. Laudatur Concilii Basileensis Decretum. IX. *Tentat Illyricus pervertere expositam argumentationem Concilii Tridentini, verum hæc fortiori argumento sustinetur, & veritas Conclusionis efficacius probatur.* X. *Pro solutione difficultatum, quæ ex PP: vel ex Sacris Litteris colliguntur, a Sectariis suppeditantur rationes pro intelligentia illarum vocum, quæ universitatem significant, ut innotescat quando debeant in suppositione distributiva accipi aut quando hæc suppositio eisdem non accomodetur, & hac occasione variæ hujus generis propositiones inter se comparantur. Citatur Pascasii locus, & corrigitur.* XI. *quod si correctione non indigeat, intelligendus est eo modo, quo intelligitur Cypriani locus petitus ex sermone de Cœna Domini, & locus Tertulliani in lib. de Resur. Carnis. Et revera sic illum interpretatur Thomas Waldensis, ut alii interpretantur Augustinum, quia PP. aliquando esum, & potum pro eodem assumunt, ut cibum vocat D. Bernardus alimoniam Corporis, & Sanguinis Domini.* XII. *Differentia additur inter sententiam Sectariorum, & Catholicorum, hi enim non contendunt pro necessitate unius speciei, & propterea Catholicos non urgent similitudines, & figuræ illæ quæ Eucharistiæ manducationem sub una specie significant, sive sit Lignum vitæ, sive Agnus Paschalis, sive Manna, aut participatio Sacrificiorum Legis veteris.* XIII. *Texitur historica narratio originis, & progressus hujus erroris, & Hæreticorum, qui eundem disseminarunt a sæculo* XIV. *usque ad tempora Concilii Tridentini, in quo PP. illum solemniter proscripserunt.*

§. II. Licet ab initio Christianæ Religioni non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu temporis latissime jam mutatâ illâ consuetudine, Ecclesia gravibus, & justis causis adducta hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, & pro lege habendam decrevit, quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare, non licet.

Num. XIV. *Ecclesia potuit veterem disciplinam immutare, neque in hoc erravit.* XV. *Afferuntur causæ hujs justæ mutationis pro Parvulis* XVI. *& pro Adultis, & hic obiter agitur, tum de usu variarum Ecclesiarum, quæ Christi Sanguinem vino infusum fideli populo porrigebant, ac si vinum non consecratum per contactum consecrati consecraretur, tum de usu antiquo, & recenti Græcorum.* XVII. *Natæ diversis temporibus hæreses, quæ hic exponuntur, variæ disciplinæ causam dederunt: unde mirum non est, quod non semel contigerit eandem commutari in eisdem Ecclesiis, & præcipue in Romana. Sed demum in una specie porrigenda conquievit, & hujus Decreti variæ rationes traduntur.* XVIII. *Refelluntur ii, qui hanc potestatem Ecclesiæ denegant; nec simile est, quod reponunt ex denegatione Sacramentorum Confirmationis, & Extremæ unctionis.* XIX. *Et si Ecclesia decreverit Communionem sub una specie, tamen sibi jus retinuit duplicem permittendi, si utilitas postularet. Basileensis, & Constantiensis* Con-

Concilii Decreta hoc statuunt, & Tridentinum Concilium in Romano Pontifice hoc jus agnoscit. Concilium Basileense, & Pius IV. Hoc jure usi sunt pro Bhoemis, & pro Germanis. Non amplius aliis est concessum nisi soli Diacono, & Subdiacono ministrantibus solemniter Missæ Pontificis. XX. *Quia dictum est non amplius licere Laicis sumere Sanguinem Domini absque dispensatione, hic excipiuntur illi Casus, in quibus ex parte ipsius Sacramenti posset occurrere hæc necessitas.*

C A P U T IX.

DE AFFECTIBUS SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

§. I. Sacramentum Eucharistiæ ex propria institutione Gratiam confert, non primam sed secundam, scilicet augmentum Gratiæ Santificantis, qua homo fit Sanctior, & Deo conjunctior.

Num. I. *Massiliani ex Theodoreto Eucharistiam nihil prodesse, sed potius obesse dixerunt, hæc eorum blasphemia confutatur & PP. auctoritatibus post varios textus scripturæ contrarium demonstratur, scilicet ex propria institutione gratiam conferre.* II. *Gratia, quam Eucharistia operatur est secunda. Rejiciuntur itaque illi, qui institutam esse Eucharistiam censent in remissionem peccatorum. Varia consideratio proponitur hujus Sacramenti, ut saltem Theologorum assertum salvetur in illla consideratione, quæ Sacramentum contemplatur ratione rei contenta in ipso, cum salvari certe non possit, si consideretur secundum propriam rationem & ejus usum.*

§. II. Eucharistia a peccatis mortalibus præservat, & venialia remittit.

Num. III. *Ex Scriptura Tridentini Patres hoc definiverunt, & quomodo fieri possit D. Thomas demonstravit, & demonstrarunt alii PP. & Theologi.* IV. *Remissio autem major, vel minor Venialium petenda est a dispositione suscipientis Eucharistiam.*

§. III. Solvuntur nonnullæ Quæstiones.

Num. V. *Agitur de Eucharistia quatenus remittit pœnam peccatis debitam, & minuit fomitem per quem ad peccandum inducimur.* VI. *Solvitur objectio cur ii, qui Eucharistiâ donati sunt aliquando in gravissima scelera prolabantur, & etiam ab æterna vita excindantur, & utrumque oritur ex defectu, & infidelitate suscipientium. Additur Eucharistiam etiam aliis prodesse quam sumentibus, & præsertim si accipiatur pro mortuis, quod asseritur contra nonnullos, quorum Propositionem damnavit S. C. Cardinalium Concilii Trident. Interpretum. Omnes autem hos effectus producere asseritur, quando primum species Sacramentales*

tales in stomacum trajiciuntur. VII. *Ad examen revocatur illa quæstio Utrum species Sacramentales toto tempore, quo sunt in stomacho aliquid operentur in ordine ad Augmentum gratiæ, & proponuntur utriusque sententiæ argumenta*. VIII. *Sed videtur verisimilior affirmativa sententia ex qua plura inferuntur*. IX. *Exponitur discrimen Sacramenti Eucharistiæ a reliquis, si consideretur relativè ad eorum effectus, nam si fictè suscipiatur Baptismus, & Confirmatio, recedente fictione effectus illorum reviviscunt; secus vero dicitur de effectibus Eucharistiæ, propter Apostoli verba:* qui manducat indignè, judicium sibi manducat.

TRACTATUS EUCHARISTIÆ.

PARS ALTERA.

DE MISSÆ SACRIFICIO.

Missæ *nomen est antiquissimum, quod multipliciter a Scriptoribus usurpatur, & non semper ad significandum Sacrificium. Hic tamen sumitur pro integra celebratione Sacrificii, per quam oblatio Sacrificii ad Deum mittitur. Refellitur ludicra, & impia Kemnitii Missæ descriptio*.

CAPUT I.

UTRUM IN LEGE NOVA SIT ALIQUOD VERUM, AC PROPRIUM SACRIFICIUM.

§. I. Datur in Lege novæ verum, & proprium Sacrificium

Num. I. *Sacrificium in Lege novæ respuunt Hæretici propter perfectionem, & efficaciam Sacrificii Crucis, idque ostendunt collectis pluribus S. Scripturæ auctoritatibus*. II. *Sacrificia varii generis describuntur. Indicantur requisita ad Sacrificium & concluditur unicum in Ecclesia debere esse Sacrificium. Augustinus explicatur. Calvinus in hac parte catholicus*. III. *Errat vero Calvinus dum omnem oblationem vult esse Sacrificium. Statuitur vera natura Sacrificii contra Sectarios, & definitur. Tria in vero Sacrificio notantur. Quod Sacrificium soli Deo offertur, offerri debet ritu legitimo, & a Ministro publico, qui communi nomine illud peragat*. IV. *Sacrificium constituitur in genere signi sacri, quanquam non semper, distinguitur tamen a Sacramento propter tria; verum convenit in hoc, quod perficitur re, & forma, hoc est materia, quæ offertur, & actione Ministri offerentis, quæ duo dicuntur Sacrificia, sed modo diverso*. V. *A materia, & forma diversa proficiscuntur Sacrificiorum species, quæ enumerantur, omnes tamen ad unum, & idem reduci*

duci possunt, quod contingit in Sacrificio novæ Legis. VI. *Auctor Sacrificiorum in Lege naturæ fuit homo, non certe sine speciali revelatione; in Lege veteri fuit Deus ipse; in Lege nova Christus Dominus ut homo. Hoc postremum negant Hæretici contra quem errorem stat Catholica assertio*. *VII. VIII. IX. & X. Hæc probatur auctoritatibus petitis ex Veteri Testamento, in quarum expositione Patres utriusque Ecclesiæ conveniunt, imo & Hebraeorum doctissimi, & pravae rejiciuntur interpretationes Kemnitii, Arii, Montani, & aliorum Novatorum*. XI. & XII. *Eadem veritas confirmatur ex novo testamento. Exponitur Interrogatio, causa dubitationis, & responsio a Christo data Samaritanæ. Agitur de sensu Vocis* Adorare, Altare, Ministrare. XIII. *Scriptura non adversatur Scripturæ, & id ostenditur ex responsione argumentis Novatorum, quae eo tendunt, ut probent quod supposita efficacia Sacrificii Crucis quodlibet aliud Sacrificium inutile redditur. Ostenditur causa falsitatis hujus illationis; deinde ex primario officio hominis erga Deum probatur in omni hominum statu necessitas Sacrificii*. XIV. *Additur quod Passioni Christi non irrogatur injuria, quod in nova Lege Sacrificium Propitiatorium offeratur. Petitur exemplum a Sacrificiis Legis Veteris, deinde ponitur triplex species Sacrificii Propitiatorii, alterum Legis Veteris, alterum Crucis, & tertium quod offertur a Sacerdotibus non propter adquirendum pretium ad remissionem peccatorum, sed ut fructus Passionis Christi nobis applicetur*. XV. *Explicantur textus Scripturæ, qui a Novatoribus objiciuntur, & notatur quare in textu petito ab Hæreticis ex Epistola ad Hebræos Apostolus non meminerit hujus tertiæ speciei Sacrificii Propitiatorii, quia nimirum proposito suo id necesse non credidit, aut ne Hebræos magnitudine Mysterii confunderet. Ita pariter si Apostolus in eadem Epistola scribit: quod* voluntariè peccantibus non relinquitur hostia, *id opportunè asseruit ut Hebræos evocaret ab infidelitate in Christum, & a superstitionibus*. XVI. *Vetera Sacrificia non dicebantur imperfecta, quia iterarentur, sed quia multiplicabantur, & quia in Veteri Lege Sacrificia non sufficiebant ad applicandam satisfactionem, ad quem effectum, quia se extendit Sacrificium novæ Legis non arguit imperfectionem quia iteratur, sed necessitatem illam, quæ nascitur ex culpis quotidianis*. XVII. *De æterno Sacerdotio Christi recte loquitur Paulus, sed falsa est Novatorum consequentia, nam in Lege nova Sacerdotes sunt, qui ministerium Christi gerunt, & hic ponitur differentia inter Sacerdotes Veteris Testamenti, & hodiernos Sacerdotes*. XVIII. *Quæritur hic utrum ad applicandum fructum Sacrificii Crucis potuerit in nova Lege fieri novum Sacrificium cruentum? Dividuntur Doctores, & utrorumque rationes exponuntur*.

§. II. Sacrificium in Eucharistiæ Misterio positum esse statuimus;

Num. XIX. *Petrobrussiani, Albigenses, Zningliani*, Wiclefistæ, *Calvinistæ, Lutherani, & Pseudoreformati omnes hoc negant, & proferuntur eorum assertiones*. XX. *Lutherus, Zninglius, Calvinus, Petrus martyr, Kemnitius non sibi constant, & benignius dicta PP. interpretantur*. XXI. *Lutherus quatuor argumentis partim ex Scriptura petitis, partim ex conditione, & natura Sacrificii, in Missa verum Sacrificium non offerri probare contendit, sed solum ait in Missa mystici Convivii non vero Sacrificii vestigium aliquod* re-

reperiri, cum assignari non possit, quænam sit in Missa illa pars, in qua Sacrificii ratio consistat, propter momenta, qua congerit, ut suum errorem tueatur. XXII. *Propositio Catholica demonstratur ex Verbis illis:* Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, *& hoc munus in mystica Cæna fuisse peractum.* XXIII. *Et licet Christus ab illa Actione potuerit auferre rationem Sacrificii, illud tamen intendisse ex verbis, & factis ejus, & modo, apertè concluditur.* XXIV. *Refellitur falsa interpretatio, quam Hæretici afferunt facto Melchisedech; & ex circumstantiis. quæ in Sacro textu ponuntur, ostenditur veram Sacrificii rationem in illo extitisse.* XXV. *Confutatur Kemnitius, & Calvinus, qui Verba Scripturæ:* erat enim Sacerdos Dei altissimi *suo marte interpretantur, non ad panem, & vinum referenda esse, quæ duo Melchisedech obtulit, sed ad benedictionem, quam Abraham impertitus est; quare sic legunt:* erat Sacerdos, & benedixit ei, *& hoc variis observationibus comprobatur.* XXVI. *Profertur aliud argumentum pro Catholica Sententia ex Verbis Christi Domini, quibus frangendum Corpus suum, & effundendum Calicem, ait pro Apostolis, & pro multis in remissionem peccatorum.* XXVII. *Kemnitius notat velatum textum, utpote in Græca lectione ponatur tempus præsens, & non futurum, ut legitur in vulgata, & inde infert in Cæna non fuisse peractum Sacrificium, sed promissum peragendum in Cruce: probatur tamen in alterutra lectione nostrum assumptum, sed non probatur a Kemnitio sua propositio. Ulterius additur quod Kemnitii opinio pugnat cum Lutheranorum principiis, quibus Christi Corpus, ut Victima aderat in Cæna, & idem sumebatur cum Sanguine, ut participatio Victimæ pro nobis oblatæ.* XXVIII. *Tertium profertur argumentum pro sententia Catholicæ in textu Apostoli* 1. *ad Cor.* 10. *ubi comparatur Mensa Domini cum Mensa Gentilium, quæ est Altare Idolorum, & Eucharistia cum Sacrificiis Gentilium, de quibus comedere non poterant ii, qui mensæ Domini participes erant, quæ comparatio esset inutilis, si Eucharistia Sacrificium non esset; quod magis ostenditur ex confutatione Kemnitii qui* XXIX. *negat hanc fuisse comparationem Apostoli.* XXX. *Patres citantur pro Sententia Catholica, Liturgiæ, & Ecclesi. Universalis auctoritas. A Num.* XXXI. *usq. ad* XXXIV. *Respondetur Argumento hæreticorum quod legitur sub Num.* XX. *& ostenditur Patres non appellasse* Missam *Sacrificium à* Collectis, *quæ in illa fiebant, non ab oblatione in Cruce facta per Christum, licet non repugnet Eucaristiam esse oblationem realem, & esse commemorationem Sacrificii Crucis. Non quia Actio Cænæ, in qua* Christus *hoc Sacrificium instituit, fuerit Sacra quædam Actio consistens in Consecratione panis, quæ ad fidelium communionem dirigitur, aut quia illi hoc nomen derivaret ab immolatione in Cruce facta, sed a causa inferius exponenda.* XXXV. *Progreditur responsio contra Lutheri argumenta, quæ peccant in pluribus, quia plura confundit, quæ distincta sunt, ut plenius ostenditur.* XXXVI. *Corrigitur Calvinus, & confutatur, qui vellet in quolibet Missæ Sacrificii Cristum immolari, quod velit quodlibet Sacrificium esse novum testamentum, & rursus exponitur natura Sacrificii, &* XXXVII. *Exponitur Sententia PP. Concilii Tridentini*

§. III. Panis, & Vinum est res in Sacrificio oblata. Christi Corpus, & Sanguis sunt Illud Sacrificium, quod in Missa proprie offertur, & Sacrificatur. Num.

Num. XXXVIII. *Panis & Vinum sunt materia, ex qua, Corpus, & Sanguis sunt terminus Sacrificii*. XXXIX. *Christus solus dicitur res oblata, ut existit sub speciebus, & cum ipsis unum Sacramentum constituit*. XL. *Panis, & Vinum non dicuntur res oblatæ quo ad eorum substantiam, cum sint materia, quæ transit, Accidentia vero manent, & in hoc distinguuntur Sacrificia veteris a Sacrificio novæ Legis*. XLI. *Ex hoc quod panis, & Vinum, Corpus, & Sanguis sunt res oblatæ, non sunt duo Sacrificia, sed est unum tantum & id ex varia oblationum conditione opportunè cognoscitur*. XLII. *Recensentur actiones illæ, quæ in pluribus Liturgiis insertæ sunt juxta temporum varietatem, & a quibus varii Ordines Missæ prodierunt, varii juxta diversarum Nationum mores, cumque singuli conveniant in panis, & vini præparatione, Oblatione, Consecratione, Fractione, Consummatione, & ipsius Sacramenti distributione, concluditur*. Num. XLIII. *Consecrationem præcipuè, & Sacramenti Consumationem ad totam Sacrificii essentiam pertinere*. XLIV. XLV. XLVI. *Ostenditur quare utraque oblatio præcedens scilicet, & subsequens Consecrationem; tum Hostiæ fractio itemque distributio Sacramenti, facta a Sacerdote inter fideles non sint de essentia Sacrificii, & explicatur tum mens PP. Concilii Ephesini, qui visi sunt asseruisse in fractione repræsentationem Passionis Christi, tum Chrysostomi in hom. 3. in epist. ad Ephes., & aliorum, quos pro se citat Lutherus, veluti asserentes, quod fideles, qui Sacrificio intersunt jure Divino teneantur oblationis participes fieri*. XLVII. *Pluribus momentis probatur quod sumptio, quæ fit a Sacerdote, licet non sit instituta, ut in illa sit tota essentia Sacrificii, tamen est imperata, ut sit pars essentialis, quatenus est perfecta Consumatio, & immutatio Victimæ oblatæ: Præterea asseritur non esse improbabile, quod Christus Dominus in Cœna se ipsum communicaverit*. XLVIII. *Christus Consecrationem instituit, ut essentialiter esset Actio Sacrificandi, & essentia ejus, utpote quæ Actio sit tum maxime aptissima ad Dei majestatem profitendam, & omnipotentiam, tum ex pluribus aliis fundamentis, quæ exponuntur*. XLIX. *Falsò ab Adversariis asseritur quod Consecratio sit præparatio ad Sacrificium*. L. *Refellitur etiam argumentum petitum ab Officio Diei Parasceves, in quo non offertur Sacrificium, nam illa Oblatio fit ex præconsecratis, & mysticè repræsentatur Mors Christi. Datur genuina lectio Canonis Concilii Laodicæni, & insinuatur vera praxis Græcorum in diebus Quadragesimæ*. LI. *Agitur de Consecratione Calicis, quæ ostenditur necessaria, & pertinere ad essentiam Sacrificii. Explicantur nonnulla monumenta Antiquitatis. Citantur non nulli PP. Cyprianus præsertim, & Bernardus, & explicatur eorum Mens*.

CAPUT II.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

Num. I. *Contra Missas Privatas debaccantur Hæretici*. II. *Illorum querelae, & cattones audiuntur; quarum præcipua est, quia adstantes non com-*

communicant III. *Communio in singulis Missis a nullo Divino præcepto exigitur, nec quod Missa coram multitudine celebretur. Agitur de antiqua disciplina circa locum celebrationis Missæ, & post multa concluditur.*

§. I. Missæ privatæ celebratio sine Communione Adstantium, Disciplina fuit Antiquiorum Ecclesiæ temporum.

Num. IV. *Laudantur Patres pro hac Sententia, & Concilia diversa.* V. *Presbyterorum augetur numerus dum fideles de Altari participare desinunt. Historica narratio ordinatur de numero Presbyterorum, & Altarium a temporibus S. Leonis tum Romæ tum alibi commorantium, ut Missas privatas celebrarent.* VI. *Fundamenta Novatorum audiuntur, qui contendunt in qualibet Missa Panem esse frangendum, & si aliter fiat non est Christiana Missa, nec cum instituto Christi convenit.* VII. *Longa oratione convincuntur hæretici de ludicra Scripturarum intelligentia, ut simplices in suum trahant errorem. Neque arceri, neque teneri fideles ad Communionem cum Missæ intersunt ostenditur, & Opus solius Sacerdotis in ceteros, si ad sint, derivare; imo etiam & prodesse illis, qui absunt. Datur verus sensus verbis Chrysostomi, qui Adversariis videtur favere. Antiqua ponitur Ecclesiæ praxis in Communione adstantium Sacrificio Missæ. Explicantur verba Apostoli in Epist. ad Cor.* VIII. *Aliorum PP. auctoritate abutuntur Adversarii, ut contra Missas privatas sæviant. Exponitur verus sensus verborum Chrysostomi, quem in suam Sententiam trahunt Sectarii. Item canon. 5. Concilii Toletani duodecimi. Humbertus, & Walfridus Missam accepisse ostenduntur, non pro Sacrificio tantum, sed ut medium ordinatum ad nutriendum populum pabulo Spirituali. S. Basilius, & Hieronymus perperam citantur, cum agant de Schismaticis, & Hæreticis. Describitur Græcorum consuetudo circa multiplicationem Altarium.* IX. *Sancti Viri vindicantur, quod habuerint in contemptu Missas Privatas, quia illas illicitas aguoverint; & præcipue explicatur textus petitus ab Epistola S. Francisci Assisiensis ad Sacerdotes sui Ordinis.* X. *Agitur de Missis Solemnibus, Publicis, Privatis, & Solitariis.* XI. *Agitur de Ministris, & numero audientium, ut Missa celebrari possit.*

§. II. Sacrificium Missæ Propitiatorium est pro Poenis, & quibuscumque Culpis, & est Impetratorium Beneficiorum spiritualium, & temporalium, ideoque Offerri potest pro peccatis, pro pœnis, & pro quibuscumque aliis necessitatibus.

Num. XII. *In Lege veteri triplex fuit Sacrificiorum Species, & singulæ explicantur, & singulæ in unico Sacrificio novæ Legis exprimuntur* XIII. XIV. *Ostenditur Assertio ex Verbis Institutionis, ex Liturgiis, & PP. & Conciliis, & ex maxima utilitate, quæ Vivis, & Defunctis advenit, si pro illis offeratur, ut fert praxis Ecclesiæ, & ex illius excellentia, qua longe præstat Sacrificiis antiqui Testamenti.* XV. *Quæritur unde nam insit tanta vis Sacrificio Missæ? & quia a multis offertur, indicatur quomodo singuli in hunc effectum influant, & quid ipsi Operi debeatur.* XVI. *Sacrificium Missæ habet vim ex Opere Operato, non ad modum Sacramentorum, sed per modum impetrationis ultra omne meritum operantis Mini-*

nistri ex quo Calvini querela confutatur. XVII. *Exponitur paritas Sacrificii Crucis quod justificavit impetrando Justificationis gratiam, quam Christus moriendo omnibus promeruit*, XVIII. *Confutantur Etherodoxi, quia imponunt Theologis Catholicis, quod docuerint Missæ Sacrificium suum effectum operari* sine bono motu utentis, *& explicatur vera Doctrina Theologorum* XX. *Missæ virtus per se infinita est, quomodo vero finita reddatur explicatur. Ex hoc tamen non sequitur, quod si offeratur pro uno illi magis prosit quam si pro pluribus offeratur. Adduntur aliqua Consectaria.* XXI *Asseritur quod licet Sacerdos Sacrificium offerat pro Personis particularibus, semper etiam tenetur illud offerre pro omnibus, nisi a lege prohibeatur. Hic notatur error Originistarum, & Fabula de liberatione Trajani, & Falconillæ.*

C A P V T. III.

DE NECESSITATE SACRIFICII MISSAE. ET QUID CIRCA HOC OBSERVARE CONTINGAT.

Num. I. *Expenditur natura illius necessitatis, de qua hic agitur & scopus quæstionis fertur vel ad Sacerdotes, vel ad Fideles.*

§. I. Quilibet Sacerdos tenetur rigoroso præcepto, & sub peccato mortali ad Sacrificandum, nisi legitimo aliquo impedimento excusetur.

Num. II. *Pluribus fundamentis probatur hæc Assertio.* III. *Saltem diebus Dominicis, & aliis festis ex solemnioribus communiter ad hoc opus peragendum a S. Canonibus obligantur; si vero curam Animarum habuerint tantum obligantur, quantum requiritur, ut suo muneri satisfaciant* IV. *Nonnullis diebus intra annum abstinere debent a Missarum celebratione, & qui sint illi dies exponitur, & quæ fuerit antiqua Ecclesiæ disciplina.* V. *Neque illis licet recedere a Canonicis Sanctionibus, quæ unius missæ quotidianam celebrationem permittunt, nisi in die natalis Domini. Additur quis fuerit antiquus mos.* VI. *&* VII. *Qua hora Celebrari debeat per Sacros Canones definitur, & indicantur particularia Privilegia.* VIII. *Locus proprius statuitur in quo debet celebrari Missa, & varia referuntur juxta varietatem temporum, & circumstantiarum. & personarum* IX. *Inter conditiones, quæ Locum afficiunt, in quo Missa celebrari debet est quod non sit pollutus, & in illo sit Altare Consecratum. Poenæ indicuntur contra Canonum in hac materia refractores, & structura, & materia Altarium. Reprehenduntur Hæretici, qui Altarium consecrationem derident: & explicantur Patres illi, qui altarium usum ablegarunt.* X. *Luminaria, & Vasa Sacra Calices, & Patenæ sunt in usu Sacrifici Missæ.* Canones *indicantur, qui de his agunt. Reprobantur Hæretici apud quos hic usus malè audit, explicantur nonnullæ auctoritates Catholicorum scriptorum. Agitur de Paramentis Altaris*. XI. *Non sine peculiaribus Vestibus celebrabant Apostoli, & illorum Successores, describuntur singulæ hæ Vestes* XII. *Capite detecto Sacerdotes celebrant, & Rubricas consulere tenentur.*

§. II.

§. II. Fideles etiam jure Ecclesiastico, quod in Divino fundatur, tenentur certis diebus, quos Festos appellamus, sistere se præsentes Missæ Sacrificio.

Num. XIII. *Fideles singuli, ut diebus Dominicis Sacris Mysteriis intersint, a tertio Ecclesiae saeculo Eliberitani Concilii Patres, primi, deinde aliarum Synodorum Statuta praeceperunt. Usus hic a temporibus Apostolorum incepit.* XIV. *Praecipitur quod integra Missa audiatur, nec compelluntur Fideles his diebus ad suas Paracias accedere. Varias conditiones exigunt Tridentini PP. & pracipuae recensentur.*

C A P U T. IV.

DE LITURGIIS.

§. I. A primis Incunabulis Ecclesia suis Liturgiis non caruit, plures tamen earum, inter Apochrifa Monumenta rejicimus.

Num. I. *Unde veteres Liturgiam appellaverint, & quare multiplicem tradiderint?* II. *Petri Liturgia non esse genuinum ejus opus ostenditur.* III. *De Matthaei, & Marci Liturgiis idem sentiendum est.* IV. *Jacobi Liturgia genuinum opus creditur, & demonstratur.* V. *Duae Liturgiae, quae ab Orientalibus attribuuntur* XII. *Apostolis, & tertia, quae adscribitur S. Barnabæ rejiciuntur, non vero Liturgia Clementis.* VI. *Vindicatur etiam Liturgia Dionysii Areopagitæ.* VII. *Basilius, & Chrysostomus breviores Liturgias composuerunt. Vanslebius plures alias recenset, usque ad* XII. *Abraham Ecchellensis alias enumerat supra quinquaginta.* VIII. *Quaelibet Liturgia, aut Latino, aut Graeco Idiomate exponitur. Recensentur utriusque Ecclesiae Ritus. Licet Ritus pluribus Ecclesiis communis sit, varius tamen in aliquibus est Ordo. Illyricus notatur qui scribit se fuisse primum Missae Latinae editorem.* IX. *De Idiomate Missae agitur. Disciplina Variarum Ecclesiarum describitur, & confutantur Haereticorum nugae.* X. *Agitur de mutatione, quae in Liturgiis permittitur, dummodo tamen sit accidentalis.*

§. II. Conveniens fuit præter verba Consecrationis, alia in Liturgiis inserere, quæ, vel Consecrationem præcederent, vel subsequerentur.


Num. XI. *Hujus assertionis ratio exponitur.* XII. *Non est inordinatus modus quo Canonis verba recitantur.* XIII. *Ratio datur quare in Latina Liturgia inserantur nonnullae voces Hebraicae & Graecae.* XIV. *Concluditur quod in Missa nihil est erroneum & nihil superstitiosum.* XV. *Exponitur institutio, & Ordo Canonis.* XVI. *Novas preces ex propria devotione Liturgiae addere vetitum est. Cantus permittitur, & ejus antiquitas traditur.* XVII. *de Cæremoniis agitur quae in Actionibus consistunt.* XVIII. *Populus a Sacerdote dimittitur peracto Sacrificio. Hujus moris antiqua traditur Disciplina, & recens in alterutra Ecclesia. Agitur de more Latinorum, si Episcopus celebrat, qui si absit, Sacerdos Populo benedicit. Agitur de hac benedictione, & de ceteris, quae sequuntur post peractam Liturgiam.*

DO-



DOCTRINA CRISTIANA
DE SACRAMEMTIS
AB ETHERODOXORUM ERRORIBUS VINDICATA.

TRACTATUS PRIMUS
DE SACRAMENTO BAPTISMI
CAPUT PRIMUM
DE BAPTISMO JOANNIS.



E Sacramento Baptiſmi diſputaturum me præfari oportet baptizandi ritum lege Evangelicâ fuiſſe longe antiquiorem. Meminit hujus Cæremoniæ Seldenus in lib. 1. Synedrii dicens *Abaronem, & Filios ſuos Sacerdotio initiandos initiationis baptiſmum recepiſſe:* meminit Joſephus in lib. 2. ſuæ hiſtoriæ Iudaicæ cap. 8. ritum hunc floruiſſe in Eſſenorum Sectâ pietatis nomine laudatiſſimâ; eundemque apud Ægyptiorum, & Æthiopum Sacerdotes ſe inveniſſe tradiderunt Apulejus, & Siculus Diodorus. Non quæram illorum rituum originem, quam certe non putarem repetendam ab Aquis Diluvii, ut credidit Grotius in cap. 3. matth. *in memoriam expiati per aquarum affluſſionem mundi*, nam huius rei principium a Moſaicis inſtitutis derivandum eſſe argumenta non contemnenda confirmant, illudque præ ceteris quod de Sacerdotibus Baptiſmo inaugurandis lex habetur in

 Exodo

Exodo cap. 29. Nostri instituti non est hæc controversia, quæ tamen alteri viam aperit, quam nos ex singulis, quæ de Babtismatibus Ethnicorum, & Hebræorum instituuntur nunc discutiendam eligimus; Utrum scilicet Joannis Baptismus ultimus, qui memoretur in lege Veteri, & primus in lege Evangelicâ, cum Christus per Joannem baptizari voluerit, dici debeat verum & proprium Sacramentum.

§. *Unicus. Exponuntur fundamenta pro alterutrâ opinione, & negativa Sententia affirmativa præfertur.*

II. Nihil huic Baptismo defuit, non Solemnitas, non Ritus, non Effectus. Solemnitatem nobis præseferunt verba Scripturæ: *Exibat ad Joannem Jerosolyma, & omnis Judæa, & omnis regio circa Jordanem & baptizabantur ab eo in Jordane confitentes peccata sua:* Non defuit Ritus, nam Pharisæis sciscitantibus cur baptizaret si non erat Christus? respondit Joannes: *ego baptizo in Aquâ*; imo hunc ritum non fuisse ab hominibus, sed a Deo, qui peculiari Spiritus Sancti revelatione Joannem ad Baptizandum miserat, protestatur D. Thomas p. 3. q. 38. n. 2. in corpore: tandem neque illius effectum Joannes ipse dissimulat addens: *ego baptizo in aquâ in pœnitentiam*, vel ut esplicat Marcus c. 1. *in remissionem Peccatorum*. Sed quanquam hæc probabiliter dicta videantur, tamen

III. Petilianum Donatistam Catholici dogmatis desertorem fuisse propugnamus, qui Joannis, & Christi Baptismum unum asseruit, & quotquot ex Lutheranorum turbâ prodiere falsitatis magistros detestamur, qui docuerunt Baptismum illum Sacramentum fuisse, peccata remisisse, & Baptizatos a Joanne salutaribus aquis non fuisse iterum Christi Baptismo consecrandos.

IV. Jn pluribus Joannis Baptismus differt a Baptismo Christi, præcipue vero ratione formæ, ratione effectus, & ratione subjecti. Quod pertinet ad Auctorem, negari certe non debet fuisse Joanni cœlitus inspiratum hunc Baptismum, eumdemque missum a Deo, ut tale munus impleret. Id ex scripturis sanctis eruitur, non vero fuisse imperatum ritum, & formam. Unde Joannes se non baptizare Baptismo Christi Judæis declarabat, sed suo, qui erat in aquâ, & in pænitentiam: *Ego baptizo vos in aquâ in Pænitentiam* cum Baptismus Christi futurus esset in spiritu, ille *baptizabit in spiritu, & igne*. Propter hoc discrimen Paulus in Actis Apostolicis jussit baptizari Baptismo Christi omnes illos in quos descenderat Spiritus Sanctus baptizatos jam Joannis baptismo, quod certe non imperasset, si idem fuisset Baptismus Christi, & Baptimus Joannis.

V. Torsit dudum Novatorum ingenia hæc narrata ex Actibus Apostolorum historiâ, unde in varias abeunt interpretationes, ut difficultatem eludant. Plerique volunt Textum citatum intelligendum esse metaphorice, scilicet pro doctrinâ utrique Baptismo communi, ut qui antea solum instituti fuerant in doctrinâ Joannis jusserit Apostolus institui in Doctrinâ Christi. Metaphoricum sensum ita alii defendunt, ut pro doctrinâ accipiant Baptismum Joannis, pro Donis Spiritus S. Baptismum Christi. Metaphoram alii extendunt in uno Baptismo, veritatem sermonis in altero. Tandem utrumque textum Scripturæ interpretantur alii in sensu proprio, & illos duodecim viros iterum baptizatos ajunt, quod non habuissent illi verum Baptisma Joan-

Joannis, sed corruptum, & adulteratum quo ad formam, nimirum sine nomine Spiritus Sancti.

Nunquam Opinionum dissensio fuit tuta veritatis nota: quare singulas has interpretationes veluti pueriles cantilenas despicimus, & ut impias, & sacrilegas opiniones detestamur. Præconceptis opinionibus historicæ narrationis sensum exponere, historiæ bonum corrumpere est: veritatem fallis argutiis tegere, fidelibus auribus scandalum, & contumelia; omnium Ecclesiæ Patrum consensioni adversari, perfractæ frontis opus est, infidelis animi, & hominis hæretici. Quotquot ex Ecclesiæ Patribus interpretantur verba Scripturæ narrantis hoc factum, Augustinus, Chrysostomus, Beda, Oecumenius, aliique, viros illos iterum fuisse baptizatos docent.

VI. Nec Kemnitius addit aliam rationem huius restitutionis baptismi, nimirum diversam utriusque Baptismi significationem, etiam si ministerium idem esset quo ad substantiam. Baptismus Ioannis significabat Christum esse venturum, Baptismus Christi Messiam venisse; unde sicuti qui acceperant Circumcisionem, quæ significabat Christum venturum tenebantur Baptismo Ioannis, ita Baptizati hoc Baptismo debuerunt rebaptizari Baptismo Christi.

Si varietas significationis cogeret reiterationem Baptismi, Apostoli debuissent iterum Baptizare post Christi Resurrectionem quotquot abipsis baptizati fuerant ante Christi passionem, eo quod hæc divina significandi ratio intererat; non fecerunt tamen. Igitur non est argutia Kemnitii, quæ mandatum explicat Apostolicum, sed utriusque Baptismi variata substantia. Quando in Sacramento omittitur aliquid quod est de necessitate Sacramenti, docet D. Thomas l. c. non solum oportere supplere quod fuerat omissum, sed oportere omnino innovari. Est autem de necessitate Baptismi Christi quod fiat non solum in aquâ sed etiam in Spiritu Sancto secundum illud Joannis *nisi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei*. Unde illis qui tantum in aquâ baptizati erant Baptismo Joannis non solum erat supplendum quod deerat, ut scilicet daretur eis Spiritus Sanctus per impositionem manuum, sed erant iterum baptizandi in Aquâ, & Spiritu. Hanc futuram sui Baptismi repetitionem ipse Propheta veritatis apertissime vidit, hanc prædixit Pharisæis, & Sadducæis venientibus ad baptismum suum, & propterea ait illis, *ego quidem baptizo vos aquâ in pœnitentiam: ipse*, scilicet Christus, *vos baptizabit in Spiritu* alioquin vana esset illa repetitio, nisi iterum novo baptismate donari debuissent.

VII. Alterum discrimen inter Joannis, & Christi Baptismum suppeditat dispar in utroque effectus. Hic non negatur Baptismum Joannis potuisse aliquam gratiam producere, quod neque negat D. Augustinus lib. 5. de Baptismo c. 10. tamen diversâ viâ, a Baptismo Christi, Baptismus Christi producit gratiam ex opere operato, idque convenit Sacramentis novæ legis, ut diximus in Prolegomenis cap. 1. §. 3. at Baptismus Joannis aliquam gratiam producebat ex opere operantis, scilicet juxta suscipientis dispositionem, devotionem, & fidem, & ratione pœnitentiæ si modo perfecta erat, quæ ad optinendam salutem sufficiebat nondum publicato Evangelio. Ceterum ex suâ naturâ gratiam non operabatur, nec peccatorum remissionem. *Non renascebantur* inquit D. Augustinus Enchiri. cap. 49. *qui Baptismate Joannis baptizabantur*, & D. Hieronymus hujus rei causam repe-

 tit

rit ex verbis ejusdem Præcursoris. *Si Joannes* inquit Dialogo contra Luciferianos, *ut confessus est non baptizavit in Spiritu, consequenter nec peccata dimisit*. Nec ad rem facit quod Baptismus Joannis esset de Cœlo, ut videtur colligi ex cap. 21. Matth. *Divinum* quidem scribit Tertullianus lib. de baptismo *eum Baptismum fuisse mandatum, tamen non & potestate, quod & Joannem a Domino missum legimus in hoc munus, ceterum humanum conditione, nihil enim cœleste præstabat, sed cœlestibus præministrabat, pœnitentiæ scilicet præpositus, quæ est in hominis potestate*. Etiam lex vetus erat de Cœlo, & non propter hoc tribuebat remissionem peccatorum: *ex operibus legis non justificatur homo* ad Rom. cap. 3. quia non conferebat Spiritum Sanctum omnis gratiæ, & virtutis Auctorem, unde iterum D. Hieronymus l. cit. ab hoc defectu, qui erat in Baptismo Joannis repetit caussam cur ab Apostolis iterum baptizarentur illi, qui erant baptizati a Joanne: *Iterum*, inquit, *baptizabantur, ne quis putaret Gentibus, ac Judæis Aquas sine Spiritu Sancto ad salutem posse sufficere*. Eadem docuit Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joan. cap. 57. & præterea advertit Spiritum S. prævidisse futuros aliquando temerarios homines, qui non discernerent Christi Baptisma a Joannis baptismate, ideoque impulisse ipsum Joannem ut apertissime diceret se solum in aquâ baptizare. *In Aquâ baptizat* repetit Gregorius homil. 7. & 20. super Evangelia *quia peccata solvere non valet*. Hoc idem discrimen agnoverunt Tridentini Patres, a quibus propterea sess. 7. can. 1. de Baptismo definitum est: *si quis dixerit Baptismum Joannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi Anathema sit*. Eadem docuit D. Thomas l. c. a. 3. ubi tamen advertit hunc baptismum non fuisse inutilem, nam ad gratiam tripliciter præparabat. *Uno quidem modo per doctrinam inducentem homines ad fidem Christi. Alio modo assuefaciendo homines ad ritum Baptismi Christi. Tertio modo per pœnitentiam præparando homines ad suscipiendum effectum Baptismi Christi*. .

VIII. Ultimum quod addidimus discrimen, in discrimine Recipientium dedimus. Christi Baptismus datur omnibus, nec fit distinctio inter parvulos, & adultos, ægros, & validos, rationis compotes, & imbecilles, Ethnicos, & Judæos, nam idem Dominus universorum. At Baptismus Joannis solis adultis tradebatur, Judæis solum, & non Ethnicis. *Egrediebatur ad eum*, sic describit D. Marcus c. 1. conditionem hominum confluentium ad Joannem ut baptizarentur: *Omnis Judeæ Regio, & Jerosolymitæ universi baptizabantur ab illo in Jordanis flumine confitentes peccata sua*. Jam indicatum est genus, & indicata ætas baptizandorum, *confitebantur peccata*, quod de solis adultis dici potest confessionis, & pœnitentiæ idoneis; ergo nullus ex Gentilibus a Joanne est baptizatus.

IX. Illud etiam non constat an Joannes ulli ex suis Discipulis baptizandi munus demandaverit. Negant communiter, cum tamen Christus solemni præcepto tantum onus Discipulis omnibus commendaverit. *Ite in universum mundum* &c. *Docete eos Baptizantes* &c.

X. Ad hæc Baptismus Joannis non erat Cæremonia quædam statuta, vel permanens, vix enim uno, aut altero anno duravit, quæ singula satis certe, ut opinor, probant discrimen hujus baptismi a Baptismo Christi.

XI. Verum ut occurramus cuilibet difficultati, quæ a Novatoribus fieri posset. Noto 1. quandoque Baptismum Christi in sacrâ Scripturâ his notis distingui *pœnitentiæ, & remissionis peccatorum*, ut distinguitur Baptismus Joannis. *Pœniten-*

tentiam agite inquit D. Petrus Actuum 2. *& baptizetur unusquisque vestrum*. Mox: *baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*. Ex his autem loquendi formulis nihil infertur pro Novatoribus, si modus locutionis attente observetur. Petrus præsupponit pœnitentiam necessariam Baptismo Christi. Joannes de illa agit tamquam de effectu sui Baptismi *Baptizo vos aquâ in pœnitentiam*. Petrus remissionem peccatorum tribuit Baptismo Christi veluti effectum primarium ejusdem Baptismi, at Joannes de suo baptismo hoc non dicit, sed de pœnitentiâ, quam qui agebant, ut oportebat, consequebantur remissionem peccatorum *Prædicans baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum*. Vide, Basilium lib. 1. de Bapt. cap. 2. & Gregor. Nyssenum in Oratione de laudibus Basilii.

XII. Noto 2. Non oportuisse, ut Christus suo Baptismo baptizaretur, ut decuit illum baptizari Baptismo Joannis, & circumcidi. Ultimum præstitit, ut suam originem ab Abrahamo, & Davide demonstraret. Ad primum *accessit, vel sanctificaturus Baptismum*, inquit Nazianzenus; *vel quia voluit facere*, ut notat Augustinus in sermone de Epiphan. *quod omnibus imperaverat* juxtà illud quod dixit Matth. 3. *decet me implere omnem justitiam*. *Hæc est justitia* explicat D. Ambrosius super Luc. *ut quod alterum facere velis prior ipse incipias, & tuo alios horteris exemplo*. Cum vero Baptismus Christi habeat efficaciam mundandi a peccato, & gratiam conferendi, cum nullo istorum ipse indigeret, non debuit suo Baptismo baptizari D. Tho. q. 39. a. 2. ad 2.

XIII. Noto 3. quod quanquam nulla Scriptura aperte doceat vel Joannem fuisse baptizatum a Christo, vel Apostolos non fuisse baptizatos alio Baptismo quam Baptismo Joannis, tamen credibile est Apostolos fuisse rebaptizatos Baptismo Christi: quare Augustinus Epist. 180. ad Seleucianum *Intelligimus*, inquit, *discipulos Christi fuisse baptizatos sive Baptismo Joannis, sicut nonnulli arbitrantur, sive, quod magis credibile est, Baptismo Christi, neque enim ministerio baptizandi defuit, ut haberet baptizatos servos, per quos ceteros baptizaret, qui non defuit memorabilis illius humilitatis ministerio, quando eis pedes lavit*: Ita pariter D. Chrysost. super Matth. per *hoc*, inquit, *quod Christus Joanni dicenti*: ego a te debeo baptizari, *respondit*: fine modo, *ostendit quod postea Christus baptizavit Joannem, qui tamen, etsi non fuisset baptizatus, mirum non fuisset, quia mortuus est antequam lex Evangelica obligaret*.

XIV. Notandum ultimo, quod ideo placet Novatoribus Baptismum Joannis non differre a Baptismo Christi, quia hæc opinio magis cohæret cum reliquâ illorum doctrinâ de Sacramentis. Ceterum Lutherus initio suæ prædicationis hæc Baptismata distinguebat. Suam Sententiam aperuit in disputatione de Baptismo legis Joannis & Christi æditâ an. 20. in quâ negavit covenire Baptismo Joannis & nomen Sacramenti, & effectum remissionis peccatorum, & deinde asseruit quod deberet reiterari. Luthero consenserat Melanctonus, sed universus Lutheranorum grex post natas de efficaciâ Sacramentorum controversias, rejectâ verâ doctrinâ de hoc Baptismo Joannis, ad sua desideria Sententias iniquitatis, & temeritatis plenas coacervavit.

XV. Verum nos non deterreat fuisse inter ortodoxos Theologos qui defenderint baptizatos Baptismo Joannis non debuisse baptizari Baptismo Christi; & Baptismum Joannis fuisse Sacramentum quoddam qualia erant Sacramenta veteris legis; nam cum aliqui adverterent Apostolum jussisse illos ex baptizatis Baptismo Joannis rebaptizari Baptismo Domini Jesu Christi, quos invenerat

non

non credentes in Spir. Sanctum, (quod neque si Spiritus S. esset audiverant) malâ ilatione statuerunt illos ex baptizatis a Joanne, qui crediderissent in Spir. S. (ut non pauci erant) non debuisse rebaptizari. Hoc ratiocinio ductus Magister Sententiarum lib. 4. dist. iii. 2. ita scripsit: *Illi qui baptizati sunt a Joanne nescientes Spiritum Sanctum esse, ac ponentes spem in illius Baptismo postea baptizati sunt Baptismo Christi. Illi vero, qui spem non posuerunt in Baptismo Jo. & Patrem, & Filium, & Spiritum S. credebant non baptizati fuerunt*. Verum, quia Baptismus Joannis neque gratiam conferebat, neque Characterem imprimebat, sed erat solum in aquâ, & fides, & spes, quam habebant in Christum non poterat hos defectus supplere, ideoque id quod asseritur â Magistro Sententiarum penitus irrationabile cognoscitur a D. Thoma l. cir. a. 6. in Corpore, qui S. Doctor quanquam scribens in Sententias defenderit Baptismum Joannis fuisse Sacramentum veteris legis, tamen in articulo primo ejusdem q. 38. in responsione ad 1. hanc opinionem corrigens scribit *quod Baptismus Joannis non erat per se Sacramentum, sed quasi quoddam Sacramentale disponens ad Baptismum Christi, & ideo aliqualiter pertinebat ad legem Christi, non autem ad legem Moysi*.

C A P U T II.

DE HIS QUAE PERTINENT AD SACRAMENTUM BAPTISMI.

§. I. *Natura, sive essentia Baptismi in quo consistat, exponitur*.

B*Aptisma* est Græcis, quod nos *immersionem* dicimus, Ritui accomodatum nomen, cum aquis immergerentur, qui hoc Sacramento donabantur, *triduanæ sepulturæ*, ut scribit D. Gregorius Lib. I. Epist. 41. *mysterium signantes, ut dum tertiò ab Aquis infans educebatur, resurrectio triduani temporis exprimeretur*. Baptismus *Regenerationis, & Renovationis Spiritus Sancti* Sacramentum appellatur ab Apostolo ad Tit. 3. *Sacramentum Adoptionis* dicitur in Epist. ad Ephes. cap. 2. *Mors Sepultura, Resurrectio* ad Rom. *Janua Sacramentorum* dicitur a Theologis, quos secutus Bonifacius VIII. in Cap. 2. de cognat. Spirit. in 6. vocat Baptismum *Sacramentorum fundamentum, & januam reliquorum*. Multis autem modis vocatur hoc opus inquit Clemens Alexandr. Lib. 1. Pædagogi Cap. 6. *Gratia, Illuminatio, Perfectum, & Lavacrum. Lavacrum quidem per quod peccata abstergimus, Gratia, qua remittuntur pœnæ, quæ peccatis debentur. Illuminatio per quam Sanctam illam & salutarem lucem speculamur, per quam id quod est Divinum perspicimus. Perfectum demum dicimus cui nihil deest, & ut uno verbo illius naturam, & effectus omnes complectar Sacramentum dicam regenerationis per aquam in verbo vitæ, quod dixit Joan. 3. & Apostolus ad Ephes 5.*

II. Abest toto Cœlo a Sacramenti Baptismi acceptione illa Definitio Baptismi, quæ traditur a Melanctono *Bbaptismus* inquit *signum est, quo Deus nobiscum agit, & recipit nos in gratiam*. Abest etiam a verâ doctrinâ definitio Calvini, quæ legitur in Lib. 4. Instit. Cap 15. §. 1. *Baptismus est signum*

ſignum initiationis, quo in Eccleſia cooptamur ſocietatem, ut Chriſto inſiti inter filios Dei cenſeamur. Unde nam conſtat ex his definitionibus Baptiſmum eſſe ſenſibile gratiæ Santificantis ſignum a Deo permanenter inſtitutum?. Aut unde conſtat ex his definitionibus homines Baptizatos ſpirituali vitæ donari non per modum ſuſcitationis a mortuis, ut fit per Pœnitentiæ Sacramentum, ſed per modum generationis juxta illud Chriſti Domini ad Nicodemum: *oportet vos naſci denuo*, aut illud Joannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spir. S. non poteſt introire in Regnum Dei*.? jam Circumciſio operabatur id, quod juxta Calvinum operatur nunc Baptiſmus, imo verbum Dei operatur idem; ſiquidem per illud initiamur, & cooptamur in Eccleſiam. Nihil ergo debet eſſe peculiare Baptiſmo per quod a verbo Dei, a Circumciſione, a ceteris Sacramentis diſtinguatur, quoniam neque Melanctonus hoc diſcrimen demonſtrat. Patet igitur quam ſint erroneæ hujusmodi definitiones.

III. Placuit D. Thomæ definire Sacramentum Baptiſmi *Ablutionem exterius factam ſub præſcriptâ verborum formâ*, ut corrigeret quorumdam errorem, qui in baptiſmo non diſtinguebant id quod eſt Sacramentum tantum ab eo, quod eſt res tantum, ex quo deinde fieri oportuit ut crederent Aquam eſſe Sacramentnm. Scribit itaque D. Thomas Queſt. 66. a. 1. *Sacramentum tantum, eſt aliquod viſibile exterius exiſtens, quod ſcilicet eſt ſignum interioris effectus, hoc enim pertinet ad rationem Sacramenti: exterius autem ſuppoſitum ſenſui eſt ipſa aqua, & ejus uſus, qui eſt ablutio. Quidam vero exiſtimaverunt quod ipſa Aqua ſit Sacramentum, quod quidem ſonare videntur verba Hugonis de S. Victore, nam ipſe in communi definitione Sacramenti dicit quod eſt materiale elementum, ut in definitione Baptiſmi dicit quod eſt Aqua, ſed hoc non videtur eſſe verum, cum enim Sacramentum novæ Legis quandam Sanctificationem operetur ibi perficitur Sacramentum, ubi perficitur Sanctificatio. In aquâ autem non perficitur ſanctificatio, ſed eſt ibi quadam ſanctificationis virtus inſtrumentalis non permanens ſed fluens in hominem, qui eſt vera ſantificationis ſubiectum, & ideo Sacramentum non perficitur in ipſâ aquâ, ſed in applicatione aquæ ad hominem quæ eſt ablutio*,

§. II. *Materia remota Sacramenti Baptiſmi eſt aqua naturalis*.

IV. Conſtat hæc propoſitio ex ſacris Paginis, tum ex ſuperiore Joannis loco *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ* &c. tum ex Actibus Apoſtol. qui ſemper in aquâ Baptizare coſueverunt; tum ex Concilio Trid. Seſſ. 7. Can. 2. *Si quis dixerit Aquam veram, & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi, atque adeo verba illa Domini noſtri Jeſu Chriſti*: niſi quis renatus fuerit &c. ad *Metaphoram aliquam detorſerit anathema ſit*. Hinc merito damnati fuerunt Hæretici *Seleuciani* qui non aquâ ſed igne baptizabant, ut refert D. Auguſt. hæreſi 19. & *Flagellantes*, qui circa annum 1300. ſanguine ſuo ſe baptizabant, temere interpretantes verba Matth. Cap. 3. *ille vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni* & illa 1. Epiſt. Joan. Cap. 5. *Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem, non in aquâ ſolum, ſed in aquâ, & ſanguine*, alijque plures. Per Aquam naturalem intelligimus aquam maris, fluminis, ex parietibus profluentem, reſolutam ex ſale, ex nive, ex glacie ex vapo-

vaporibus densatis collectam, sive veram, sive miraculosam, qualis fuit, quæ ex latere Christi, & quæ ex silice per Moysem percusso profluxit. Non incongrue Christus Dominus usus est Aquâ in suo Baptismo, cum in illa reperiatur magna proprietas ad significandam interiorem munditiam: quare in Job. cap. 9. legitur v. 30. *si lotus fuero quasi aquis nivis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ*; & ipsi gentiles credebant leviora peccata aquâ fluviatili, majora vero marinâ expiari posse.

V. Infertur ex his quod apta haberi non possit materia Sacramenti Baptismi quælibet alia Aqua, quæ sit totaliter alterata, saliva, lac, sudor, lachryma, aqua ex vitibus, plantis, & floribus distillata, cervisia, vinum &c. quapropter *Apochryphum* habemus Responsum Stephani *II.* quod inferitur in Tom. 17. Conciliorum his verbis: *Si in vino quis, propterea quod aquam non inveniens, ac omnino periclitantem infantem baptizavit, nulla exinde ei adscribitur culpa; infantes sic permaneant in ipso Baptismo*, cum ejus responsi fides, unius dumtaxat Codicis MS. in Monasterio quodam Gallicano servati assertione nitatur, neque illius meminerint contemporanei Scriptores, nec certò constet utrum fuerit Stephani *II.* an potius Siricii, ut aliis placuit, vel Stephani *III.* vel alterius Stephani Tornacensis; & omninò inverisimile videatur Romanum Pontificem latuisse, quod quemque non fugit ex minoribus Clericis, secundum Doctrinam Evangelicam oportere ex aquâ, & Spiritu Sancto renasci. Quod si non Apochryphum sed legitimum Responsum illud haberi debeat, per nos liceat, dummodo Sirmondi editio in quâ legitur, mendosa habeatur, & restituatur suæ sinceræ lectioni additâ particulâ conditionali inter illa verba: *nulla ei exinde adscribatur culpa*, & illa: *Infantes sic permaneant in suo Baptismo*; ita ut hæc sit vera lectio: *Nulla ei exinde adscribitur culpa, si infantes sic permaneant in suo Baptismo*, sic enim responsio recte procedit, & eruitur ex verbis sequentibus: *Nam si Aqua adfuit præsens, ille Presbyter excommunicetur, & Pœnitentiæ submittatur, quia contra Canonum Sententiam agere præsumpsit*, ejusmodi ergo pœnas Pontifex in suo responso infligendas negat Presbytero, qui cum aquam non invenisset, periclitantem infantem in vino baptizavit.

VI. Tanta quantitas aquæ requiritur, ut possit corpus abluere, cum in solâ ablutione baptismi materia proxima cognoscatur, sive postea Baptismus fiat per *immersionem*, sive per *aspersionem*, sive per *infusionem*. Immersionis usus frequentior fuit, & ad nostram usque pervenit ætatem, cum Ambrosiana Ecclesia ter mergat caput infantium in fontem, & Jacobitis idem mos sit, ut notat Wanslebius in historiâ Gallicâ Ecclesiæ Alexandrinæ parte 2. cap. 21. Immersionis ritum describit Tertullianus in libro de Coronâ militis: *Ter mergitamus amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit*. Consentiunt Cyrillus Jerosol. Cathechesi 2. mystagogica ad baptizatos, Basilius Magnus, & Hjeronymus Dialogo contra Luciferianos, qui trinam mersionem inter Apostolicas traditiones recenset. In Canone 50. Apostolorum sic legitur: *si quis Episcopus, aut Presbyter non trinam mersionem unius mysterij celebret. Sed semel mergat in baptismate, quod dare videtur in Domini morte, deponatur*. Hæreticum ergo habuerunt veteres Ecclesiæ Patres Eunomium, qui in Concilio I. Constantinopolitano cap. 7. & Quinisexto Canone 95. auctor legitur novi ritus conferendi baptismatis sub unicâ mersione, quod jam scripserat Sozomenus

in

in suâ historiâ Ecclesiasticâ lib. 1. cap. 26. sed cum hac animadversione Theophronium Capadocem, & Eutichium apparuisse istius hæresis defensores acerrimos, cum se ab Eunomio avulsissent. Verum audiamus Magnum Gregorium, qui efflagitanti S. Leandro Hispalensi Episcopo quid de utroque ritu sentiret? Respondit lib. 1. Epist. 41. *De trina mersione Baptismatis nihil respondere verius potest quam ipsi sensistis, quia in una fide non efficit Sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa. Nos autem quod tertio mergimus triduanæ sepulturæ Sacramentum signamus, ut dum tertiò ab aquis infans educitur resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis forte etiam pro veneratione summæ Trinitatis æstimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit, baptizandum in aquis semel mergere, quia dum in tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus poterit infantem in baptismate vel ter, vel semel mergere, quando & in tribus mersionibus Personarum Trinitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari. Quod si nunc usque ab hæreticis infans in baptismate tertiò mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo, ne dum mersiones numerant, Divinitatem dividant, dumque, quod faciebant faciunt, morem vestrum se vicisse glorientur.* Altercationibus inter Theologos excitatis tanti Pontificis auctoritas occurrere debuisset, & novam in aliquibus Ecclesiis introductam disciplinam confirmare. Hanc certè probavit Concilium IV. Toletanum decernens can. 6. unicam ab omnibus in baptismate faciendam esse mersionem, neque per ducentos annos contra hanc novam consuetudinem conclamatum est, sed tandem Alcuinus, & Walfridius veterem opinionem suscitarunt, ille in epist. 81. ad Paulinum scribens de quibusdam hæresibus Hispaniæ, & in epist. 69. ad Fratres Lugdunenses, hic vero in libro de rebus Ecclesiasticis cap. 26. nihil tamen profecerunt, quòd Concilium Wormatiense anno 868. can. 5. utrumque ritum rectum statuerit, utrumque irreprehensibilem in Sanctâ Dei Ecclesiâ habendum esse.

VII. Quamvis vero immersio apud Veteres prævaluerit, probatur tamen non fuisse interdictam, vel aspersionem, vel infusionem; etsi nonnulli dubitaverint de illarum validitate. Magnus Episcopus Affricanus inter illos enumeratur. Creditur etiam Cornelius Papa, & Marcus Ephesinus Episcopus. Magno super hoc dubio S. Cyprianum consulenti ita Sanctus Antistes respondit: *Nec quemquam movere debet quod aspergi, vel perfundi videantur ægri, cum gratiam consequuntur:* & post pauca, *apparet aspersionem aquæ instar salutaris lavacri obtinere, & quando hæc in Ecclesia fiunt, ubi sit, & Dantis, & Accipientis fides integra stare omnino, & consumari, ac perfici posse majestate Domini, & fidei veritate.* Cornelius Papa in Epistola ad Fabium Antiochensis Ecclesiæ Episcopum apud Eusebium lib. 6. Histor. Ecclesi. cap. 43. agens de Baptismo Novati, qui in lecto decumbens perfusus fuerat sic loquitur: *Dum jam jamque moriturus creditur in ipso quo jacebat lectulo perfusus, Baptismum suscepit, si tamen hujusmodi Baptismum suscepisse credendus est*; & Marcus Ephesinus inter absurda statuit quod post unionem Ecclesiarum in Grecâ, & Latinâ Ecclesiâ bina baptismata peragantur, alterum quod trinâ immersione perficit baptizatum, alterum quod Aquæ infusione a summo vertice confertur.

VIII. S. Romanum fuisse per infusionem baptizatum a S. Laurentio in vetustissimâ Picturâ videtur, quæ Romæ est in Atrio Basilicæ S. Laurentii in

agro Verano, ibi S. Romanum in pelvi existentem S. Laurentius dexterâ benedicit, & sinistrâ manu urceum aquâ plenum ejusdem capiti affundit: eodem modo repræsentatur Baptismus Sancti Symphoriani, quem baptizavit S. Benignus. Alia exempla suppeditant Acta S. Gratiliani, Acta S. Bacchi junioris, Acta S. Liudgeri Episcopi, quibus accedit responsum Stephani secundi Papæ. Interrogatus enim, si liceret per necessitatem cum conchâ, aut cum manibus infanti in infirmitate posito aquam super caput fundere, & sic baptizare? Respondit: *Hic Baptisma, si in Nomine Sanctæ Trinitatis peractum fuerit firmiter permanebit præsertim cum & necessitas, exposcit, ut ille qui ægritudine detentus est hoc modo renatus particeps Dei regni efficiatur*. Ceterum absque hujusmodi necessitate infusionem summâ cum Religione cavebant, quod certe factum est saltem usque ad Sæculum XIV. a quo tempore edita sunt Ritualia, quæ plerumque effusionem præscribunt, & ita bene consultum est, tum periculis, tum valetudini baptizandorum, tum ministrorum, tum suscipientium pudori, cui tamen prudentissime consuluerat Othonis sanctissimi Pomeranorum Apostoli solicitudo, quæ legitur in ejus vitâ apud Surium lib. 2. cap. 15. die secundâ Julii.

IX. Infertur 2. immersionem sive trinam, sive unicam antiquitus nunquam fuisse necessariam, vel necessitate Sacramenti, vel necessitate præcepti Divini, neque contrarium docetur in Synodo CST. 1. can. 7. in quâ Patres ita loquuntur: *Eunomianos, qui in unâ demersione baptizantur ad Ecclesiam venientes admittimus, sed postea Baptizamus*; nam ideo ab Eunomianis baptizati, rebaptizari jubentur, quia illi utebantur falsâ baptismi formâ, ut docet Epiphanius lib. 3. hæref. 56. quare relata Concilii verba non comprehendunt Catholicos, qui vere de Trinitate sentiunt, & rectâ Baptismi formâ utuntur, dum unicâ mersione baptizant. Neque obstat Chrysostomum in homiliâ de fide in Patrem, & Filium credere hunc ritum triplicis immersionis esse ex præcepto Divino, quod scribat: *Omnibus mysteriis veluti sigillum imponens Dominus in tribus mersionibus Aquæ unum baptisma Discipulis suis tradit dicens, Euntes docete* &c. nam nullibi constat hoc præceptum a Domino esse, quemadmodum constat a Deo præceptum esse de invocatione expressâ Trinitatis pro formâ Baptismi. Apostolicus canon supra relatus id profecto non arguit, nam ille canon est contra eos, qui invocatâ tantum Domini morte sub unicâ mersione baptizant, & tantum in eo docetur, contra jus Divinum esse, omissâ Trinitatis expressâ mentione, tantum sub invocatione mortis Christi baptismum conferre, non vero ibi docetur usum unicæ mersionis esse contra præceptum Divinum. Hæc intellexisse Apostolos eruitur ex sequentibus verbis ejusdem canonis 50. *Non enim dixit Dominus in mortem meam baptizate, sed euntes docete omnes gentes baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Neque Apostolorum usus in conferendo Baptismo contra nostram assertionem quidquam concludit. Nam hic constans fuit Ecclesiæ mos in illis, quæ ad Disciplinam pertinent, vel retinere antiquam Traditionem, vel novas Consuetudines introducere attentâ temporum, locorum, & Personarum conditione, & propterea, neque ipsas Apostolicas Juris humani traditiones sartas, & intactas semper retinuit, illas inquam, quas iidem Apostoli, si illis temporibus adfuissent, certissime neglexissent.

X. In-

X. Infertur 3. quod si aliqui ex veteribus PP: voluerint trinam mersionem præceptum Domini esse, ut supra de Chrysostomo dicebatur, id dixerunt non ratione sui præcise, sed ratione significationis: contigit enim primis Ecclesiæ sæculis, ut Hæretici negaverint Trinitatem Personarum, & ita mutaverint ritum Baptismi: unde ut PP. ostenderent præceptum Divinum de baptizando sub trium Personarum invocatione, trinam immersionem dixerunt Divinum Præceptum, & Gregorius Magnus in libro Sacrament. de Baptismo Infant. ritum præscribens sic ait: *Deinde Baptizat eum Sacerdos sub trina mersione tantum Sanctam Trinitatem invocans ita dicendo:* Ego te Baptizo in Nomine Patris, *& mergat semel:* & Filii, *& mergat iterum:* & Spiritus S. *& mergat tertio.*

XI. Infertur 4. Baptisma infusione, vel aspersione datum semper valuisse: quod si Cornelius Papa dubitavit de Baptismo Novati, dubium fuit non de substantiâ, sed de effectu Baptismi, quod dubium commune fuit omnibus Ecclesiæ PP. quando agebatur de Baptismo suscepto in gravi ægritudine, quod verebantur factum ex gehænæ metu. Quod hæc fuerit dubitandi ratio, patet ex citatâ Cornelii Epistolâ ad Fabium, in quâ Pontifex Novatum redarguit, quod postquam liberatus est a morbo, reliqua non percepit, quæ juxta Ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab Episcopo consignatus est: non dixit Pontifex Novatum non quæsivisse, ut iterum mergeretur, quod certe dixisset, si dubitasset de substantiâ illius Baptismi. Adde exempla Baptismatis Clinicorum, qui cum ex infirmitate convalescebant nunquam rebaptizabantur, quia illorum Baptisma semper validum fuisse cognovit Ecclesia, utpote quod sub verâ materiâ, & verâ formâ collatum.

§. III. *Nullus Catholicorum dubitavit veram a Christo Domino institutam Baptismi formam, cum mittens Discipulos in universum Mundum jussit prædicare baptizantes in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

XII. Insanâ ergo furunt audaciâ Pauliciani, qui, ut refert Euthymius in secundâ part. Panopliæ titulo 21. his verbis baptizabant: *Ego sum Aqua viva.* Gnostici, quos Irenæus lib. 1. adversus Valentinum cap. 18. testatur baptizasse *in Nomine ignoti Patris, in veritate Matris omnium, & in Nomine descendentis Jesu ad unitionem, & Redemptionem, & communionem virtutum.* Eunomiani, qui ut refert Socrates lib. 5. cap. 23. *in Domini mortem* baptizabant, & hæretici illi, qui ipso tempore Apostolorum baptizabant in *nomine Trium principio carentium*, aut *Trium Paracletorum*, & qui denique veram Baptismi formam a Christo Domino institutam vel petulanter distrahebant, vel execrabiliter deturpabant. *Lex*, inquit Tertullianus libro de Baptismo cap. 13. *tingendi imposita est, & forma præscripta. Ite*, inquit, *docete Nationes tingentes eas in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Antiqua igitur Ecclesiæ consuetudo fuit a Christo accepta, & ad nos usque derivata universos cum his verbis in aquam demergendi *ego te Baptizo* &c.

XIII. Sint ne de substantiâ Sacramenti, vel non omnia hæc verba, maxima fuit quondam inter Theologos disputatio. Post quintum sæculum, inquiunt, primum audiri cœperunt hæc verba, & legi in Sacramentario S. Gregorii Magni, qui floruit anno 590. consequenter in solâ Tri-

nitatis invocatione datum per singula retro sæcula Baptismum in Ecclesiâ valuisse Hugo Victorinus, Petrus Cantor, & Præpositivus tradiderunt, quorum argumenta colligit Morinus de Pœnitentia lib. 8. cap. 16. §. 19. nec ullum peti posse ex Scripturâ Sacrâ, ex Divinâ, & Apostolicâ traditione testimonium, quo probetur in primitivâ Ecclesiâ illorum verborum usus, ut exterior Ministri actus exprimeretur. Si hæc testimonia fuissent in sacris libris, & in Apostolicis Divinis Traditionibus, non latuissent Stephanum iam Abbatem S. Evurtii, qui postea fuit Episcopus Tornacensis huius sententiæ propagnatorem. Hic ergo Pontio Episcopo Claromontano interroganti, num infans tertio in aquam immersus sub hac formulâ *in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti omissis his verbis Ego te Baptizo* censeretur valide Baptizatus? Quantumvis Episcopo Parisiensi, quem ipse Pontius consuluerat, plurimum deferret, tamen rescribere non est veritus sibi videri baptismum in necessitate collatum sub hac solâ formulâ *In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* esse validum, neque infantem sub eâ formulâ Baptizatum esse rebaptizandum, & verba illa *ego te baptizo* esse tantum de Solemnitate Ministerii, non vero de substantiâ Baptismi his præcipue momentis. *Quia*, inquit, *qui Sacramentum Baptismi instituit, formam tradidit Baptizandi: ite, inquit, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. qui baptizandi sibi potestatem retinuit, in hac formâ ministerium aliis concessit. Nemo igitur dixerit quia quod dicitur ite, docete omnes gentes, vel Sacramenti obtineat substantiam, vel exprimat formam. Teneamus quod sequitur: Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Nondum ibi legi: Baptizantes eos & dicentes: ego te Baptizo In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Si Baptizare est intingere & Baptismus intinctio est, quid aliud sunt Baptizantes nisi intingentes? Intingendo ergo cum intentione Baptizandi, si proferat quod veritas jubet, idest In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. baptizasse videtur, & formam a Christo traditam complevisse.*

Addit diversa ex pluribus Patribus testimonia, præsertim ex Divo Augustino, post quæ concludit: *Vides Pater, quia solis verbis Evangelicis consecratur Baptismus. Nusquam in toto Evangelio lego: Ego te Baptizo in Nomine Patris, & Filij* &c. *sed tantum Baptizantes eos In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.*

XIV. Sed his non obstantibus Alexander hujus nominis III. qui fuit Pontifex anno 1159. in cap. *si quis Puerum* contrariam opinionem decernit, *Si quis puerum ter in aquâ immerserit In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Amen, & non dixerit, ego te Baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. non est puer Baptizatus.* Unde mirum est quomodo post hoc Decretum Ritualia reperiantur in usum Ecclesiarum, in quibus desiderarentur illa verba *Ego te Baptizo*. Unum ex his se vidisse Edmundus Martene scribit in lib. 1. de Antiquis Ecclesiæ Ritibus cap. 1. a. 14. n. 19. ab annis circiter trecentis exaratum in Monasterio S. Nicolai in Silva Vosagii Diæcesis Laudunensis, & in utroque puerorum, & puellarum Ordine Baptismi hæc tantum præscribuntur: *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen.*

Mirum est etiam quod eandem Baptismi formulam admittere videatur Orthodoxa Confessio fidei Orientalis a Nectario Patriarchâ Jerosolymitano, & ab

& ab aliis quatuor sedibus Apostolicis approbata anno 1662. in cujus primâ parte quæstione 102. hæc leguntur *Baptisma est ablutio quadam & extirpatio peccati Originalis terna in aquis immersione factâ pronuciante hac verba Sacerdote In Nomine Patris* &c. & post pauca *Hoc autem mysterium semel acceptum iterum non repetitur, modo si is, qui Baptizat orthodoxe in unum Deum Personis trinum credat & accurate, nullaque immutatione prædicta verba: In Nomine Patris* &c. *Secundum catholicæ & orthodoxæ Ecclesiæ sententiam proferat*. Et quæstione 103. *Urgente aliqua necessitate etiam alius quisquam homo, sive mas, sive fæmina hoc peragere Sacramentum potest sumpta in manu debitâ materiâ, aqua simplici atque naturali, verbisque solemnibus In Nomine Patris &c. ad trinam mersionem rite adiectis*.

XV. Nos illa verba *ego te baptizo* cum comuni Theologorum Sententiâ esse necessaria defendimus, scilicet non valere baptisma, absque his verbis *Ego te Baptizo*, aut aliis æquivalentibus, quæ externam ablutionem & externum actum ministri explicet, tum ex citatâ responsione Alexandri III.. tum ex confirmatione illius Decreti, relati in Jure Canonico a S. Raimundo exarato, & a Gregorio IX. adprobato, tum ex Decreto Eugenii IV. pro Armenis in quo dicitur *Principalis caussa in quâ Baptismus virtutem habet est Sanctissima Trinitas; Instrumentalis autem est minister, qui tradit exsterius Sacramentum: si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum cum Sanctissimæ Trinitatis invocatione perficitur Sacramentum*.

Dixi aut aliis æquivalentibus. &c. ut adverterem hunc externum ministri actum exprimere Ecclesiam Græcam sub hac formâ *Baptizatur servus vel serva Dei N. in nomine Patris &c. nunc & semper & in sæcula sæculorum Amen* ut patet legenti Euchologia Græcorum apud Jacobum Goar pag. 355. Nec cui mirum videri debet hic ritus Græcorum, ne scilicet viderentur Græci comprobare errorem Novati, qui ex formâ, quâ minister baptizans utebatur concludebat ministri fidem requiri, ut Sacramentum valeret, nisi fortasse cum Augustino relato a Gratiano in c. *cum tantum* 47. de consecr. dist. 4. putaveris dicendum Græcos illâ formâ uti cæpisse ad tollendum quoddam schisma quod jam primis Ecclesiæ sæculis invaluerat apud Corinthios, qui existimabant Baptizatos pertinere ad eum qui ipsos baptizabat, ac proinde unusquisque dicebat *Ego sum Cephæ, Ego sum Pauli*, quos reprehendit Apostolus cap. 1. & 3. dicens *numquid Cephas pro vobis mortuus est, aut Paulus*? Dum tamen Ecclesia Græca hoc inconveniens vitabat in aliud incidebat; arbitrabatur enim hæreticos esse Latinos formulâ vulgari utentes *Ego te Baptizo &c* unde a Latinis Baptizatos iterum rebaptizabat, & propterea oportuit quod Pontifex Innocentius III. huic absurdo provideret, in capite *Licet Græcos* sacro suadente Concilio Lateranensi, decernens ne baptizatos a Latinis ipsi Græci rebaptizarent.

Alicui profecto dubium esse potest quod sub illis verbis *Baptizatur servus Christi* non exprimatur actio ministri, sed hoc verum non est, nam Græci prædictâ formâ utentes non negant instrumentalem virtutem baptizantis, sed solum principalem quæ Deo competit, exprimunt; quippe in Græcorum formâ explicatur etiam actus baptizantis, prout exercetur a ministro tamquam instrumento Dei quod cohæret cum decla-

claratione Eugenii IV. supra relatâ, & cum illis quæ docet D. Thomas q. 66. a. 5. in responsione ad primum.

XVI. Sed major difficultas est utrum reliqua verba *in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti* ita necessario exprimi debeant, ut illis substitui non possint hæc alia: ego te baptizo in *nomine Domini Jesu?*

Baptismum collatum in nomine Christi ratum habendum esse Apostolica commendat Auctoritas. Petrus in Actis Apost. cap. 2. ad Judæos ait *Pænitentiam agite & Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi*. cap. 10. Idem Apostolus jubet Gentiles eodem baptismo baptizari, & baptizati dicuntur cap. 8. Samaritani, & cap. 19. quidam Discipuli in nomine Domini Jesu. Nicolaus I. hoc baptisma validum ac legitimum habuit in Responsione ad Consulta Bulgarorum can. 104. *A quodam Judaeo* inquit *nescitis utrum Christiano, multos in Patriâ vestrâ baptizatos asseritis, & quid de his sit agendum consulitis. Hi profecto, si in nomine Sanctissimæ Trinitatis, vel in nomine Christi, sicut in Actis Apostolorum legimus, baptizati sunt [unum quippe idemq. est, ut S. exponit Ambrosius] constat eos non esse de novo baptizandos*. Præluxerunt Nicolao Stephanus I. idq. eruitur non tantum ex testimonio Cypriani in Epist. 73. verum ex ejusdem Stephani ad Jubajanum Epistolâ, et ex ipsius decreto, quo vult suscipiendum Baptismum a quibuscunque Hæreticis collatum.

XVII. Non crederem tamen ita revera Apostolos baptizasse, sed si credendum est, ut liberaliter cum illis agatur qui volunt nos ita credere, adverto cum D. Thoma q. 66. a. 6. ad 1. *quod ex speciali Christi revelatione Apostoli in primitivâ Ecclesiâ in nomine Christi baptizabant ut nomen Christi, quod erat odiosum Iudæis & Gentilibus, honorabile redderetur per hoc quod ad eius invocationem Spiritus S. dabatur in baptismo*. Utrum vero hæc dispensatio ab Apostolis perseveraverit usq. ad tempora S. P. Stephani & Nicolai id non videtur posse affirmari ex perspectâ Sacramentorum naturâ. *Dubitari non potest* scribit D. Thomas in corpor. articuli 6. citatæ quæstionis *quod Sacramenta habent efficaciam ab institutione Christi, & ideo si prætermittatur aliquid eorum quæ Christus instituit circa aliqua, Sacramentum efficatia caret; nisi ex speciali dispensatione eius qui virtutem suam Sacramentis non alligavit. Christus autem instituit Sacramentum Baptismi dari cum invocatione Trinitatis, & ideo quidquid deest ad plenam invocationem Trinitatis tollit integritatem baptismi. Nec obstat quod in nomine unius Personæ intelligitur alia, aut ille qui nominat unam solam Personam potest habere rectam fidem de tribus. Quia sicut ad Sacramentum requiritur materia sensibilis, ita & forma sensibilis, unde non sufficit intellectus, vel fides Trinitatis ad perfectionem Sacramenti nisi sensibilibus verbis Trinitas exprimatur: unde & in Baptismo Christi. ubi fuit origo sanctificationis nostri baptismi affuit Trinitas in sensibilibus signis, scilicet Pater in voce, Filius in humana natura, Spiritus Sanctus in Columba*.

XVIII. Verum hac benignâ interpretatione non videmur indigere; illa etenim Scripturarum loquendi formula *in nomine Christi* exprimit vel virtutem Sacramenti a Christo inditam, vel auctoritatem a Christo Domino datam Discipulis, ut hoc, aut illud operarentur. *In nomine meo Dæmonia eijcient* dicitur in cap. ultim. Marci. *Ego veni in nomine Patris mei* dicit de se Christus apud. Joan. cap. 5. Petrum, & Joannem in cap. 4. Actu-

Actuum Apost. Scribæ, & seniores interrogabant in quâ virtute, aut *in quo nomine* Claudum sanaverant, scilicet quâ Auctoritate hoc miraculum patraverant. Ita pariter quando Samaritani, vel Discipuli dicuntur baptizati in nomine Domini Jesu, sensus est ut baptizati fuerint illo baptismo, quem Dominus Jesus Apostolis imperaverat in virtute illâ, quæ indita erat Baptismo Christi Domini, aliâ a Baptismo Joannis, nam ille in aquâ, hic sub invocatione Trinitatis, Augustinus libro contra Maximinum Arianum cap. 17. *Qui patre*, inquit, & *Spiritu S. non nominatis jussi sunt baptizari, intelliguntur non baptizati nisi in nomine Patris, & Filii, & Spir. S.* Et Cyprianus in cit. epist. 73. ad Jubajanum: *Jesu Christi*, inquit, *mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur*. Consentit in hoc universalis Ecclesiæ Traditio Patrum omnium consensu corroborata.

XIX. Neque aliud Sanctus Pontifex Stephanus intellexit, idque cognovit S. Firmilianus in epistolâ ad S. Cyprianum, & scriptor Anonymus S. Cypriano coævus in suo Tractatu, cui titulus, *non deberi denuo baptizari qui semel in nomine Domini nostri Jesu Christi sunt tincti;* & cognovisset Cyprianus ipse, nisi æstus contentionis illum abripuisset incitatum a Decreto Sancti Pontificis cuius hæc sunt verba, *si quis a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam:* at nunquam fuit traditum Baptisma sine invocatione Patris, & Filii, & spir. S. collatum, esse admittendum; sensit ergo Pontifex Baptismum in nomine Jesu non exclusisse invocationem trium Personarum. De baptismo Marcionis qui erat in Christi nomine tantum (siquidem non credebat in Deum Patrem omnium creatorem) nihil dixit, ut patet, & quod additur de hoc scripsisse in Epistolâ ad Jubajanum genuinum Stephani opus non est illa Epistola, cum Cyprianus ipse illam refellat Auctoris tacito nomine. Constanter negavit S. Pontifex dumtaxat baptizandos esse a quacumque hæresi venientes si baptismum in suâ Sectâ verbis Evangelicis consecratum suscepissent, & consensit in hoc cum D. Hieronymo in Dialogo adversus Luciferianos versus finem. Neque putarem Nicolaum primum in suâ responsione ad Bulgaros voluisse docere Baptismum in solo nomine Christi collatum fuisse validum indistinctâ propositione, cum enim Pontifex repetat exemplum ex Actibus Apostolorum, intelligit in hoc baptismate oportere ea singula concurrere, quæ moverunt ipsos Apostolos ut baptizarent in nomine Jesu, ad hoc ut baptismus sit idem: Colligitur hoc ex illis verbis: *unum quippe, idemque est*, nam si illæ circumstantiæ non accederent, non posset unum idemque Baptisma appellari. Adde quod cum S. Pontifex Nicolaus nihil aliud ibi tradere voluerit, præter id quod jam docuerat Sanctus Ambrosius, audiendus est S. Thomas quomodo hunc locum Ambrosii explicet. *Dicendum quod Ambrosius assignat rationem quare convenienter talis dispensatio fieri potuit in primitivâ Ecclesiâ: quia scilicet in nomine Christi tota Trinitas intelligitur & ideo servabatur ad minus integritas intelligibili forma, quam Christus tradidit in Evangelio*. Dici etiam potest Nicolaum per illa verba *in nomine Christi* non intelligere novum ritum, sed esse explicationem primi *in nomine Trinitatis:* Una enim est trium Personarum majestas, una operatio, cum uni Personæ aliquid tribuitur in scripturis externam operationem respiciens, id referendum

est

est pariter ad alias, etiam si de illis sileatur; quare nec baptismus in Actis Apostolorum dicitur collatus in nomine solius Domini nostri Jesu Christi suppresso nomine Patris, & Spiritus Sancti, quamvis ibi sacer textus illorum non meminerit, quia ut Facundus Hermianensis scribit libro 1. pag. 22. *hoc erat insinuandum, quod baptismo novo fuerint baptizati, & propterea sufficere judicatum est ad discretionem ipsius novi baptismi solum nomen Domini Jesu memorare, quod neque in Baptismo Joannis, neque in aliis baptismis Judaici ritus interserebatur.*

XX. Colligitur ex dictis sustineri non posse opinionem Magistri Sententiarum de validitate baptismi per solam invocationem unius ex Personis Sanctissimæ Trinitatis, quando scribit lib. 4. distinct. 3. *nihilominus insinuari videtur verum baptisma dari posse in nomine Patris tantum, vel Spiritus Sancti tantum, si tamen ille, qui baptizat fidem Trinitatis teneat;* nam præter illa, quæ dicta sunt hactenus a numero 7. usq. ad 19. impugnatur hæc propositio a pluribus Decretis Conciliorum, & Romanorum Pontificum. Concilium Nicænum jussit, ut reiteraretur baptisma Paulianistarum, non vero Baptisma Novatianorum, quod illi Catechumenos non abluerent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. hi vero tremendis nominibus Patris, & Filii, & Spiritus S. baptizabant. Quod hæc fuerit potissima causa docet S. Pontifex Innocentius I. in suâ Epistolâ ad Episcopos Macedoniæ. Idem definiverat Arelatense 1. Concilium anno 314. & Gregorius Magnus in lib. 9. Regest. Epist. 61. ad Quirinum ubi scribit *hæreticos, qui in Trinitatis nomine non baptizantur, cum redeunt ad Ecclesiam iterum esse baptizandos*, nec aliud legitur in Capitularibus editis jussu Caroli Magni. Idem docuerant Pelagius in Canone *si revera*, & Zaccarias canone *in Synodo* de consecrat. distinc. 4. Postea idem sancitum est ab Eugenio IV. in instructione ad Armenos, & habetur in Concilio Tridentino can. 4. Sess. 7. Constat igitur constantem a tot sæculis in Ecclesiâ viguisse hanc opinionem, tres divinas Personas esse explicite appellendas, ut baptismus possit valide administrari Hujus institutionis ratio esse potest, quod voluerit Dominus in ipso Ecclesiæ exordio & in ipsa januâ ceterorum Sacramentorum fieri explicitam, & distinctam propositionem præcipui mysterii, tum quo ad essentiæ unitatem, tum quo ad Personarum multiplicitatem.

XXI. Colligitur 2. quod cum vox *Nomen* in Scripturis significet Auctoritatem, ut ostendimus supra n. 18. blasphæmiam esse baptizare (quod aliqui Zuingliani faciunt) in *nominibus* Patris, & Filii, & Spir. Sancti, & liceet in hac propositione legatur Ariana doctrina, tamen certum est, ut testatur Theodorus Lector lib. 2. Arianos baptizasse in nomine Patris &c. ac proinde eorum baptisma ratum fuisse in Ecclesiâ docuit Innocentius I. Epist. 18. Ineptam sententiam Lutheranorum, & Calvinistarum rejecimus in Prolegomenis cap. 2. §. 2. n. 6.

XXII. Colligitur ultimo neminem posse se ipsum baptizare. Id decrevit Innocentius III. in cap. *Debitum* extra de Baptismo & ejus effectu & ratio est, quia inter dantem, & accipientem debet esse realis distinctio, ut expresse dicitur in cap. finali de institutionibus: neque plures posse eundem baptizare, quia ut inquit D. Thomas l. cit. a. 5. ad. 4. *actus multiplicatur secundum multiplicationem agentium si perfecte ab unoquoque agatur: & sic si convenirent duo, quorum unus esset mutus*

qui

qui non posset proferre verba, & alius carens manibus qui non posset exercere actum, non possent ambo simul baptizare uno dicente verba, & alio exercente actum, Possunt autem, si necessitas exigit, plures simul baptizari, quia nullus eorum reciperet nisi unum baptismum, sed tunc oportet dicere: Ego baptizo vos, nec erit mutatio formæ, quia vos nihil aliud est quam te. *quod autem dicitur* nos *non est idem dicere quod ego, & ego, sed ego, & tu, & sic jam mutaretur forma.*

CAPUT III.

DE MINISTRO ET SUBJECTO BAPTISMI.

§ I. *Minister Baptismi Alius est Ordinarius, alter Extraordinarius.*

I. Ex Christi mandato Apostoli jubentur docere omnes Gentes, & baptizare *Docete omnes gentes baptizantes eos.* &c. nullus ergo superest dudubitandi locus Apostolorum successoribus, scilicet Episcopis munus idem demandatum fuisse, & illos esse ordinarios Baptismi Ministros. Et revera ad solos Episcopos olim jus baptizandi pertinuisse tradidit Tertullianus libro de Baptismo cap. 17. sed ante illum id tradidit D. Ignatius tertius post Sanctum Petrum Antiochenæ sedis Episcopus in Epistolâ ad Smyrnenses, ubi ait *non esse licitum sine Episcopo neque baptizare, neque Agapes facere*, Atque hæc fuerunt per aliquot sæcula non inferiora Episcoporum munera. Paulatim in ministerii adjutorium de Episcoporum consensu venerunt Presbyteri, accesserunt etiam Diaconi, quibus idem munus demandatum fuisse ab antiquissimis temporibus probat Philippi Diaconi factum in Actibus Apostolorum cap. 8. & confirmant plura Ecclesiarum Statuta, & SS. Patrum dicta; Imo Diaconus in suâ Ordinatione potestatem hanc baptizandi recipit ab Episcopo ordinante, quem propterea monet oportere *ministrare ad altare, baptizare, & prædicare*. Hodie Parochi sunt ordinarii ministri baptismi, unde præsente Parocho sine illius licentiâ nullus audebat baptizare, sed cogente necessitate etiam inferioribus Clericis Ecclesia baptizare permittit, permisitque semper, imo etiam Laicis. *Minister hujus Sacramenti est sacerdos*, scripsit Eugenius IV. in suo decreto pro Armenis, *cui competit ex officio baptizare, in casu autem necessitatis, non solum Sacerdos, sed etiam Laicus, vel Mulier; imo etiam Paganus, & Hæreticus baptizare potest, dummodo servet formam Ecclesiæ, & facere intendat quod facit Ecclesia.*

II. Nullus arbitretur tantum Pontificem suo marte ita locutum fuisse, eundemque ignarum Apostolicarum Traditionum, & Ecclesiasticæ disciplinæ. Laicos posse baptizare in casu necessitatis veterum Ecclesiæ Patrum semper fuit concors sententia. Tertullianus hanc in Laicis facultatem agnovit lib. supra cit. *Laicis*, inquit *jus est dandi baptismi, quod enim ex æquo accipitur ex æquo dari potest*, nec dissensit D. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos *scimus etiam licere Laicis baptizare ut cum accipit quis, ita & dare possit;* & D. Augustinus apud Gratianum distinct. 4. de *Consecrat*

erat. canon. 21. ait *in necessitate cum Episcopi, aut Presbyteri, aut quilibet ministrorum non inveniuntur, & urget periculum ejus, qui petit ne sine isto Sacramento hanc vitam finiat, etiam laicos solere dare Sacramentum quod acceperunt solemus audire.*

III. Modo oritur dubium, num liceat etiam in casu necessitatis baptismum petere, & accipere a non baptizatis, cum in his laudatis Auctoritatibus tota ratio licitæ collationis Baptismi fundetur in hoc principio, quod quis potest alteri dare id, quod ipse accepit.

Dudum negativa opinio viguit apud Theologos, & eandem insinuare videtur Augustinus in lib. 2. contra Epistolas Parmeniani cap. 13. ubi scribit: *nec aliquid temere inde affirmandum est sine auctoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei sufficit.* Dubitarunt de hoc etiam Bulgari sæculo IX. ut patet ex Epistola Nicolai I. ad illorum Consulta, quam supra retulimus cap. 2. §. 2. num. 16. sed post hoc Pontificis responsum, quod validitatem illius Baptismi cognoscit, ab omnibus idem creditum est, & Pontifex Eugenius IV. tamquam Ecclesiæ doctrinam explicavit Armenis.

IV. Sed & de Baptismo ab Hæreticis collato fuit quondam maxima controversia tempore S. Cypriani, Episcopis Africanis hujusmodi Baptismum invalidum sustinentibus, de quo est canon 70. apud Gratianum causa 1. q. 1. sed prævaluit opinio S. Stephani Pontificis, eamque tamquam indubitatam suo tempore tradidit Augustinus in lib. 1. de Baptismo contra Donat. cap. 2. *si quem forte coegerit extrema necessitas, ubi catholicum per quem accipiat non invenerit, & in animo pace catholicâ custoditâ per aliquem extra Catholicam unitatem positum acceperit quod erat in ipsa Catholicâ accepturus, si statim etiam de hac vita migraverit, non eum nisi catholicum deputamus.* Hanc ipsam opinionem exposuit Ragusius in Oratione, quam recitavit in Concilio Basileensi, & tandem idem Eugenius in citato Decreto eandem proposuit.

V. Idem dixeris de Baptismo per Mulierem accepto in casu necessitatis, cum Mulieribus hoc munus concedat Eugenius, quod id temporis novum non erat, nam ante Eugenium concesserant Concilium Carthaginense IV. canon. 100. & Urbanus II. in epistolâ ad Vitalem Presbyterum Brixiensem. Verum id intelligas de Baptismo privato, nam a publicâ administratione Sacramenti Baptismi Mulieres excluserat Concilium Carthaginense, ut illas excluserat Tertullianus in libro de velandis Virginibus cap. 9. Epiphanius libro 3. adversus hæreses, hæresi 79. & liber tertius Constitutionum Apostolicarum cap. 9.

VI. In puerorum perniciem novam hæresim excogitavit Calvinus lib. 4. Instit. cap. 15. §. 20. 21. 22. docens, nec in extremâ quidem necessitate licere baptizare iis, qui non sunt ordinarij Ecclesiæ Ministri ad hoc ipsum vocati, & ordinati; sed impiam doctrinam confutare esset actum agere, cum ex hactenus dictis ipsâ suâ sponte corruat, & profligetur.

§. II. *Baptismus Infantibus non solum non est denegandus, sed neque est differendus.*

VII. Audaciores ex fanaticâ Anabaptistarum familiâ insurrexerunt olim homines parvulis insidiantes, ut destituti Baptismo in æternum pericli-

caten-

rarentur. Non licet, inquiunt, Baptismum tradere nisi Adultis qui ultimum per se flagitent. In sacris historiis nullibi invenitur Pædobaptismus, & nullum de eo, vel mandatum, vel exemplum. Exemplum si quæritur Christus annorum 30. baptizatur: si quæritur mandatum, Apostoli jubentur baptizare Gentes post acceptam in fide institutionem: *Docete, & Baptizate* Matt. 28. vel post expletam pœnitentiam: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum* cap. 1. Marci & cap. 2. Actuum Apost. unde gloriatur Apostolus 1. Cor. 1. & gratias agit Deo quod neminem baptizaverit, *præter Cajum & Chryspum, & Stephanæ domum*.

VIII. Morem hunc novum non esse in Ecclesiâ addunt, idque Sanctorum exemplis, & Patrum testimoniis probant. S. Martinus annos natus 22. Baptismum suscepit ex Severo Sulpitio in ejus vitâ lib. 1. cap. 2. Alij ad trigesimum suæ ætatis annum differebant, ut refert Nazianzenus in Oratione in S. Lavacrum. Quidam ad ultimam usque senectutem, ut Magnus Constantinus, Constantius Augustus, & Magnus Theodosius. Quod spectat ad Patres Ecclesiæ. Tertullianus lib. de Baptismo scribit: *Baptismum non temere credendum esse*, & post pauca addit: *pro cujusque persona conditione, ac dispositione, etiam ætate, cunctationem baptismi utiliorem esse. &* demum concludit: *si qui pondus intelligant baptismi, magis timebunt consecutionem, quam dilationem*. Nazianzenus vero Orat. 40. supra citatâ monet ut differatur Baptismus parvulorum, saltem usque ad triennium, aut quadriennium.

IX. Contra hanc opinionem est Dionysij testimonium ex ultimo cap. Ecclesiasticæ historiæ: *Divini nostri duces, scilicet Apostoli, probaverunt infantes recipi ad Baptismum*. Concinit Origines lib. 5. in epist. ad Romanos: *Ecclesia*, inquit, *ab Apostolis traditionem suscepit, etiam parvulis baptismum dare*. Accedit Cypriani testimonium in 59. Epistolâ ad Fidum Africanum, quem, volentem parvulis differre baptismum ad octo dies, quod in primis octo diebus essent immundi, perstringit, inducens Petri verba ex Actibus Apostolorum petita: *Dominus mihi dixit neminem communem dicendum & immundum*. Tandem ne singula persequar quæ innumera sunt, adest Augustinus contra Pelagianos scribens, ut concluderet illos peccatum Originale negare non posse ex necessitate Baptismi: *quia parvulos Baptizandos esse concedunt, qui* (idest Pelagiani, (*contra auctoritatem universalis Ecclesiæ procul dubio per Dominum, & Apostolos traditam, venire non possunt, concedant oportet nos egere illis beneficiis Mediatoris*.

X. Auctoritati PP. adstipulantur plura Concilia: Concilium Milevitanum can. 2. *placuit*, inquit, *ut quicunque parvulos recenter ab uteris maternis natos Baptizandos negat, anathema sit*. Baptismum parvulorum probavit Concilium Gerundense can. 5. Concilium Africanum circa tempora Bonifacii can. 76. Bracarense II. can. 7. Viennense in Clementina 1. de summâ Trinitate, eundemque usum Baptizandi infantes in primis Ecclesiæ sæculis probarunt D. Clemens l. 6. Constit. c. 15. Syricius Epist. 1. ad Himerium c. 2. Innocentius I. Epist. 26. Leo I. ad Episcop. Aquilejen. Epist. 84. aliis 16. & Gregorius Magnus lib. 5. Epist. 9. ad Joannem Calarit. Dicendum igitur hallucinatum fuisse Walfridium, quem Strabo in libro de rebus Ecclesiasticis c. 26. scribit dixisse: *primis temporibus solummodo Baptismi gratiam dari solitam iis, qui & corporis, & mentis integritate jam ad hoc pervenerant, ut scire, & intelligere pos-*

possent quid emolumenti in Baptismo consequendum, quid confitendum, atque credendum, quid postremo renatis in Christo esset servandum: imo etiam hallucinatum Lodovicum Vives scribentem in lib. 1. S. Augustini de Civit. Dei c. 27. *Ne quis fallatur; nemo olim sacro admovebatur Baptismati nisi adultâ jam ætate, & cum idem ipse, & sciret quod sibi mystica vellet aqua, & se ablui illa peteret, & nec semel peteret.*

XI. Nec credant Henriciani, & Pseudoapostoli, quorum impiam opinionem refert, & refellit S. Bernardus Epist. 104. & homil. 66. in Cantica, Valdenses, Anabaptistæ, & si qui alii hujus furfuris homines extiterunt universalem hanc Ecclesiasticam traditionem in Scripturis Sanctis non habere fundamenta. Integras familias fuisse Baptizatas scribitur in c. 16. Actuum Apostolorum, *Lydia Baptizata, & Domus ejus*, & ibidem de Custode Carceris legitur: *Baptizatus est ipse, & omnis domus ejus continuo*, & quod inter sua argumenta proferunt Anabaptistæ ex Epist. 2. ad Cor. c. 1. ubi Paulus scribit: *Baptizavi Stefanæ domum*. Credendum ne est in tot familiis nullos extitisse infantes?

XII. Merito sane infantium Baptismum necessarium semper & tenuit, & probavit universalis Ecclesia, nam ut argumentatur D. Thomas p. 3. q. 68. a. 9. *Si unius delicto, sicut Apost. dicit ad Rom. 5. mors regnavit per unum, scilicet per Adam, multo Magis abundantiam gratiæ & donationis, & justitiæ accipientes in vitâ regnabunt per unum Jesum Christum. Pueri autem ex peccato Adæ peccatum Originale contrahunt, quod patet ex hoc, quod sunt mortalitati subjecti, quæ per peccatum primi hominis in omnes pertransiit, ut Apostolus ibidem dicit: unde multo magis pueri possunt per Christum gratiam accipere, ut regnent in vitâ æternâ. Ipse autem Dominus dicit Joan.* 3. *quod* nisi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu S. non potest introire in Regnum Dei: *unde necessarium fuit pueros Baptizari, ut sicut per Adam damnationem incurrerunt nascendo; ita per Christum salutem consequantur renascendo.*

XIII. Quia vero sæpe contingit magis pœnarum timore, quam pondere rationum homines a pravis opinionibus, & consuetudinibus retrahi, hinc Ina Rex Saxonum in legibus Ecclesiasticis, quæ habentur Tom. 17. Conciliorum editionis Regiæ in lib. 2. ne differretur puerorum Baptismus hoc Decretum edidit. *Infans intra 30. dies postquam in lucem prodierit Baptizetur, id si non fiat ter denis Solidis culpam pensator, sin prius vitam cum morte commutaverit, quam sacro tingatur Baptismate, rebus suis omnibus mulctator.* Sub pœnis eisdem Baptismi dilationem prohibuit Capitulare Caroli Magni anni 789. *Statuimus, ut si quis infantem intra circulum anni ad Baptismum offerre conptempserit sine consilio, vel licentiâ Sacerdotis, si ex nobili genere fuerit 120. solidos Fisco componant, si ingenuus 60. si Litus 30.* Constantem itaque fuisse Ecclesiæ sententiam a temporibus Apostolorum ad hæc usque tempora Baptismum parvulis necessarium esse, neque ad adultam ætatem differendum, ex dictis patet latissime; imo sub comminatione excommunicationis, aliarumque pœnarum Ecclesiasticarum Concilia plura, nimirum Senonense anni 1524. Parisiense a. 1557. Bituricense a. 1584. Turonense a. 1583. Rhemense ejusdem anni. Aquense a. 1585. Rothomagense a. 1645. abusum etiam illorum coercere voluerunt, qui *solum ad pau-*

paucos menses alicujus humani favoris appetentiâ infantium Baptismum differre solent, ne infantes morte præventi Divinæ gratiæ irreparabilem occasionem perdant, & de blandimentis amicitiæ detrimenta nascantur animarum. Sed cum neque hæc singula tum Principum, tum Conciliorum statuta procaci Hæreticorum audaciæ, qui a XII. Ecclesiæ sæculo insurrexerunt, satis consuluerint, omnes illorum omnium, qui in tanto negotio exorti sunt errores, & detestabiles opiniones unum Tridentinum Concilium anathematizavit, & Sessione VII. quid de Puerorum Baptismo credendum sit sub diversis Canonibus declaravit.

Canon 12. *Si quis dixerit neminem esse Baptizandum, nisi eâ ætate quâ Christus Baptizatus est, vel in ipso mortis articulo Anathema sit.*

Canon 13. *Si quis dixerit Parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint esse rebaptizandos, aut præstare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ, Anathema sit.*

Canon 14. *Si quis dixerit hujusmodi parvulos baptizatos cum adoleverint interrogandos esse an ratum habere velint quod Patrini eorum nomine, dum baptizarentur polliciti sunt, & ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad christianam vitam cogendos, nisi ut Eucharistiæ, aliorumque Sacramentorum susceptione arceantur, donec resipiscant. Anathema sit.*

XIV. Adverto cohærere cum dictis hactenus testimonia scripturarum relata ab Hæreticis. In illis Auctoritatibus dicitur illud quod Apostoli præstare debebant Baptizando Gentes, & quotquot ex credentium multitudine ad ipsos veniebant tum præscribitur ordo semper servandus etiam in Baptismo parvulorum. Adulti accedentes ad Baptismum capaces erant Doctrinæ & pœnitentiæ, sed non Parvuli, quibus ad delendum originale peccatum indicta non est pœnitentia: ut indicta est peccatis actualibus, sed solum Baptismus. Neque stipulationes, quæ ab Adultis fiunt dum baptizantur expectandæ sunt ab infantibus, & exigendæ, nam cum per se respondere nequeant, exiguntur ab eorum Susceptoribus, quas faciunt eorum nomine fidem profitendo, & promittendo. *In Ecclesia Salvatoris* Augustinus scribens Bonifacio Epist. 23. dicit, *Parvuli per alios credunt, sicut ex aliis, quæ in Baptismo remittuntur peccata, traxerunt.* Neque est audiendus Erasmus qui in præfatione Paraphrasis in Matth. docet homines in infantiâ Baptizatos ubi adoleverint interrogandos esse an habeant ratum quidquid ipsorum nomine in Baptismo promissum est, & si ratum non habeant esse liberos dimittendos. Nam per Baptismum infantes non obligantur nisi ad ea, ad quæ necesse est in adultâ ætate obligari, scilicet ad legem Divinam servandam, ad abrenunciandum Diabolo, & pompis ejus. Præterea omnes tenentur suscipere Baptismum, idque Divino mandato, & propterea se subjicere tum Ecclesiæ, tum ejus præceptis, & hoc agit adultus per se, infans per alium.

XV. Adverto ulterius ætatem a Christo Domino expectatam, ut a Joanne baptizaretur non esse expectandam a ceteris, nam Christus Dominus non est baptizatus ut regeneraretur, sed ut alios regeneraret, & propterea non est baptizatus suo Baptismo, quo non indigebat, sed Baptis-

simo Joannis, qui dabatur solum adultis in pœnitentiam, in remissionem peccatorum. Christus infans circumcisus est, quia venit in mundum, ut legem adimpleret, quæ imperabat ut puer octavo die circumcideretur, cui circumcisioni, cum sit subst itutus Baptismus, licet cum alio effectu, ut ostendimus in Prolegomenis cap. 1. §. 3. n. 17. pueri hoc remedio privari non debent, etiam statim ac nati sunt, si Parentes voluerint, contra Fidi opinionem, qui asseruit ante octavum diem non debere Baptismum pueris conferri, quia solum die 8. circumcidebantur, quod licet communiter fieret, aliquando tamen non factum invenitur, ut contigit in circumcisione Josue factâ post diem 8. ut legitur in cap. 5. hujus historiæ.

XVI. Non solum statim ac nati sunt pueri possunt Baptizari, sed etiam quando necessitas urgeat in matris utero, dummodo operâ obstetricis corpus ablui possit, dum forma profertur, idque communiter docent Theologi Gabriel, Victoria, Suarez, Ægydius, & probatur auctoritate, & ratione. Auctoritas habetur in cap. *majores* de *Baptismo* ubi Pontifex Innocentius III. post relata verba Evangelica: *Nisi quis renatus* &c. addit. *Ab hac generalitate nec sexum, nec ætatem excludens*, & in textu in cap. *neque quemquam* versu *unde* de *Consecrat.* dist. 4. Ratio vero est. Existens in utero post tempus formationis, & animationis est homo vivens, & Animal juxta Philosophos, si Stoicos exceperis. Neque recedit ab hac opinione Tertullianus in Apologetico c. 9. Lactantius de Opificio Dei c. 17. & concordat lex 1. §. *si quis proximior ff. unde cognati*. Contraxit etiam peccatum originale, cap. *Regenerante*. 136. de *Consecrat.* Dist. 4. ergo in datâ suppositione est capax Baptismi.

XVII. Dixi si *Stoicos exceperis*, quia hi Philosophi fœtum esse portionem viscerum matris sustinent, quibus plures Jurisc.æ consenserunt, imo etiam illi Theologi, qui in vi hujus rationis æstimabant Baptismum matris illi prodesse, contra quos est Auctoritas Augustini in capite *quidquid* 35. distinctione. Cap. *si ad matris* 114. de *consecr.* distincti. 4. & can. 6. Concilii Neocæsariensis ubi dicitur: *De prægnantibus, quod oportet eas baptizare quando volunt; nihil enim in hoc Sacramento commune est parituræ, & illi, qui de ejus utero fuerit editus, quia uniuscujusque in illâ confessione libertas arbitrij declaratur*. Propter eandem rationem *infidelitas propriorum parentum*, inquit D. Thomas l. c. q. 68. a. 9. in corp. *etiam si eos post Baptismum, Dæmoniorum sacrificiis imbuere conentur, pueris non nocet*. *Puer semel generatus*, scribit Augustinus Bonifacio epist. 23. *per aliorum carnalem voluptatem cum semel regeneratus fuerit, per aliorum spiritualem voluptatem, deinceps non potest vinculo alienæ iniquitatis obstringi, si nullâ suâ voluntate consentit*.

XVIII. Adverto 3. quod etsi *omni ætati*, ut scribit Nazianzenus Oratione de Baptismo, *omni vitæ formæ, omnibus hominibus* Baptisma conveniat, Ecclesia tamen ad animarum uberiorem utilitatem Catechumenos diù, multumque probabat, antequam sacræ regenerationis gratiâ donari permitteret. Octo mensium tempus erat Hebræorum Catechumenatus ex Concilio Agathensi can. 34. Concilium Eliberitanum ad duos annos extendit. Ad annos tres Apostolicæ Constitutiones protrahunt ita lib. 8. c. 38: *qui catechesi erudiendus est, per tres annos erudiatur*. Pro Catechumenis lapsis etiam, ad 5. annos Catechumenatûs tempus protrahebatur. Ce-

Ceterum ab hac longioris temporis Sanctione, & generaliter a quibuscumque aliis definitis temporibus aliquando dispensavit Ecclesia, ita ut Judæos etiam post 40. dies tingi posse S. Gregorius l. 7. Epist. 24. cuidam Episcopo permiserit. Etiam intra brevius tempus Baptizati fuit S. Pancratius cum Patre Dionysio, S. Otho Bambergensis Episcopus, aliique plurimi. Sed quorsum hæc? ut ostendatur nihil esse ad rem exempla illa, quæ afferuntur, & possent afferri pro Baptismo in serâ ætate quibusdam collato, id enim decebat, ut homines ad fidem conversos diutius probaret Ecclesia, nisi potius dicendum sit piæ alicuius, aut severioris doctrinæ instinctu non nullos inductos fuisse, ut Baptismum in ultimam usque senectutem differrent.

§ *III. Judæi, & Pagani inviti, & nolentes perperam coguntur Baptismum suscipere.*

XIX. Omnes teneri suscipere Baptismum, idque divino mandato superiori numero duodecimo docuimus, & infra dicemus unde oritur dubitatio, utrum ex hoc generali principio Iudæi & Pagani inviti & nolentes ad suscipiendum Baptismum compelli possint. Hoc prohibuit Clemens III. in capite *sicut Judæi; quippe*, inquit Pontifex, *Christiani fidem habere non creditur, qui ad Christianorum Baptisma non spontaneus, sed invitus cognoscitur pervenire. Fides*, inquit Ambrosius 2. ad Cor. c. 1. *non necessitatis sed voluntatis res est. Suadendam esse non imperandam*, inquit D. Bernardus sermone 66. in cantica. *Quod piæ religionis proprium* est, observat Athanasius in epist. ad solitariam vitam agentes, *non cogere, sed suadere. Quis enim*, inquit Lactantius Firmianus l. 5. divinar. Institut. c. 14. *imponat mihi necessitatem vel credendi, quod nolim, vel quod velim non credendi? nihil tam voluntarium quam Religio est, in qua si animus jam aversus est iam sublata, jam nulla est*. Faciunt ad rem illa quæ Theodoricus scripsit apud Cassiodorum lib. 2. var. epist. 27. *Religionem imperare non possumus, quia nemo cogitur ut credat invitus*, & lib. 10. Epist. 26. *nam cum Divinitas patiatur multas Religiones esse, nos unam non audemus imponere, retinemus enim legisse, voluntarie sacrificandum esse Domino, non cujusquam cogentis imperio*. D. Gregorius lib. 1. epist. 45. *Adhibendus est*, inquit *sermo Judæis convertendis, qui errorum in ipsis spinas urere debet, ut prædicando, quod in ipsis tenebrescit, illuminet*.

XX. Non defuerunt tamen religiosissimi Principes, qui hoc præstiterunt. Cum enim Evangelicus Pater familias præcepisset servis suis, ut exirent in vias, & plateas Civitatis, & compellerent intrare ad Cœnam quoscunque invenissent, existimarunt omnes Judæos compellendos esse, ut in Ecclesiam intrarent per fidem, & Baptismum. Id certe præstitit Sisebutus Gothorum Rex, qui Hispaniarum Hebræos fidei Sacramento jussit regenerari indictâ pœnâ contra nolentes. Præstitit idem Dagobertus Galliarum Rex, cum Hebræis a Gothis ejectis; & in leg. *qui post Sanctam* §. *qui vero C. de Paganis* Fisco assignantur Paganorum bona, si Baptizari noluerint.

XXI. Illorum intentionem quidem laude dignam censuit D. Gregorius lib. 1. epist 45. sed addidit: *timeo ne animarum, quas eripi volumus di-*

dispendia subsequantur, dum non quispiam ad Baptismatis fontem non prædicationis suavitate, sed necessitate pervenerit ad pristinam superstitionem remeans, inde deterius moritur, unde renasci videbatur. Propterea Toletanum IV. Concilium de Judæis c. 56. decrevit, ut compellerentur Ecclesiæ servare leges qui ex Judæis Baptizati erant, quamvis inviti, ne fides semel suscepta apud eos vilis, & contemptibilis videretur, tamen deinceps nemini vim inferri ad credendum. Quæ est in sæculi & Ecclesiarum rectoribus in Judæos, & Infideles Jurisdictio non se extendit ad ea, quæ sunt ordinis supernaturalis. *Quid enim mihi*, inquit Apostolus 1. ad Cor. 12. *de his qui foris sunt judicare?* Quod non est dicendum de Apostatarum a Fide, & Hæreticorum filiis, nam Ecclesia potest eos cogere Catholicam religionem retinere, & etiam illis invitis eorum filios baptizare. Et ita parabolam a D. Lucâ narratam c. 14. exponit D. Augustinus Epist. 50. ad Bonifacium, scilicet per illam parabolam significari quod *Hæretici, & Schismatici qui ratione Baptismi pertinent ad Jurisdictionem Ecclesiæ compelli possunt, ut redeant ad unitatem Corporis Christi*: quod si adhuc Parabola illa de Iudæis, & infidelibus accipiatur, factum quod in illâ narratur est extra quæstionem: cum enim optimus ille evangelicus Pater Familias paterni Divini amoris vehementiam demonstret, quo vult omnes homines salvos fieri, omnes ad fidem converti, & in Ecclesiæ gremium ingredi, divinæ largitionis gratiâ vocari jussit ad cænam quotquot illius servi invenissent, & compelli, ut intrarent, non compulsione quæ violentiam operaretur, sed quæ Divinæ Gratiæ, & Vocationis efficaciam ostenderet: Ceterum quis nescit quod quando Deus vult aliquod fieri in hominibus quod nonnisi volentibus ipsis fieri potest inclinantur eorum corda, ut hoc velint? id clarissime ostendit Apostolus Actuum Apost. c. 9. per terrores ad fidem profitendam vocatus, siquidem ab initio renuens, mox expressit propriam voluntatem, dum dixit, *Domine quid me vis facere*, unde dici non potest invitum fidem suscepisse.

XXII. Idem dicendum de Filiis infidelium, qui cum ante usum liberi arbitrii sub parentum curâ sint, non sunt eo tempore invitis parentibus baptizandi, imo docet D. Thom. l. c. q. 68. a. 10. quod *contra justitiam naturalem esset, si tales pueri invitis parentibus baptizarentur*. Quin etiam periculosum esser filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent propter naturalem affectum ad parentes. Dixi *invitis parentibus*, quia Concilium Toletanum loco supra cit. decrevit, quod si alter ex parentibus fuerit Christianus, ad illius instantiam poterunt pueri baptizari.

XXIII. De Amentibus, & dormientibus dicitur, quod si ante somnum & amentiam Baptismum petierint, illi quoque poterunt, & valide baptizari, nam semper præsumuntur in eadem voluntate perseverasse, nisi fuerit retractata ex Juris interpretatione, Dormientes vero semper retinent possessionem ex l. *nunquam* 31. §. *si servus ff. de usucap.*, & ut ait D. Thomas 1. p. q. 48. a. 3. in corp. in illis non *deficit animus sed quiescit*. Idem dicitur de furiosis ex l. 1. §. *furiosus* videlicet suam retinere possessionem ex Juris æquitate, & facit pro his omnibus Concilium Illiberitanum can. 45. *Qui aliquando fuerit Catechumenus per infinita tempora, & nunquam ad Ecclesiam*

cle-

clesiam accesserit, si cum de Clero quisquam agnoverit voluisse esse Christianum, aut testes aliqui extiterint fideles, placuit ei Baptismum non negari, eo quod in veteri homine deliquisse videatur. De Energumenis ita decernit laudatum Eliberitanum Concilium can. 37. *Eos, qui a spiritibus immundis vexantur si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet*, & in Concilio Arausicano 1. sic legitur in can. 15. *Energumenis, Catechumenis, quantum vel necessitas exegerit, vel opportunitas permiserit de baptismate consulendum*; & hoc idem decrevit Concilium Arelatense II. can. 40.

XXIV. Colligitur ex his Baptismum necessarium esse tum necessitate medii, tum necessitate præcepti, & sine baptismo, vel in re, vel in voto suscepto nullum salvari, neque posse salvari. Id dicitur contra Pelagianos, qui ad Regni cœlestis assecutionem baptismum necessarium prædicabant, non vero, ut quis Vitam consequeretur æternam. Ridiculam sane distinctionem Regni Dei, & Vitæ æternæ! *Hoc novum in Ecclesia*, inquit Augustinus Serm. 14. de verbis Apostoli cap. 9. *prius inauditum est, esse vitam æternam præter regnum cælorum; esse salutem æternam præter regnum Dei; dixerunt tamen Pelagiani, ut quia immunes a peccato originali voluerunt infantes, baptismus illis dari non crederetur ad vitam, sed ad ingressum in regnum cælorum: at cum dicat Scriptura:* nihil coinquinatum intrabit in regnnm cœlorum, *dum infantes, aliique non baptizati excluduntur a Regno Dei oportet quod sint coinquinati; igitur dum salutaribus aquis tinguntur, etiam ad emundationem tinguntur. Jam vero mundis Dei visio promittitur: mundi corde Deum videbunt, quæ visio cum nihil aliud sit quam vita æterna, ut dicitur Joannes.* 27. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum*: patet quod admissâ etiam perfatuâ illâ distinctione Pelagianâ, revera Baptismus est necessarius, ut quis æternam vitam consequatur:* quare Innocentius I. in Rescriptis ad Synodi Carthaginensis, & Milevitanæ Patres scribit: *Illud vero, quod eos vestra Fraternitas asserit, prædicare parvulos æternæ vitæ præmiis absque Baptismatis gratia posse donari, perfatuum est*,

XXV. Colligitur 2. nugacissimas esse interpretationes, quas Novatores accomodant verbis Christi Domini apud Joan. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua non potest introire in Regnum Dei, nam ut supra diximus*, vetitum est a Concilio Tridentino illa ad allegoricum, & metaphoricum sensum traducere; unde Catholica sententia est, Baptismum esse necessarium ad salutem necessitate medii, & præcepti; quia hoc semper Ecclesia, & credidit & docuit, Scripturam intelligendam esse secundum verborum proprietatem, ubi non cogimur evidenti absurdo aliam explicationem inquirere. Cum itaque Ecclesia semper constantissime defenderit illa verba continere necessitatem medii, & præcepti, indignum est illa diversimode interpretari. Ea quæ diximus supra §. 2. n 9. & 10. exhibent documenta ex Conciliis & Patribus, qui hanc opinionem propugnarunt. Nec juvat opponere filiis Christianorum non imputari peccata, cum sint filii Sanctorum, eo quod Apostolus 1. ad Cor. 7. dicat: *Filii vestri immundi essent, nunc autem Sancti sunt:* nam satis est quod Novatores advertant plurimos ex progenie Sancta genitos periisse, ut cumulatissime patet legenti Scripturas. Igitur ille locus Apostoli non referri debet ad munditiam ex gratiâ natam, sed ad mun-

ditiam legalem, civilem, politicam Corinthii opinabantur propter Conversionem unius ex conjugibus nuptias dirimi, & propterea natos ex illis nuptiis illegitimos esse. Contra hanc opinionem scripsit Apostolus, & filios Sanctos appellavit, idest mundos, & legitimos. Nihil demum concludunt quæcunque alia, quæ ex Scripturis repeti possunt testimonia, vel similitudines, vel exempla, cum in hac materia, tota ratio facti sit voluntas facientis. *Omnes nascimur filii iræ:* omnes in lavacro regenerationis mundamur, neque est aliud remedium sub cœlo datum ad delendum originale peccatum præter baptismum. *Nulla* inquit S. Augustinus l. 1. de peccat. mer. cap. 23. *ex nostro arbitrio præter Baptisma Christi salus æterna promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura divina, humanis omnibus ingeniis præferenda*. Et Concilium Carthaginense IV. Epist. Synodicâ ad Innocentium I. *Quicunque negat parvulos per Baptismum Christi a perditione liberari, & salutem percipere sempiternam, anathema sit*. Et tandem Concilium Trid. sess. 7. Can. 8. De Baptismo decernit quod: *si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, anathema sit*. Hinc Parentum sollicitudo, ut Baptismum filiis suis procurent, ne ab eternâ vitâ excludantur, quod si plures adhuc excluduntur, vel quia in utero matrum moriuntur, vel decedunt ante Baptismum, quam quæso allaturi erimus caussam? *Certe* inquit Augustinus l. 6. contra Julianum c. 14. *hic ubi fati nulla est immobilitas, nulla fortuna temeritas, nulla persona dignitas, quid restat, nisi misericordia, & veritatis profunditas? Sed tamen non sine suâ culpa pereunt, cum habeant Originale peccatum: & fingere remedium præter baptismum est contra scripturam, contra Concilia, & contra SS. Patrum testimonia*. Stultissimum est Buceri, & Martyris effugium, Infantes prædestinatos, etiam si moriantur sine baptismo, salvari. Refellit hoc Augustinus, qui lib. 3. de Origine animæ c. 10. *Quos enim*, inquit *Deus prædestinavit, iis remedia ad salutem efficacissima providit, proinde omnes, qui in infantia moriuntur, si prædestinati sint, sine dubio baptizantur, e contra si reprobi sunt non baptizantur*. Nec consonum est Opinioni Theologorum id quod Cajetanus scripsit in 3. p. S. Thomæ ad articulum 11. q. 68. *Sub conditione parvulos in uteris maternis periclitantes posse salvari, sicut infantes, qui non possunt baptizari;* quemadmodum alienum est, imò penitus contrarium usui Ecclesiæ orare pro pueris in materno utero periturís: *quis enim scit*, inquit Gersonus in Concione habita in Festo nativitatis B. M. V. coram Synodo Constantiensi, *si forte exaudiat*? Rectius de his dicit S. Thomas l. c. ad 1. *quod tales pueri possunt subiici operationi Dei, apud quem vivunt, ut quodam privilegio gratiæ santificationem consequantur, sicuti patet de sanctificatis in utero, vel de illis, quos matris martyrium adhuc latentes in utero Christi martyres coronavit.*

XXVI. Colligitur 3. Martyrium recte dici, & esse quoddam Baptisma. Id insinuatur ex verbis Christi Domini apud Marcum 10. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Nullus est, qui ignoret per hæc verba duos Fratres Jacobum, & Joannem abductos fuisse a cogitatione honorum, & mortalis Regni ad necessitatem tollerandi adversa pro Regno cælesti, illisque offerri Calicem bibendum in Martyrio: recte igitur comparatur Martyrium Baptismo, unde Cyprianus in epist. ad Jubajanum *numquid potest*, inquit, *vis Baptismi esse ma-*

major, aut potior, quam Confessio, quam Passio? Si Baptismus delet omnia peccata, Martyrium eundem effectum operatur. Quare Augustinus l. 13. de Civit. Dei c. 7. Scripsit: *Quicunque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi Confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur Sacro fonte Baptismatis; qui enim dixit: si quis non renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non introibit in Regnum cælorum, alia sententia illos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dicit, qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*.

Sed quomodo inquies Martyrium hanc gratiam confert? D. Thomas in 4. d. 4. q. 3. a. 3. ad 1. gratiam conferre docet non tantum ex opere operante *neque quantum ad pœnam, qua aliquis Martyrium explicet, quam contingit non esse sufficientem ad satisfaciendum pro peccato, neque quantum ad devotionem justæ voluntatis, quia contingit, quod voluntate, majori charitate informata, aliquis sine martirio non potest ab omni pœna liberari, sed hoc habet ex imitatione passionis Christi. Baptismus aquæ efficaciam habet a passione Christi, in quantum eam Sacramentaliter repræsentat. Baptismus Sanguinis in quantum Passioni Christi conformat realiter. Unde de martyrio dicitur Apocal.* 7. Laverunt stolas suas in sanguine agni, *& ideo pueri quamvis liberum arbitrium non habeant, si occidantur pro Christo, in suo Sanguine Baptizati salvantur*. Hoc evidentissime probat SS. Innocentium Martirium, cujus caussa illos, ut vere Martires veneratur Ecclesia, etiam si nihil per se operari potuerint.

XXVII. Adest & aliud Baptisma, quod Flaminis appellatur, hoc per veram pœnitentiam perficitur, & perfectam contritionem. *Aliquis*, inquit D. Tomas parte 3. q. 66. a. 11. in corpore, *per virtutem Spiritus Sancti consequitur effectum Baptismi, non solum sine Baptismo aquæ sed etiam sine Baptismo Sanguinis, in quantum scilicet alicujus cor per Spiritum Sanctum movetur ad credendum, & diligendum Deum, & pœnitendum de peccatis; unde etiam dicitur baptismus pœnitentiæ*. Idem ante D. Thomam docuerat Augustinus l. 4. de Baptismo c. 22. numero 29. *Invenio*, inquit, *non tantum passionem pro nomine Christi id quod ex baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidem, conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest*. Certe nonnulli Ecclesiæ PP. huic baptismati Flaminis nullam vim inesse crediderunt. Inter hos memorantur S. Fulgentius in l. de fide ad Petrum c. 3. n. 41. Gennadius in libro de dogmatibus Ecclesiasticis c. 74. PP. Concilii II. Bracarensis in canone 35. quo proibuerunt pro Catechumenis sine redemptione Baptismi defunctis offerri Sacrificium. His accedit Chrysostomus homil. 69. & consentiunt alii non pauci. Nihilo tamen secius placet sententia Innocentii III. in c. *Apostolicam* de Presbytero non baptizato, & sententia PP. Concilii Tridentini, quæ legitur in cap. 4. Sess. VI. Baptismum videlicet esse necessarium in re, vel in voto, & hæc est conformior Sanctis Scripturis. Ezechiel. 18. dicitur: *Si impius egerit pœnitentiam a peccatis suis, iniquitatum ejus non recordabor amplius. De Latrone illo* scripsit Augustinus in 4. l. de Baptis. contra Donatistas. c. 22. *cui non baptizato dictum est*: hodie mecum eris in Paradiso *B. Cyprianus non leve documentum assumpsit quod etiam atque etiam considerans*

invenio, non tantum passionem pro nomine Christi, id quod baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidem, conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest.

Quamquam vero uterque Baptismus Sanguinis, & Flaminis suppleant vices Baptismi Fluminis, ab hoc tamen plurimum, & inter se differunt. In nullo illorum datur essentia Sacramenti; desunt enim verba quæ sunt Sacramentorum forma, & in baptismo Flaminis, non solum verba desunt, sed deest etiam & illud signum externum sensibile, quod necessario requiritur ad Sacramentum (Trident. Sess. vii. Can. 1,) A neutro illorum imprimitur caracter (Sess. cit. can. 9.) non sunt Janua Sacramentorum (Sess. xiv c. 2.) Non sunt remedia contra peccatum ordinaria & omni tempore convenientia (Ses. cit. c. 2.) Demum non excludunt necessitatem recipiendi Baptismum Fluminis, si haberi potest, cap. *Caterbumenum* 37. distinc. 4. de Consecr. ut Baptismum recepit Cornelius licet justificatus in Actis Apost. c. 10. Postremo non perficiunt hominem ut sit capax. Sacramenta licite recipiendi, ut docet D. Basilius hom. 13. in exhortat. ad Baptis. petens exemplum ab Israelitico populo, cui ante transitum Maris Rubri Baptismi figuram, non licuit bibere ex Petrà manantem aquam, neque panem cœlestem manducare. *Nec unquam*, inquit ille, *ex spirituali petra bibisset, nisi ex figura baptizatus fuisset, nec tibi aliquis veram potionem, nisi vere baptizato, præbebit. Panem Augelorum ille post baptismum manducavit, tu autem quomodo viventem comedes panem, nisi sumpto prius Baptismi Sacramento?* Differunt etiam inter se, quia votum suscipiendi baptismi non extenditur ad parvulos; non sufficit in adultis, nisi excludat voluntatem peccandi, & sit Charitate perfectum: De via ordinaria non tollit omnem reatum pœnæ temporalis; imò S. August. h. c. Baptismum Sanguinis ipsi Baptismo aquæ præfert, & cum D. August. S. Tho. l. c. *quia, & gratia in Baptismo Sanguinis magis augetur habenti, & amplior datur non habenti, si impedimentum non adsit, & remissio peccatorum, quamvis non sit plenior, quia uterque omnem pœnam, & culpam tollit, tamen est in baptismo Sanguinis efficacior & fructuosior, quia secundis maculis non inquinatur, ut Damascenus dicit.*

XXVIII. Colligitur 4. contra Kemnitium tam Martyrium, quam Pœnitentiam peccata remittere, non vero solam Fidem, qua Martyres, aut Pœnitentes Christum apprehendunt. Peccata multa remittuntur Magdalenæ, quia dilexit multum, non solum quia credidit (Lucæ 7.) *Cum averterit se impius ab impietate sua*, legitur Ezech. 18. & *fecerit justitiam, ipse animam suam vivificabit.* Ex his, aliisque textibus, qui afferri possent probatur Martyrium, & Pœnitentiam peccata remittere. Sed idem demonstratur ex propria ratione observatâ a Kemnitio. Hic in 2. parte Examinis pag. 90. dicit *tria Baptismata venuste a Patribus admissa fuisse:* ergo? ut per illa cum fidei præparatione recipiamus gratiam, nam si dicat, ut per illa fides nostra excitetur, patet argumentum Kemnitij peccare contra perfectam enumerationem partium, cum multis aliis modis possit fides excitari. Nunquam vero Kemnitius credat nos opera nostra æquare Baptismo Aquæ, nam effectus Martyrii oritur immediate ex pacto, & promissione Domini. Non passio Martyrum ex se vim habet justificandi, & Conversio, & Pœnitentia sunt simplices dispositiones ad consequendam gratiam; imò neque hæc dispositio est opus no-

nostrum, cum ipsa bona voluntas sit opus Dei; Ipse enim est, qui operatur in nobis & velle. Ab illo in nobis producitur voluntas martyrii, & pœnitentiæ fervor, & ab illo perficitur.

XXIX. Colligitur ultimo necessitatem Baptismi non incepisse a primâ illius institutione, scilicet ante passionem Domini, aut quando Dominus a Joanne Baptizatus est in Jordane, sed Baptismus cœpit esse necessarius necessitate medii, & præcepti die Pentecostes: Cum enim Baptismus sit Sacramentum novæ legis, etiam illius obligatio ad novam legem pertinebat post illius publicationem; ita Concil. Trid. Sess. VI. cap. 4. Legimus certe in Evangelio Joan. c. 3. Christum Dominum Baptizasse, vel suos Apostolos per se, vel Apostolorum operâ ceteros, & propterea natam querelam inter discipulos Joannis, & Pharisæos dolentes, quod homines, Christi miraculis excitati venirent plures ad Christi Baptismum, ex hoc tamen non sequitur præceptum de suscipiendo Christi Baptismo tunc viguisse. Baptismus illa ætate erat res apud Judæos usitatissima, ita ut baptizarentur omnes; magnum tamen discrimen erat inter baptizatos a Joanne & baptizatos Baptismo Christi, quia etiam ante Christi mortem peccata delebat Christi Baptismus, & qui digne dispositi accedebant justificati revertebantur.

C A P U T IV.

DE EFFECTIBUS BAPTISMI.

§. I. Habet Baptismus suos effectus, in quibus recensendis Hæretici turpissimè hallucinantur.

Effectus Baptismi plures enumerat D. Chrysostomus homilia ad Neophitos. 1. Mundare ab omni macula peccati, vel Originalis, vel Actualis. *Nihil damnationis est iis*, scribit Apost. ad. Rom. 8. *qui sunt in Christo Jesu*. 2. Delere omnem reatum pœnæ. *Baptizatis*, inquit Eugenius IV. in suo Decreto pro Armenis, *nulla pro peccatis præteritis injungenda est Satisfactio*, & Concil. Trid. Sess. V. de peccato Originali: *nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoratur*. 3. Infundere Gratiam Sanctificantem: *Abluti estis*, 1. Cor. 6. *Santificati estis, justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri* 4. Producere justitiam. 5. Reddere Deo gratum baptizatum 6. Parere filios Dei non per deputationem externam, & moralem, sed per communicationem ejusdem Spiritus: *Quoniam autem estis filii*, ad Galat. 4. *misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra*. 7. Constituere Hæredes Dei: *Si Filii*, Apost. ad Rom. 8. *& Hæredes, Hæredes quidem Dei*. 8. Efficere cohæredes Christi, ad Rom. loco cit. *Hæredes quidem Dei, Cohæredes autem Christi*. 9. Conjungere nos Christo tanquam membra Capiti: *Quicunque enim in Christo baptizati estis*, ad Gal. 4. *Christum induistis*. 10 Consecrare fideles Templum Spir. S. 1. Cor. 3. *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis*. 11. Efficere nos organa Spir. S. a Rom. 8. *ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. 12. Facere ut caveantur peccata futura 1. Jo. 3. *Qui natus est ex Deo peccatum*

tum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet. His effectibus expositis concludit S. Doctor: *Vides quot sunt baptizatis largitates, nonnulli deputant cœlestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere, nos autem honores computavimus duodecim*. Additur his omnibus effectibus Character, sed de hoc egimus in Prolegomenis cap. 4. §. 2. n. 2. Quare satis est addere Characterem Baptismi, tum distinguere, tum ornare, & illustrare baptizatum, & hos effectus advertit idem Chrysost. homil. 2. in Epist. ad Ephes. Praterea hic Character est veluti potentia passiva recipiendi Sacramenta secundum aliquos ex Ecclesiæ disciplina, communiter vero ex Divina institutione.

II. In recensendis Baptismi effectibus plurimum discreparunt Etherodoxi a communi sententia Theologorum, imò a vero Catholicæ Religionis dogmate, quod Symbolum Constantinopolitanum exposuit: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum*, nam Messaliani, ut scribit Theodoret. lib. 4. hæretic. fabularum hæresi xi. Baptisma dixerunt suscipientibus nihil prodesse. Non tolli, sed solum regi peccata per Baptismum Origenistæ tradiderunt ex testimonio Epiphanii hæresi 64. Novatores denique, peccata omnia remitti quidem per Baptismum prædicarunt, sed interim nullum penitus tolli dixerunt; unde etiam post Baptismum manere in nobis peccatum scripsit Calvinus in Antidoto Concil. Trid. Sess. v. sed quia deletur reatus, imputatione nullum esse. Veteres errores Concilium Florentinum in litteris Unionis proscripserat, recentes damnavit Concil. Trid. in laudata Sess. v. in qua hunc Canonem edidit: *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismo confertur reatum originalis peccati remitti negat: aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari. Anathema sit*. *Christus*, scribit D. Tho. distinc. 4. q. 2. a. 1. ad 2. q. *per mortem suam sufficienter satisfecit pro peccatis totius humani generis, etiam si essent multo plura, & quia homo per Baptismum in mortem Christi baptizatur, & ei commoritur, & consepelitur, ut dicitur ad Rom. 6. ideo Baptismus, quantum in se est, totam efficaciam Passionis in Baptizatum influit, & propter hoc absolvit, non solum a culpa, sed a pœna satisfactoria*. Præterea Baptismus est regeneratis in vitam Spiritualem. Ergo omne quod est vitæ Spirituali contrarium, quod scilicet cum gratiâ stare non potest, quæ est spiritualis vitæ principium, per baptismum tolli debet, & ideo baptismus debet Culpam originalem, & quamcunque aliam actualem auferre, & pœnam illam, quæ actum personæ privaret, scilicet carentiam visionis Divinæ auferre debet, sed non aufert actu infectionem, quæ afficit naturam, quod patet ex hoc, quod baptizatus per actum naturæ originale transmittit in prolem. Similiter nec aufert pœnas quæ consequuntur principia naturæ destitutæ gratia innocentiæ primi status cujusmodi sunt rebellio carnis ad Spiritum, mors, & hujusmodi pœnalitates, quæ consequuntur ex hoc ipso, quod homo ex contrariis compositus est, & quantum ad Corpus, & quantum ad animam, quodammodo scilicet quantum ad appetitum sensus, & intellectus, sed per gratiam baptismalem efficitur, ut hæ pœnæ remanentes non dominentur in personam, sed magis ei subjiciantur, & in utilitatem ipsius cedant, quatenus sunt materia virtutis, & occasio humilitatis, & exercitii.

III. Nec aliter sensit Apostolus dum ad Ephes. 5. scripsit Christum Dominum suam Ecclesiam dilexisse, & se ipsum tradidisse pro eâ *ut illam*

San-

Santificaret mundans lavacro Aquæ in verbo vitæ; & dum Efficaciam mortis Christi Colossensibus demonstravit c. 1. scribens: *reconciliavit vos in corpore carnis ejus per mortem exibere vos Sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles*, quod intelligitur, quantum attinet ad justificationem per Baptismum a Deo acceptam, nam postea bene possunt homines labi, & ea facere quæ reprehensionem merentur.

IV. Sed jam saluberrimi hujus effectus promissiones per Christi merita in leg. gratiæ adimplendas legimus in prophætis. Apud Ezech. c. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*, apud Isaiam c. 1. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum sicut nix dealbabuntur, & si fuerint rubra, ut vermiculus. sicut lana alba erunt.* Quomodo vero magnificis his promissionibus Deus satisfecisset, si Sacramentum Baptismi non tolleret reipsa omne id quod habet in homine rationem peccati? Etiam Joannes mentitus esset cum cap. 3. scripsit. *Quod natum est ex carne caro est, quod natum est ex Spiritu, Spiritus est*, & Apostolus dum in 2. ad Cor. c. 6. baptizatos templum Spiritus Sancti appellavit, certe turpissimum templum Spiritui S. destinasset. Integram hanc munditiam per Baptismum in nobis derivandam præfiguravit jam languentium, aridorum, cæcorum, & claudorum valetudo post aquæ motionem in piscinâ, ut describitur in c. 5. Joan. Cæcus ille a nativitate, quem Christus Dominus misit ut se lavaret in Natatoriâ Siloe, de quo scribitur apud eundem Joannem c. 9. quod *abiit, & lavit, & venit videns*. Mundatio a Leprâ Naaman principis Regis Syriæ postquam descendit, & lavit se in Jordane juxta sermonem Elisei, de quo scribitur in l. 4. Reg. c. 5. *quod restituta est caro ejus sicut caro pueri parvuli, & mundatus est*. Tandem ne facta singula repetam quæ ad hanc rem confirmandam peti possunt ex scripturâ, satis sit Ægyptiorum omnium (cum nec unus quidem ex eis superfuerit ut describitur in c. 14. Exodi) submersio in mare rubrum quam considerans S. Gregorius l. 9. Epist. 39. ait: *qui dicit peccata in Baptismate non funditus dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos*.

V. Vident ergo, & audiunt Novatores, quibus fundamentis Catholica veritas innitatur, sed non vident Orthodoxi ex insulsis illorum fallacijs posse detrahi veteri opinioni, quæ ubique gentium a primis usque Evangelii temporibus, ubique gentium ita invaluit, ut nec Ethnicos ipsos lateret, qui propterea Christianos criminabantur, quod balneum haberent flagitijs omnino omnibus abstergendis aptissimum non sine fidei dedecore, quæ sectatores suos beneficio tam amplissimo alliciebat ad perpetranda quæcunque vellent facinora. Expungant itaque Novatores a suis mendaciis horrendum illud, quo invidiam in D. Augustinum excitare vellent, dum indecore illius Auctoritatem traducunt, & ad confirmandam suam dementiam trahunt. Ubinam Augustinus scripsit: *Peccatum in Baptismo remittitur, non ut non sit, sed ut non imputetur*? Melanctonus voluisset hanc blasphæmiam in Augustino invenire, eandem voluisset invenire Lutherus, sed utrumque mendacem esse probat Joannes Roffensis in suo opere, quod edidit anno 1523. imò & mendacem, & calumniatorem fuisse Calvinum Eckius demonstravit, neque ad se purgandum autenticum documentum illum posse producere; unde falsitatis convictus, destitit ille citare Augustinum, quod ceteri non fecerunt, nec adhuc faciunt quoties Apologiam Confessionis Augustanæ imprimunt, nam in fe-

secundo articulo illius Apologiæ semper Augustini verba leguntur, & traducuntur. Quid Augustinus senserit de Baptismi efficacia apertissime exposuit l. 3. de Symbolo ad Cathecumenos c. 10. *Omnia prorsus delicta delet S. baptisma, originalia, & propria, dicta, facta, cogitata, cognita, incognita omnia dimittuntur*. Habet hic Calvinus ad quam velit referri delictorum speciem peccatum illud, quod manet post Baptismum, puto certe illud referet ad peccata incognita; sed hæc per Augustinum baptismus delet. Igitur si cum Augustino velit Calvinus dirimere controversiam de efficaciâ Baptismi, oportet illum nobiscum sentire.

Illud favere potest Calvino, quod Augustinus scribit lib. 6. contra Julianum c. 16. *Baptizatus omni peccato caret, non omni malo, quod planius ita dicitur omni reatu, omnium malorum caret, non omnibus malis*. Fallitur tamen oppido Calvinus, & decipitur specie opinionis quæ illi videtur sua, sed sua non est. Mala quæ D. Augustinus dicit remanere post Baptismum, non sunt mala, quæ animæ inhæreant, scilicet quatenus habent rationem actualis aversionis a Deo, & conversionis ad Creaturam, in quo consistit vera natura mali moralis. Mala dicuntur quatenus sunt pœnæ naturæ destitutæ justitiâ originali, quæ tamen pœnæ non remanent ad peccati vindictam, sed ut definivit Concilium Tridentinum Sess. cit. can. 5. *ad virtutis exercitium: Manere in Baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc S. Synodus fatetur, & sentit, quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non sentientibus, sed utiliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus, non valet: quin imò, qui legitime certaverit, coronabitur*. Non acquiescunt tamen Novatores huic doctrinæ, sed eam aliis impetunt argumentis, in quibus non immoramur, tum quia ineptiæ sunt, & deliria, tum vero maxime, quia non minus gravia in Novatoribus ipsis errata deprehendimus in sequentibus refellenda.

§. II. *Hæreticum est asserere eos, qui Christum in Baptismo induunt, quia peccatum non habent, non posse ammittere gratiam Dei, nisi nolint credere, aut non posse damnari, etiam si perditissime vivant*.

VI. Suâ ætate utrumque errorem florentem proscripsere Hieronymus, & Augustinus, ille lib. 2. contra Jovinianum, hic lib. de hæresibus c. 82. & lib. 21. de Civit. Dei c. 25. Sed demum revixit per Calvinum, & per Lutherum. Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini Sess. VII. c. 7. docet hominem semel vere justificatum non posse unquam a gratiâ excidere & perire. Baptismo tanquam Dei Chirographo nos certiores reddi perpetuâ adoptionis gratiâ. *Veram fidem* ait. lib. 3. Instit. c. 2. §. 11. & 12. *Semel habitam amitti non posse, & esse donum electorum proprium*. Lutherus vero in lib. de captivitate Babil. c. de Baptismo docuit: Non posse hominem damnari nisi nolit credere: *Nulla peccata eum possunt damnare nisi sola incredulitas, Cetera omnia, si redeat, vel stet fides in promissionem Divinam baptizato factam in momento absorbentur per eandem fidem*.

Concilium Trid. loco supra cit. can. 6. merito hos errores proscripsit: *si quis dixerit baptizatum non posse etiam si velit gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere Anathema sit*. Quamvis in sua 1. epist. Joan. c. 3. scripserit: *Omnis, qui natus est ex Deo peccatum*

non

non facit, quia semen ipsius in eo manet, & non potest peccare quoniam ex Deo natus est, & cap. 5. *Qui natus est ex Deo non peccat, sed generatio Dei conservat eum*, tamen etiam Apostolus Rom. 11, hæc insinuat; *Tu fide stas, noli altum sapere, sed time* unde videtur dicendum, quod quando D. Joannes inquit *Qui natus &c.* si est, & manet in hac nativitate, sane non peccat, potest tamen originem Sanctam amittere, pro ut convertit se ad Creaturas cum aversione a Deo, quod explicari solet per sensum compositum, & divisum. Neque (cum homo sit liber) facit gratia, ut non possit operari ex alio principio opposito. Sic fit jactura gratiæ, ut in Adamo, & idem in Angelis factum esse certius est. Veritatem hanc variis in locis demonstrat Augustinus, præcipue vero lib. 2. de peccat. mer. c. 7. lib. de gratia Christi c. 20. & Tractatu 5. in 1. Joannis. Scribit itaque S. Doctor: *In Baptismo quamvis tota, & plena fiat remissio peccatorum, tamen si continuo tota & plena etiam hominis in æternam novitatem mutatio fieret, non diceret Apostolus: Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem. Profecto enim qui de die in diem renovatur nondum totus est renovatus. Proficimus ergo in renovationem justamque vitam per quod filii Dei sumus, & per hoc peccare non possumus. Nunc ergo ei* (sc. Deo) *& similes esse jam cepimus primitias habentes Spiritus, & adhuc dissimiles per reliquias vetustatis. Illinc ergo peccare nos possumus: hinc vero si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus; quapropter ipse Joannes l. cit. c. 2. Filioli mei, inquit, hæc scribo vobis, ut non peccetis, sed & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum*. Monitum hoc, & consilium profecto vanitatem probant opinionis Calvini.

Non minus patet Blasphemiam complecti propositionem Lutheri ex 1. ad Cor. c. 13. *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam charitatem autem non habuero nihil mihi prodest*. Quid est habere charitatem, nisi manere cum Deo, & Deum manere in illo? *Qui manet in Charitate*, scribit Jo. in 1. Ep. 4 *in Deo manet, & Deus in illo*, sed non omnis in charitate manet: Igitur non omnis manet in Deo, quod idem est ac dicere etiam cum sola fide hominem posse damnari. Cum illa fide non damnabitur homo quæ habet initium a justitia, secundum illud: *justus meus ex fide vivit* 1. Gal. 3. ceterum si deerit hæc justitia, habuisse talem fidem majus peccatum erit, numquam vero remedium contra æternam ruinam. Quam sunt ridiculi Novatores si ita credentes arbitrantur se in perpetuum non cruciandos, quod credentis in Christum nulla sint tam mala opera, quæ possint illum accusare, & damnare. Evanuerunt in cogitationibus suis.

VII. Colligitur 1. per baptismum non liberari homines a servandâ Divinâ lege; quamvis tamen Novatores id velint, illis adversatur Scriptura, & contra illorum opinionem est canon 7. sess. VII. Concilii Tridentini de Baptismo. Matth. c. 19. dicitur *Si vis ad vitam ingredi serva mandata*. Ad Rom. 8. *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus, si enim secundum carnem vixeritis moriemini, si autem Spiritu facta Carnis mortificaveritis, vivetis*: & in 2. ad Cor. 5. *omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, sicut gesserit, sive bonum sive malum*. Ex his auctoritatibus satis liquet baptizatos teneri ad obser-

observantiam Divinæ legis. Præterea Baptismus est inter Christianos, ut Circumcisio erat inter Judæos. Debitum circumcidentis se quale esset dicit Apostolus in Epist. ad Galat. c. 5. *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ*, idem igitur erit debitum suscipientibus Baptismum. Addidit certe Apostolus post pauca, Galatas in libertatem vocatos esse; sed in quam libertatem? in libertatem Sanctam, quæ liberati sunt a duro onere sub Idolis, & servitute Judaica postquam secuti sunt Christum. Impium est ergo, quod Novatores volunt, hinc liberos esse Christianos ab omni inter homines positivo præcepto Superiorum, Parentum, & Prælatorum. Hoc sane est abuti libertate naturali, & pereunt Respublicæ, si semel persuasum est hominibus, se his præceptis non teneri in conscientiæ, neque reliquis præceptis, quæ in Divinâ lege continentur. Errorem hunc damnavit jam Apostolus ad Romanos scribens c. 6. nam cum dixisset illos non esse sub lege per modum interrogantis quærit. *Qid ergo? Peccabimus quoniam non sumus sub lege? Absit. Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum servi estis ejus cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam?* Temere quisquam obiiciet non esse majorem nunc libertatem, quam sub Moyse, nam Christiani communiter habent quæ obligant Præcepta Decalogi, & quinque Ecclesiæ leges, si aliqui pluribus aliis legibus adstringuntur, hoc libere elegerunt, idque ob finem optimum, & quia utilitatem offerunt longe aliam, quam Mosaicæ Ceremoniæ. Teneamus ergo & fidei Doctrinam, quam nos Scripturæ docuerunt, & detestemur Novatorum deliria cum supra citato Concilio Tridentino, a quo Anathemate animadvertuntur qui dixerint, *baptizatos, per baptismum ipsius tantum fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ*. Sed advertendum est, quod dum Novatores dicunt, nos non teneri ad observantiam Divinarum legum, non dicunt hoc quia ipsi credant Divinam legem non obligare in conscentiâ, ita ut non sit peccatum illam violare, sed ajunt ejusmodi prævaricationes non imputari fidelibus, id vero non cohæret cum illâ sententiâ Redemptoris apud Joan. c. 5. *Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii*. Falsum est igitur violatores Divinarum legum non esse severissime puniendos, & verum est non esse liberos ab earum legum observatione.

VIII. Colligitur 2. quod cum ex Divino præcepto teneantur omnes obedire legibus humanis, Ecclesiasticis, & Civilibus juxta illud Apostoli ad Rom. 13. *Omnis anima Potestatibus superioribus subdita sit: qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*, vanissimum est argumentum, quo Novatores utuntur, ut suos Sectatores retrahant ab hujusmodi legum custodiâ: Ita illi arguunt. Per Baptismum addicimur Divinæ servituti; ergo liberamur ab omnibus aliis vinculis. Atque hoc est quod scripturæ passim docent Matth. ultimo *Baptizantes &c. docentes eos servare quæcunque mandavi vobis* ad Colos. 2. *Si mortui estis cum Christo ab Elementis hujus mundi, quid adhuc decretis mundi tenemini juxta mandata, & doctrinas hominum?* Ezechiel. 20. *In præceptis Patrum vestrorum nolite ambulare*, & Jacobi c. 4. *Unus est legislator qui potest perdere, & salvare*, ergo pugnat cum Baptismo obser-

obsservantia legum humanarum. Hæc Kemnitius in suo examine, & Calvinus in suo Antidoto. *Ubi hoc falsum esse*, inquit, *demonstraverint, non recusabimus, quin suis nos legibus adstringant*.

Quid vult Calvinus quod demonstremus? Ex veris propositionibus ab illo non intellectis ipsum falsissimam consequentiam desumpsisse? Nihil est facilius. A summo Legislatore Deo, de quo loquitur D. Jacobus, & cui soli convenit perdere, & salvum facere, transit ad hominem Legislatorem. Non videtur igitur bene argumentatum esse Calvinum, qui transiit de genere in genus, ut veram propositionem falsam ostenderet, illam scilicet, quæ docet etiam aliquos homines esse vere Legislatores, sed a Deo dependentes, juxta illud Proverb. 8. *Per me Reges regnant, & Legum conditores justa decernunt* & Psal. 2. *erudimini qui judicatis terram*. Ex contextu Sermonis probatur Jacobum de summo Legislatore Deo locutum fuisse. Siquidem optabat ostendere, non licere detrahere proximo suo, hac ratione, quia qui *detrabit fratri suo, detrabit Legi*. Quasi non bene lex prohibeat detractionem. Opus hoc & ministerium est Judicis inquirere, utrum lex, bene, aut non, prohibeat detractionem quod munus homini, ut Jacobus advertit convenire non potest, quia homo est, & Lex est Divina. Hæc sunt Jacobi verba; *Qui detrahit legi judicat legem, si autem judicas legem, non es factor legis, sed judex*. Sed quis audebit Divinam legem judicare? & propter hoc addit *unus est Legislator & judex, qui potest perdere & salvare*. Superiora fundamenta Kemnitii jam rejecimus in prima illatione, ubi cum Apostolo ad Galat. 5. ostendimus conditionem illius libertatis, quæ nascitur a baptismo, quam idem Apostolus ad Rom. 6. appellat *libertatem a peccato*. Sic enim ait *liberati, a peccato*; sed quæ connexio libertatis a peccato cum libertate ab hominibus? Liberantur a peccatis, & fiunt servi Dei, sic dicitur ab Apostolo l. c. ut Servi Dei, necesse est, quod Deo pareant, & quibus Deus voluerit, & hi sunt in quibus condendarum Legum transtulit Auctoritatem. Pluribus in locis id insinuat Apostolus, & nihil frequentius in Sacris Scripturis occurrit Divino mandato, quo præcipimur obedire etiam ipsis Præpositis discolis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus nostris reddituri, & hoc Divinum mandatum inter illa plura continebatur, quæ nos docuerunt Apostoli, ut notavit Kemnitius ex ultimo capite Matthæi, tanquam ex necessitate præcepti observanda. Quare Concilium Tridentinum l. supra cit. canon. 8. definivit: *Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus S. Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta, vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint Anathema sit*.

IX. Colligitur 3. Non esse audiendos Novatores dum docent Baptismum omnia Vota rescindere, tum illa ipsum antecedentia, tum illa quæ ipsum subsequuntur. Vota Deo emittere non solum apud Catholicos, verum apud Judæos, & Gentiles mos invaluit, Ex Deuter. c. 23. primum constat. Secundum late probant Alexander ab Alexandro lib. 2. dierum genial. Theophilus Raynaudus Tom. 4. lib. 4. Sect. 3. Demsterus ad Rosinum lib. 1. Antiquit. c. 15. aliique plures. Singulis his Nationibus magnæ semper curæ fuit Vota ipsa solvere, & adimplere. De Judæis constat ex loco cit. Deuteron. *Si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum, si nolueris polliceri absque pec-*

tato eris, quod autem semel egressum est de labiis tuis observabis. & facies sicut promisisti Deo tuo. De Gentilibus constat, adeo diligenter vota Diis facta solvisse, ut statim post ea emissa Deos precarentur, ut rata essent. Videatur Brissonius libro 1. *de formulis*. Quod vero etiam Catholici consueverint vovere Deo a primis Ecclesiæ sæculis facile constat ex variis legibus ab ipsa Ecclesia statutis ab antiquissimis usque temporibus, quæ a Gratiano congeruntur sub causa 20. quæst. 1. ut propterea mirum sit Petrum Martyrem, aliosque Novatores in lib. *de votis, & cælibatu* asserere *vota tantum pertinere ad Judæos, non ad Christianos* illo levissimo fundamento, quia voti sæpe mentio fit in Veteri Testamento, nunquam vero in Novo. Ex imperitiâ Scripturarum hoc excidit Petro Martyriri, nam communis sententia est Interpretum, & Theologorum omnium illa verba Apostoli in 1, ad Titum c. 5. *Viduas honora, quæ vere viduæ sunt* indicare in prima Ecclesia fuisse tum virginum castarum, tum etiam viduarum Collegia, ac velut Monasteria, de quibus Ignatius Epist. ad Philippen. *saluto* inquit, *Collegium Virginum, & cætum Viduarum*. Ex his Viduis deligebantur Diaconissæ, quæ alias mulieres instruebant, & aptas reddebant baptismo. Præerant Foribus templi, per quas mulieribus erat aditus, & in persecutione ferebant mandata Episcopi ad alias, ut longâ oratione de his disserit Epiphanius *hæresi* 79. Merito igitur contra hunc Errorem definivit Trid. l. c. can. 9. *Si quis dixerit ita revocandos esse homines ad Baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia, quæ post baptismum fiunt vi promissionis in Baptismo ipso jam facta irrita esse intelligant, quasi per ea Fidei, quam professi sunt detrahatur, & ipsi Baptismo, anathema sit.*

X. Colligitur 4. sola memoria baptismi non posse dimitti peccata quæ fiunt post baptismum. Putant Novatores & inter hos Kemnitius contrarium suaderi a Scriptura, nam Apostolus ad Titum 3. scribit *salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*, & Petrus in sua 1. Epi. c. 3. inquit *salvos nos facit Baptisma* & Christus Dominus apud Marcum cap. ultimo, *qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit*, quare his præmissis auctoritatibus sic argumentantur. Illa peccata per Baptismum remittuntur, quorum remissionem certam & indubitatam promittunt Scripturæ, sed peccata quæ per Baptismi gratiam remittuntur ex laudatis textibus sunt præterita, præsentia, & futura, ut patet. Ergo omnia remittuntur; unde quæ post Baptismum peccata fiunt non indigent pœnitentia. Hinc Augustinus super illa verba ad Ephesios 5. *mundans eam lavacro aquæ* libro 1. de Nupt. & Concupiscentia c. 33. scribit: *Quod Paulus ait*: mundans eam lavacro aquæ, *sic accipiendum est, ut eodem lavacro regenerationis, & verbo sanctificationis, omnia prorsus mala ominum regeneratorum mundentur, atque sanentur, non solum præterita peccata, quæ omnia nunc remittuntur in Baptismo, sed etiam quæ posterius humana ignorantia, vel infirmitate contrahuntur, non ut Baptismus quoties peccatur toties repetatur, sed quia ipso, quod semel datum est fit, ut non solum antea; verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur*. Videtur nihilominus quod Kemnitius non vult intelligere sensum Scripturarum. Conferat priora verba petita ex Epistola Petri cum posterioribus, & statim intelliget *Arcam* fuisse typum Baptismi, & *Baptismum* similem formam habere: sicut enim Arca salvavit octo Animas a morte corpori; ita Baptismus salvat a morte animæ: dans vitam spiritualem, non carnis de-

depositio. Pulchre igitur in illo loco declarat Apostolus Petrus quomodo virtute Baptismi salvemur, sed non comparat Baptismum cum peccatis. Pro intelligentia auctoritatis petitæ ex Evangelio D. Marci distinguendus est effectus Baptismi ab ejusdem fine. Effectus Baptismi est remissio peccatorum præteritorum; finis autem vita beata, quam indicant verba *salvus erit*. Augustinus vero nihil favet Kemnitio, solum enim dicit Baptismo peccata futura purgari aliquo modo, quia sine percepto baptismate, cetera nihil prosunt quæ fiunt ad peccatum purgandum, ut Jejunia, Orationes, Eleemosinæ &c. *Quid enim*, inquit, *prodesset, vel ante Baptismum pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur, vel postea nisi præcederet?* Id quod Augustinus sensit de vero effectu Baptismi, scripsit in Epist. 23. ad Bonifacium: *semel acceptam Parvulus Christi gratiam non ammittit, nisi propria impietate, si ætatis accessu tam malus evaserit; tunc enim etiam propriè incipiet habere peccata, quæ non regeneratione auferantur, sed alia curatione sanentur.* Hanc curationem facilem invenit Lutherus in lib. de Captiv. Babyl. cap. de Baptismo, ubi docet: *qui peccando a Fide, & a Baptismi fœdere recessit, si iterum incipiat credere, & amplecti fœdus Baptismi sui, certe salvus erit*; additque Judæos in veteri Testamento ita consuevisse Deo reconciliari, scilicet *revocando in memoriam exitum de Ægypto*; sed remedium hoc a Luthero excogitatum, prorsus est inutile; nam redire ad fœdus Baptismi, idem est ac redire ad Baptismum, quod per solam cogitationem seu Baptismi memoriam non fit: præterea, si ille, qui peccando, a fide, & a Baptismi fœdere recessit, hac curatione a Luthero proposita sanari poterit, poterit etiam in pristinum antiquarum felicitatum statum redire per earumdem recordationem, qui se misere sentit torqueri. Hoc non contigisse Evangelico Diviti mortuo, & in Infernum sepulto, etiam si illum Pater Abraham excitasset, ut recordaretur bonorum, quæ in vità receperat, refert Christus Dominus apud S. Lucam c. 16. igitur neque primum fieri poterit; quemadmodum etiam fieri non potest, quod quis a fide Apostata ad fidem redeat per hoc, quod recordetur se antea credidisse, nisi iterum credere incipiat. Quod vero Lutherus addit de Hebræorum reconciliatione per solam recordationem exitus de Ægypto, merum ipsius commentum est, nam hæc rammemoratio, non erat caussa efficiens hujus reconciliationis, sed vera pœnitentia, ad quam excitabantur Hebræi, dum recolebant magnalia, quæ fecerat Dominus, ut illos a Pharaonis servitute liberaret, & ab Ægyptiorum jugo. Quid prohibet, quod nos ipsi recolentes illa singula beneficia, quæ nobis per Baptismum advenerunt, retrahamur a culpis, & dolentes propter divinas offensiones, cum excitante Deo per pœnitentiæ Sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare studeamus, præsertim cum Synodus Tridentina l. cit. can. 10. sub interminatione anathematis decernat dici non debere: *peccata omnia, quæ post baptismum fiunt, sola recordatione, & fide suscepti Baptismi, vel dimitti, vel venalia fieri?*

XI. Colligitur 5. etiam inter suos effectus Baptismum recensere, quod baptizati Christo incorporentur, ut membra ejus. Profecto a Capite Christo in omnia membra ejus gratiæ, & virtutis plenitudo derivat secundum illud Joan. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*; unde manifestum est quod per baptismum aliquis consequitur gratiam, & virtutes. Ex eodem principio infert D. Thomas q. 69. a. 5. in cor. *quod baptizati illuminantur a Christo*

cir-

circa cognitionem veritatis, & fecundantur ab eo fecunditate bonorum operum per gratiæ infusionem; imò cum *pueri sicut & adulti in baptismo efficiantur membra Christi, necesse est* inquit idem S. Doctor l. c. a. 6. quod *a capite recipiant influxum gratiæ, & virtutis.* Nec valet reponere pueros esse inhabiles ad eliciendos actus virtutum, nam ista impotentia operandi non accidit pueris ex defectu habituum, sed ex impedimento corporali, sicut etiam dormientes, quamvis habeant habitus virtutum, impediuntur tamen ab actibus propter somnum. Minime vero alicui mirum videatur quod in Baptizatis cum habitibus virtutum reperiatur nimia in malum propensio, hæc enim oritur a concupiscentiâ, quæ, ut dictum est alibi, non tollitur a Baptismo; quemadmodum, quanquam Apostolus ad Ephes. 3. affirmet illuminationem haberi per doctrinam; *mihi omnium Sanctorum minime data est gratia hæc illuminare omnes,* nihilominus etiam Deus illuminat interius baptizatos, *præparans corda eorum ad recipiendam doctrinam veritatis* ut dicitur apud Joan. c. 6. *Est scriptum in Prophetis: Erunt omnes docibiles Dei.* Non obest etiam quod Augustinus Epist. 23. fidem dicat consistere in credentium voluntate, qua cum careant pueri, carere etiam debent reliquis virtutibus, nam distinguendi sunt Actus virtutum ab habitibus, illi requirunt actum voluntatis, non vero isti, qui solum requirunt potentiam voluntatis, quæ est in pueris; hinc idem August. l. c. inquit: *quod parvulum, etsi nondum illa fides, quæ in credentium voluntate consistit, jam tamen ipsius fidei Sacramentum, quod scilicet caussat habitum fidei, fidelem facit.* Quo vero nomine hæc gratia appellari debeat non expedit definire. Duæ sunt opiniones, ambæ doctissimos Theologos habent patronos. Prima docet esse habitum a Deo immediate infusum, quo impius fit formaliter justus. Altera oppositum sustinet, justificationem scilicet non fieri per illa dona infusa: propterea contendunt infusionem, de quâ Concilium Trident. loquitur explicandam esse de actu non de habitu infuso, unde volunt virtutes Theologales in justificatione infundi, quod in justificato sint, & permaneant in vi illius auxilii actualis efficacis, cujus caussa impius ad Creatorem suum convertitur. Quomodo loquatur Concilium Tridentinum legitur in c. 7. Sess. VI. *Quanquam nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri I. C. communicantur, id tamen in hac impij justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum S. charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret: unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo, fidem, spem, & Charitatem.* Prioris sententiæ auctores non intelligunt quomodo fieri possit, ut pueri ratione non utentes, per efficax Dei auxilium eliciant actum intensissimum amoris Dei, quod sequi debet si vera sit secunda sententia, cui non se subcribit Augustinus Epist. 57. ad Dardanum. *Unde autem in ipso tanto salutis præsidio, quando parvulis gratiâ Christianâ subvenitur, quod vocibus, quibus possunt, & motibus reluctantur, non eis imputatur, atque omnis renisus ipsorum nihili penditur donec in eis Sacramenta peraguntur, quibus id quod de originali damnatione tractum est, expiatur, nisi quia intantum nesciunt quid faciunt, ut nec facere judicentur? Porro si jam uterentur rationis, & voluntatis arbitrio, quo illi Sanctificationi adhiberi deberet assensus, quantum mali esset resistere tantæ gratiæ, quamquam nihil prodesset quid fieret, verum etiam inde reatus accresceret, quis Christianus ignoret?*

XII. Col-

XII. Colligitur tandem effectus omnes, quos a baptismo oriri hactenus demonstravimus, præter Characterem, suspendi per defectum interioris dispositionis, quæ non reperiatur in adulto etiam Hæretico, vel Schismatico suscipiente Sacramentum, quamquam exterius, tum ipse, tum Minister omnia faciant, quæ ab Ecclesia præscribuntur; nam quæ esse potest societas lucis ad tenebras, virtutis cum vitiis, & gratiæ cum peccato? Verum tamen est, quod recedente fictione, silicet simulatione dispositionis, quæ jure Divino requiritur ad baptismi gratiam recipiendam, reviviscet baptismus in suis effectibus, & peccata omnia, quæ illum præcesserunt, absterget. *Quid*, inquit D. Augustinus contra Donatistas lib. 1. cap. 12. *si ad ipsum baptismum fictus accessit, dimissa sunt ei peccata, an non sunt dimissa?...... si dimissa dixerint, quomodo ergo Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum, si in isto ficto remissionem operatus est peccatorum? si dixerint non esse dimissa, quæro, si post fictionem suam corde concusso, & vero dolore fateretur, denuo baptizandus judicaretur? Quod si dementissimum est dicere* (fictum illum, ut baptismatis effectum recipiat, iteratò esse baptizandum) *fateantur vero baptismo Christi baptizari posse hominem & tamen cor ejus in malitia vel sacrilegio perseverans, peccatorum abolitionem non sinere fieri: atque ita intelligant in communionibus ab Ecclesia separatis posse homines baptizari ubi Christi baptismus eàdem Sacramenti celebratione datur, & sumitur: qui tamen tunc prosit ad remissionem peccatorum, cum quis reconciliatus unitati, sacrilegio dissensionis exuitur, quo ejus peccata tenebantur, & dimitti non sinebantur,......* oportet dicere, quod Baptismi Sacramentum *tunc valere incipiat ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit*. Quatuor autem modis aliquis fictus dici potest. Vel quia non credit cum tamen baptismus sit fidei Sacramentum; vel quia contemnit ipsum Sacramentum; vel quia aliter celebrat Sacramentum, non servans ritum Ecclesiæ; vel demum per hoc, quod indevote accedit, & ideo ad hoc ut aliquis justificetur per baptismum, requiritur, quod voluntas hominis amplectatur baptismum, & baptismi effectum. Ne quis vero putet fictionem removeri per baptismum: *non per hunc, sed per pænitentiam*, inquit S. Thomas. l. cit. q. 69. a. 10. ad 2. *fictio removetur, quà remotà baptismus aufert omnem culpam, & reatum omnium peccatorum præcedentium baptismum, & etiam simul existentium cum baptismo*. Unde Augustinus dicit in lib. de Bapt. *solvitur externus dies, & quicquid superest solvitur etiam ipsà horà, momentoque ante baptismum, & in baptismo: deinceps autem continuo reus esse incipit*. Et sic ad baptismi effectum consequendum concurrunt Baptismus, & Pœnitentia, sed Baptismus sicut caussa per se agens: Pœnitentia sicut caussa per accidens, idest removens prohibens. Hanc reviviscentiam aliqui Theologi extendunt ad Sacramentum Ordinis, & Confirmationis, quod eorum Sacramentorum virtus, inquiunt permaneat in Charactere, quem fictus recepit.

C A-

CAPUT V.

DE DISPOSITIONIBUS QUAE AD BAPTISMUM REQUIRUNTUR.

SI Baptismus est Parvulorum nullas in illis dispositiones prærequirit Ecclesia, has tamen requisivit Lutherus, nam in lib. de Captiv. Babyl. cap. de Baptismo inter alia hæc tradit. *Omnia Sacramenta ad fidem alendam instituta sunt*, & rursus *Sacramenta non justificant, nec ulli prosunt sed sola fides*, & iterum *Sacramenta non implentur dum fiunt sed dum creduntur*. Patet ex his quod Lutherus fidei necessitatem exposcit in Parvulis, antequam baptismum suscipiant, & propterea in libro contra Cochlæum scibit: *Dicimus ad Baptismum infantes credere per vim verbi, quo exorcizantur, & fidem Ecclesiæ eos offerentis, & eis fidem Orationibus suis impetrantis. Allioqui mera, & intollerabilia essent mendacia quando baptizans a parvulo quærit an credat, non baptizaturus, nisi vice ejus respondeatur*, Credo. *Ut quid interrogat an credat, si certum est eos non credere? ut Cochlaus contendit. Esto Augustinus sic aliquando dicat; sed Cochlao satis sic esse sit ab homine dictum; nos volumus hoc dictum divinis testimoniis probari. Quin asserimus parvulos prorsus non esse baptizandos, si verum est in Baptismo non credere ne illudatur Majestatis Sacramentum, & Verbum. Debemus autem & hunc negata in parvulis Fidei errorem Sophistis &c.* [hoc nomine vocat Lutherus Augustinum, & Theologos Scholasticos] quomodo vero fieri possit, ut actu infantes credant l. supra cit. explicat: *Sicut verbum Dei potens est, dum sonat etiam impii cor immutare, quod non minus est surdum, & incapax quam ullus parvulus; ita per orationem Ecclesia offerentis, & credentis, cui omnia possibilia sunt, & parvulus fide infusâ mutatur, mundatur, & renovatur*. Quod si dubitari possit carere infantes hac fide, præstare potius scribit in libro ad Waldenses, omitere baptismum in parvulis, quam baptizare eos sine fide, *nam si sine fide accipias Sacramentum magno tuo malo accipies*. Ex hoc Lutheri principio erupit Anabaptistarum error, & Secta, quæ Infantes a baptismo arcet, ut diximus suo loco. Ab anno 1520. usque ad annum 1537. defendit hanc opinionem Lutherus, deinde vero edito libro contra Anabaptistas in eodem veterem rejecit, & novam invexit sententiam, & nihil interesse dixit, *sive parvuli credant, quando baptizantur, sive non credant; baptismum enim non fundari super fidem dantis, aut recipientis, quæ incertissima est, sed super Dei mandatum & institutionem*. Sacramentariis hæc posterior Lutheri sententia arrisit, ut scilicet non sit necessaria in parvulis fides, ut ad baptismum admittantur, sed alia ratione, nimirum ex promissione facta Abrahæ, & semini ejus, vel saltem ex Divina prædestinatione. *Prasanctificatos infantes, & membra Ecclesiæ effectos per donum electionis divinæ, & promissionem Parentibus factam, ideoque esse baptizandos* docuit Petrus Martyr in cap. 5. & 7. primæ ad Corint. Calvinus vero lib. 4. Instit. c. 16. §. 21. *quos electione sua*, inquit, *dignatus est Dominus si accepto regenerationis signo præsenti vita ante demigrent quam adoleverint, eos virtute sui Spiritus nobis incomprehensa renovat, quomodo expedire solus ipse provides*. Hæc est

fere

fere tota Novatorum Doctrina circa dispositionem, quam exigunt in pueris suscepturis Baptismum; sed nihil horum docent Catholici, unde ponitur.

§. 1. *Neque actualem Fidem, neque allos novos motus, & inclinationes similes actibus Fidei & Dilectionis, ut Conciliabolum Wittembergense explicavit, Infantes habent, aut habere debent cum baptizantur, sed sine ulla Fide justificantur.*

II. De pueris dum loquitur S. Scriptura, illos *boni, & mali ignorare distantiam* dicitur Deutero. c. 1. & *quod nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram suam* cap. ultimo Jonæ, nullibi vero docet quod habeant Fidem, quæ est in cognitione, & quod habeant sensum Fidei. Hinc D. Augustinus lib. 1. de peccat. merit. c. 20. utrumque negavit parvulis convenire, & non propter hoc arcendos pueros a Baptismo, nam vere fideles vocantur, quoniam Fidem per verba gestantium quodamodo profitentur. Longissime itaque abest a mente Augustini Lutheri sententia, & impudentissimum est Kemnitii mendacium, Augustinum & Lutherum in hoc convenire. Adde quod si *Fides est ex auditu*, ut docet Apostolus ad Rom. 10. *auditus autem per verbum Christi*, recurrendum esset ad miraculum, ad hoc ut Pueris aperiretur sensus, ut possent Sacra Fidei mysteria intelligere, e contra vero nihil repugnat, quod pueri per alios credant, dum baptizantur, sicuti ex aliis, quæ in baptismo remittuntur peccata, traxerunt; unde S. Augustinus Sermone 10. de verbis Apostoli, *Accomodat*, ait, *mater Ecclesia infantibus aliorum pedes, ut veniant, aliorum cor, ut credant, aliorum linguam ut confiteantur*.

III. Propositionem conciliabuli Wittembergensis despexit jam Calvinus §. 19. capitis 16. libr. 4. suarum. Instit. his verbis: *Non quod eadem esse fide præditos temere affirmare vellem, quam in nobis experimur, aut omnino habere notitiam fidei similem*; multo magis hæc eadem propositio despicitur a Catholicis, apud quos certum omnino est illos motus, & inclinationes esse pura figmenta; nam vel motus, & inclinationes sunt corporeæ, vel spirituales, si secundum: ergo non possunt fieri sine intelligentia cum sint in anima, si vero sunt corporeæ: quomodo corporea natura agere potest in spiritualem, vel rei spirituali assimilari, qualis est actus dilectionis Dei, & actus Fidei, qui diriguntur in objectum Spirituale, scilicet in Deum? In Sacris Scripturis nomen Fidei semper designat motum quemdam cum cognitione, & cum sensu. *Fide intelligimus aptata esse Sacula verbo Dei* dicitur ad Hæbr. c. 11. *per Fidem habemus accessum in gratiam istam* dicitur ad Rom. 5. & cap. 10. *Fides*, dicitur, *ex auditu*. Potest Kemnitius proferre exultationem Joannis in utero Elisabeth, de qua agit S. Lucas c. 2. Sed peto utrum hæc exultatio fuerit sine cognitione, vel cum cognitione? Textus Evangelicus clarus est. Chrysostomo, Hieronymo, Ambrosio, & aliis placet Joannem ratione præditum, & jam Spiritu S. repletum cum gaudio exultasse ex cognitione præsentiæ Christi Domini; at bene cognoscit Kemnitius ab unico singulari ad universale non subsistere veritatem in propositionibus.

IV. Tertium quod a Theologis catholicis negatur est Sacramentariorum cogitatum, quod adversatur auctoritati, quæ legitur apud D. Joan. c. 3.

qui non credit jam judicatus est. Sed inquies: quomodo ergo credunt Infantes? Primum dicitur ibi Christum Dominum non loqui de precepto credendi, ad quod Preceptum non tenentur parvuli, sed loqui de quodam medio ad Salutem. Antecedentium verborum ordo, consequentium explicat sensum. Joannes prius dixerat: *sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam*, postea subdit: *qui credit in eum non judicatur, qui non credit jam judicatus est*. Erat ne preceptum aspicere æneum Serpentem? Erat tunc & preceptum, & remedium; ita Fides nunc dicitur necessaria, ut preceptum adultis, ut remedium parvulis. Quod vero in parvulis reperiatur Fides, & quomodo parvuli credant, docet Augustinus lib. 1. de pec. mer. & remis. c. 27. ibi refert verba Marci ex c. 16. *qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur*, & statim addit: *quis autem nesciat, credere, esse infantibus baptizari, non credere autem, non baptizari*? Et capite 30. *acquiritur a parvulis Fides per virtutem Sacramenti, & per offerentium responsionem*. Et lib. 3. de libero arbit. c. 23. dicit *hanc esse totius Ecclesiæ sententiam*.

Sed cur non per prædestinationem, & alios modos, inquiunt Calvinus, & Martyr. Dissimulat Calvinus cognoscere ex hac sua responsione novam institui Justificationis speciem sine fide, & ante vocationem. Regula Prædestinationis talis a Scriptura proponitur: *quos prædestinavit hos & vocavit, quos vocavit hos & justificavit, quos justificavit, illos & glorificavit*. Hæc sunt illa media, quibus maximum Prædestinationis negotium dirigitur, & perficitur. Oportet itaque hanc regulam sequi, & quidquid incontrarium statuitur refellere. Nec potest Kemnitius reponere, quod *in nostra suppositione parvuli formaliter justificarentur*, aut *essent fideles aliena fide*, nam parvuli vivunt fide sua habituali; quemadmodum fidem, per quam justificantur, non consequntur per fidem, & preces offerentium, ut ex nostra responsione Lutheranus inferret, sed per Baptismum, hoc est, illam parvuli habent ex opere operato, non ex opere operantis Ministri. Sed jam de Baptismo Adultorum.

§ II. *Recensentur Dispositiones, quas olim exegit Ecclesia ab Adultis cum Baptizabantur*.

V. Qui primi e Gentilitate venerunt habentes voluntatem credendi in Christum Catechumeni fuerunt appellati, nomen ex eo natum, quod in Ecclesiam introducebantur in fidei moribus, & doctrina imbuendi. Ab ipso Catechumenatus exordio fuit inter illos quædam instituta distinctio, ut alii *Audientes* appellarentur, & erant ii, qui licet nondum essent baptizati in Ecclesia ad audiendam Fidei doctrinam admittebantur: Alii vero dicerentur *Competentes*, & erant ii, qui ut Leidradus Lugdunensis Archiepiscopus in lib. de Sacro Bap. ad Carolum magnum c. 1. scribit: jam post doctrinam fidei, post continentiam vitæ gratiam Christi percipere festinabant. Additum deinde est etiam tertium genus, & hi vocabantur *Electi*, qui absoluto Catechumenatus tempore per scrutinium digni inveniebantur ad recipiendum Sacræ regenerationis Sacramentum: omnes vero etiam si nondum essent.

sent baptizati *Christiani* dicebantur, ut constat ex Concilio Eliberitano can. 59. cum vero tincti essent dicebantur *Fideles, & Justi*. Ut primum aliquis petebat mysterium sacri Baptismatis, & particeps fieri Sanctæ Dei Ecclesiæ per Catechistam instruebatur in iis, quæ oportebat illum credere, & deinde interrogatus an ista crederet, & vellet ea observare, quæ ab ipso audiverat? statim veneranda Christi Cruce obsignabatur, & ita fiebat Catechumenus. In Enchiridio Christianæ institutionis in Concilio Coloniensi edito a. 1536. septem signa Crucis præscribuntur totidem partibus corporis, unicuique sua, & cuilibet signo crucis suum est datum mysterium. Hic tamen septenarius numerus non observabatur ab omnibus Ecclesiis, ut constat ex variis earumdem Ritualibus. Addita est deinde manuum impositio. Hunc ritum observavit S. Martinus ex relatione Sulpicii Severi in ejus vita c. 10. & ex Dialogo 2. de virtutibus ejusdem c. 5. eundem recenfuit S. Petrus Chrysologus in sermone 52. & 501. idemque decernitur in can. 39. Concilii Eliberitani, & in can. 6. primi Concilii Arelatensis. Exsufflabantur præterea, & exorcizabantur ex testimonio S. Isidori lib. 2. de Divinis officiis c. 20. & ex epistola 194. Divi Augustini ad Xistum, & ex Auctoritate Gennadii in libro de Ecclesiasticis dogmatibus c. 31. & ex Catechesi Mystagogicâ S. Cyrilli Jeros. & ex epistola 7. Gelasii I. Exsufflatio quandoque fiebat ab Episcopo Baptismi Ministro, aut Presbytero; quandoque a Diaconis, quandoque ab ipso Catechumeno ad occidentalem plagam converso. In faciem Catechumeni factam fuisse docent Rituales Latinorum. In faciem, & aures insufflare mos erat Græcorum, & id probat Canon. 7. Concilii Constantinopolitani; *Primo quidem die ipsos Christianos facimus, secundo Catechumenos, deinde tertio exorcizamus, sive adjuramus ipsos ter simul in facies eorum & aures insufflando*. Meminit S. Isidorus immissionis salis in os Catechumeni, & cujusdam unctionis: *Exorcizantur hi primum* ita scribit loco s. c. c. 20. *deinde salem accipiunt, & unguntur*, sed nullus alter ex græcis Scriptoribus clare hujus ritus meminit. Apud Latinos tamen sæpe auditur, præsertim apud D. Augustinum in libro Confessionum c. 11. & in lib. de Catechizandis rudibus c. 26. apud Bedam in libros Regum, aliosque plures; imò quidam sunt, ut Leidradus loco supra cit. advertit, qui existimant, quod etiam apud quosdam Gentiles antiqua erat consuetudo, ut qui fidelitatem Regi promittebant, salem adjuratum, vel consecratum in præsentia eorumdem Regum, quibus fidem promittebant, comederent. Unde in libro Esd. scriptum est, quod Principes Samaritani Regi Persarum, cum de accusatione Judæorum scriberent dixerint: *memores sumus salis, quem in Palatio comedimus*. Hispani tamen ab hoc ritu abstinebant, ut refert S. Hildephonsus Tolet. Archiep. libro annotationum de cognitione baptismi c. 26. non vero abstinebant ab inunctione, quod idem S. Hildephonsus testatus est l. c. cap. 29. *Convertenti ex errore gentili post exorcismos tanguntur auriculæ oleo, ut accipiat auditum fidei, & sit vere Spiritualium dictorum auditor. Similiter tangitur & os, ut cognitionem Redemptoris sui traditam symboli fidem corde quærat ad justitiam, ore confitens proferat ad salutem* Tandem S. Augustinus tractatu 44. in Joan. docet ad Catechumenum faciendum pertinere salivæ tactum in nares, & aures, quod repetit a facto Christi, qui sputo, & luto inunctum, & in piscinâ Siloe lotum cæcum natum sanitati restituit. Non dissentit ab Augustino S. Ambrosius in epistolâ 80. novæ editionis ad Bellicium, & eadem tradidit S. Petrus Chrysologus sermone 52. aliique plu-

plures cum his consenserunt. Hoc postremo ritu non utuntur Græci, & illorum Euchologia omnino silent. In quibusdam vero Germaniæ Ecclesiis cum sputo adhibetur lutum, ut refertur a Jo. Jacobo Archiep. Salisburgensi in suo Manuali Baptismi c. 4. & 5. Singulis his ritibus præmittebatur Abrenunciatio Satanæ, idque habetur apud Rabanum lib. 1. de Institut. Clericorum c. 27. & ex variis Ordinibus Ecclesiarum ad faciendum Catechumenum.

In Latina Ecclesia hæc omnia uno die peragebantur extra Ecclesiam, & non irrationabiliter S. Martinus ajebat: *in campo Catechumenos fieri, ubi solerent Martyres consecrari*. Ecclesia Græca has Cæremonias in tres dies distribuebat, ut patet ex cap. 7. Concilii Constantinop. I. Primo quidem die Christianos faciebant, secundo Catechumenos, deinde tertio exorcizabant, sive ipsos adjurabant, ter simul in faciem eorum, & aures insufflando, & sic eos catechizabant, sive initiabant, & curabant ut longo tempore versarentur in Ecclesiis, ut audirent Scripturas, & tunc eos baptizabant. De tempore Catechumenatus supra egimus cap. 3. §. 2. n. 18.

VI. Peracto Tyrocinio, qui ex Catechumenis postulassent sacro tingi lavacro aliquibus ante Pascha diebus, hoc est duabus, tribusque hebdomadi ante Baptismum, Tabulis Ecclesiasticis inscribendum nomen suum dabant Augustinus lib. 9. Confess. *Ubi autem tempus advenit, quo me nomen dare oporteret, relicto rure Mediolanum remeavimus*. Ex quo apparet nomina olim non in Baptismo, ut nunc fit, sed longe ante imposita fuisse; & quidem apud veteres Romanos nono ab ipso natalis die Maribus, octavo Fœminis consuevisse nomina imponere, testatur Menardus in notis ad librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ pag. 99. Hæc vero nomina imponebantur aliquando a Ministris Baptismi, aliquando a Parentibus, aliquando a Susceptoribus, & Patrinis. Nomina Gentilium ne imponerentur Concil. Nicæni c. 30. præscribit. *Nascentibus filiis*, inquit Theodoret. Serm. 8. de Græcar. affectionum curationibus, *Martyrum nomina imponere studeant, securitatem inde ipsis, tutelamque comparantes*. Merito itaque despiciuntur & reprobantur a Concilio Burdigalen. anni 1582. Etherodoxi, qui rejectis N. Testamenti, Veteris nomina affectant. *Nomina Sanctorum Patrum Veteris Testamenti affectare, hereticum est*.

VII. Quod reliquum temporis supererat a nominis impositione ad Baptismum totum in variis pietatis operibus, Orationibus, crebris Jejuniis, geniculationibus, & pervigiliis, aliisque sacris exercitiis insumebatur, ut ita sese præpararent Catechumeni ad recipiendam novæ in Christo nativitatis gratiam. De hac præparatione loquitur S. Cyrillus Jerosol. in præparatione ad suas Catecheses, Tertullianus in lib. de Bapt. c. 20. & Augustinus in libro de Fide, & Operibus c. 6. *Per omnem quadragesimam*, scribit antiquissimus Auctor Sermonis in Psalmum 41. ad Neophytos, qui exstat in Appendice ad Tom. 6. Operum S. Augustini novæ edit. p. 287. *vacaverunt Orationi, atque Jejunio, in sacco, & cinere dormierunt, futuram vitam peccatorum suorum Confessione quærentes, sed quia fuderunt lachrymas, & fuerunt tristes, dicitur illis: qui seminant in lachrymis, in gaudio metent*. Utrum vero Catechumenis baptizaturis publica imponeretur Pœnitentia, inter Sacros Auctores non convenit. Gabriel Albaspinæus Episcopus Aurelianensis in lib. 2. observat. de Veteris Eccl. Rit. Observa. 1. id negat. S. vero Martyr Justinus in Apolog. 2. affirmativam partem tuetur, & huic consentiunt Consti-

ftitutiones Apoftolorum lib. VII. c. 23. Concilium Carthag. IV. can. 85. *Baptizandi nomen suum dant, & diu abstinentia vini, & carnium ac manus impositione crebra examinati, baptismum recipiunt*. S. Gregor. Papa epift. ad Fauftinum, & ne fingulos memorem, qui hanc fententiam tuentur, fatis fit recenfere auctoritatem S. Hildefonfi loco c. cap. 21. *Catechumeni si majores aetate sunt cum actione poenitentiae veniant, si minores sunt in signo poenitentiae per Stramenta Ciliciorum a ministris deducantur ad Sacerdotem, ut qui per se non possunt agere poenitentiae opus, in se habeant poenitentiae signum propter aetatis minimae tempus, & hoc teneatur in poenitendi effectu, quod notatur in poenitentia signo*. Singula hæc pietatis exercitia poftrema omnium humilis, & fincera peccatorum Confeffio complectebatur. De hac Tertullianus loquitur loco c. *Ingressuros baptismum orare oportet cum confessione omnium retro delictorum*, ut exponerent etiam Baptifmum Joannis, *Ne dedigneris* inquit Gregorius Nazianzenus fermone in S. Lavacrum *tuum prodere peccatum, cum scias quemadmodum Joannes baptizabat, ut confusione praesenti futuram evadere possis, ac perspicuum facies te serio, & ex animo peccatum odisse, ac detestari, dum illud tanquam contumelia dignum traducis, ac velut Ludibrio exponis, de Christoque triumphum agis*. Concordat Eufebius libro 4. de vita Conftantini c. 61. quem genuflexum, humi procumbentem veniam a Deo fupplicem poftulaffe, & peccata fua in martyrio confeffum fuiffe fcribit etiam Socrates in lib. 5. Hiftoriæ Ecclefiafticæ c. 17. aliique communiter.

VIII. Quæ modo expofuimus erant exercitia Competentium Catechumenorum. Interim fuper ipfis fiebant Scrutinia certis in Quadragefima diebus; fic dicta, eo quod certis precibus, exorcifmis & Symboli, & Orationis Dominicæ traditione, & redditione a Sacerdotibus eorum corda fcrutarentur, ut intelligerent quis ad baptifmum jam rite admitteretur, & cui adhuc differretur. Ita Leidradus loco fupra cit. De hoc Scrutinio agit Jofephus Vicecomes in lib. 3. de Bapt. Ritibus c. 21. Ambrofius in lib. de myfteriis c. 1. Concilium IV. Carthaginenfe can. 85. Concilium Bracarenfe III. can. 9. & Concilium Moguntinum cap. 5. quæ fingula pofteriora teftimonia evincunt errorem Vicecomitis, qui laudato loco in fola Romana Ecclefia Scrutiniorum ufum invaluiffe contendit. Ecclefiam Græcam eadem Scrutinia peregiffe D. Cyrillus Jerofol. teftatur, fi quis vero in his Scrutiniis minus habens inventus effet, aut lapfus in aliquod grave peccatum, ad Audientium claffem remittebatur per quinquennium, vel triennium iterum probandus, ut diximus loco fupra citato. Antiquatum jam Scrutiniorum ufum fcripfit laudatus Vicecomes libro 3. de Rit. Bapt. c. 26. ubi illum protrahit ufque ad an. 860. fed Concilium Lemoricenfe II. illum protrahit ad an. 1031. nonnullæ Ecclefiæ illum adhuc retinent, Viennenfis in Gallia, & Leodienfis. Ritus omnes qui adhibebantur ad faciendum Catechumenum repetebantur in Scrutinio. Addebatur tantummodo traditio Orationis Dominicæ, & Symboli. Symbolum, quod tradebatur ante Concilium Nicænum erat Apoftolorum, deinde vero traditum eft Symbolum Nicænum. Tradebatur autem juxta diverfas Ecclefiarum confuetudines diverfis temporibus. Dominica Palmarum erat dies affignata in Ecclefia Gallicana, Hifpanica & Mediolanenfi. In Ecclefia vere Romana tradebatur feria IV. Hebdomadæ quartæ Qua-

dra-

dragesimæ una cum Oratione Dominicali. In Ecclesia Africana tribus ante Pascha Hebdomadis tradebatur Symbolum, & restituebatur Sabbato ante Dominicam Passionis, hoc die tradebatur Oratio Dominica, & iterum restituebatur in Sabbato Palmarum, & iterum tradebatur Symbolum, ut restitueretur Sabbato Sancto. In Betlehemitica Ecclesia, ut refert S. Hieronymus epist. 61. ad Pamachium Symbolum non tradebatur. In Ecclesia Constantinopolitana Symbolum tradebatur in Parasceve, ut scribit Theodorus Lector in Historiæ Ecclesiasticæ lib. 2. & Nicephorus lib. 16. c. 35. Erant etiam in usu duæ Lotiones, altera Capitis, que celebrabatur primâ Dominicâ Palmarum, altera in feria v. Cænæ Domini. Primæ meminit S. Isidorus in lib. 6. Etymolog. c. 18. Alterius meminit D. Augustinus in Epist. 54. ad Januarium novæ edit. n. 10. Utriusque Lotionis eadem causa assignatur, *ne baptizandorum corpora per observationem Quadragesimæ sordidata cum offensione sensus ad fontem tractarentur*. His omnibus peractis Sabbato S. circa horam diei tertiam Catechumeni ad Ecclesiam procedebant Symbolum reddituri, ut ultimum Scrutinium subirent. Masculi stabant ad dexteram, Fœminæ ad sinistram, tum Sacerdos in frontibus illorum facto signo Crucis, repetebat Exorcismorum ritus & Abrenunciationes explebat.

IX. Triplex erat Abrenunciatio. Prima Satanæ. Secunda omnibus Operibus ejus. Tertia omnibus Pompis ejus. De hac loquitur Beda in Tobiæ c. 8. Duplicem solum designat D. Ambrosius in libro de Mysteriis c. 2. Unicam legimus in libro 7. Constit. Apostolicarum c. 41. nec dissentit Chrysostomus in homil. 21. ad Populum Antiochænum & Hildephonsus loco c. cap. 3. & S. Cæsarius in sermone 264. Appendicis Tom. 5. Operum S. Augustini, licet alii quadruplicem posuerint, inter quos Cyrillus Jerosol. in Catechesi Mystagogica 1. & sex recensentur in Ordine Baptismi Severi Alexandrini Patriarchæ. Abrenunciationum in Baptismo ritum antiquissimum fuisse demonstrat Origenes in Commentario in Epistolam ad Romanos, idque confirmat Cyprianus epistola 7. Tertullianus lib. de Coronâ Militis c. 3. Basilius ab Apostolica Traditione repetit in lib. de Spiritu S. c. 21. *Ter immergi hominem unde traditum? Reliqua item, quæ fiunt in baptismo, veluti renuntiare Satanæ ex quâ Scripturâ habemus? nonne ex privata, & arcana traditione?* Hieronymus putat de hac loqui Paulum in suâ 1. Epist. ad Timot. c. 6. quando scribit *Apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, confessus bonam confessionem coram multis testibus. Confessus es*, inquit D. Hieronymus *bonam confessionem in baptismo renuntiando Diabolo, & pompis ejus coram multis testibus, coram Sacerdotibus, vel ministris, Virtutibusque cælestibus* Subsequebatur Abrenunciationem Unctio in pectore, & inter Scapulas Catechumeni oleo exorcizato; quod ideo fieri arbitramur inquit Leidradius loco cit. c. 2. *ut habitaculum cordis ante, & retro signetur, quo signo Diabolus auctor perfidiæ pellatur, Christus largitor fidei, & charitatis ingrediatur: Nam cor hominis sedes est erroris, & vitiorum cum a Diabolo possidetur, & ipsum efficitur habitaculum Fidei, Spei, & Charitatis cum a Christo defenditur & inlustratur*. Hæc tamen unctio non fuit communiter usitata in omnibus Latinis Ecclesiis, cum semel in Scrutiniis esset primum adhibita; Græcis vero in usu fuit; ut constat ex Theodoreto in Cantica, imò ipsi totum corpus ungebant a vertice ad pedes. Hunc ritum exponit S. Cyrillus in Catechesi 2. Mystagogica: *Deinde vero jam exuti exorzizato oleo*

a sum-

a summis Capillis ad infimos usque pedes peruncti estis, *& participes effecti fructiferæ illius oleæ Jesu Christi*. Eadem docet Chrysost. hom. 6. in epist. ad Coloss. Dionys. de cælesti Hierarc. c. 2. & Severus Patriarcha Alexandrinus in ordine Baptismi. Interrogabantur tandem inuncti de Fide, & de Fidei professione, & hunc ritum nulla unquam deseruit Ecclesiarum, cum originem habuisset ab Apostolis. Patet id ex Actis Apostol. c. 8. nam antequam Philippus Diaconus baptizaret Eunuchum Reginæ Candacis ipsum interrogavit, utrum crederet ex toto corde? Accedit auctoritas totius Ecclesiasticæ traditionis, & consensus omnium SS: Patrum. Peculiare erat in hac interrogatione, quod grassante aliquâ hæresi, articuli fidei ab hæreticis impugnati, baptizandis proponebantur specialiter. Ulterius quilibet baptizandus, Fidei interrogationes, & Satanæ Abrenunciationes, maternâ linguâ audiebat ex Sancti Bonifacii Episcopi Moguntini Statutis relatis in Tomo IX. Spicilegii numero 27. *Nullus sit presbyter, qui in ipsa lingua, qua nati sunt, baptizandos abrenunciationes, vel confessiones aperte interrogare non studeat, ut intelligant quibus renuntiant, vel quæ confitentur & qui taliter agere dedignantur, secedant e parochia*. His omnibus peractis Pontifex cum Sacerdotibus, aliisque ministris de Sacrario procedebat Baptismum Catechumenis collaturus post ignis novi, Cereique Paschalis benedictionem, post recitationem Lectionum, seu Prophætiarum ad Baptizandorum instructionem, post Litanias decantatas, & Fontis Consecrationem.

X. Adstabant interea Patrini, ut baptizandos Episcopo offerrent ex Canone 22. Concilii Nicæni. Viri Viros, Fœminæ Fœminas suscipiebant. Juxta caput 16. lib. 3. Constitutionum Apostolicarum, Viros suscipiebat Diaconus, Mulieres Diaconissa. Olim unicus erat in Baptismo Susceptor, tres deinde introducti sunt ex decreto Concilii Bajocensis anni 1280. c. 4. Postremo duo, Vir, & Fœmina. Prohibebantur ab hoc munere, qui Canonicâ Communione essent privati, & publicæ pœnitentiæ subacti: ita Concil. Parisiense vi. lib. 5. cap. 54. Prohibebantur Abbates, & Monachi ex Concilio Antisiodorensi c. 20. Prohibebantur Regulares, & qui Excommunicationis, vel Interdicti pœnâ ligabantur ex decreto Synodi Neumasensis c. 3. Tom. 4. Idem munus prohibuit etiam Presbyteris S. Carolus Syn. decreto 17. Hæreticos, aut de hæresibus suspectos rejecit Concilium Rhemense anni 1583. Demum infantes, & mysteriorum Fidei ignaros prohibuit Concilium Parisiense a. 829. & Meten. se a. 888. c. 6. Patrinis onus erat cognoscere se pro eis, quos e Sacro fonte Filios Spirituales suscepissent Fidei sponsores apud Deum, pro Infantibus, usque dum adulti fuissent; pro Adultis vero per totam octavam Paschatis. Nihil additur de modo, quo peragebatur Baptismus, nam de hoc supra diximus cap. II. §. II. N. III. & sequentibus.

XI. Nullus erat determinatus Baptisterio locus primis Ecclesiæ temporibus: quare ubi primum occurrisset, ibi tingebantur. Exemplum suppeditat Baptismus Eunuchi Reginæ Candacis: *Ecce Aqua, quis prohibet baptizari?* & testimonium reddit Justinus Martyr in Apologia 2. ad Antoninum Imperatorem: *eo adducuntur a nobis ubi est aqua, atque eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur*. Passim vero in Fluminibus, & in Stagnis. S. Petrum baptizasse in Tiberi narrat Tertullianus in libro de Baptismo c. 1. S. Victorem martyrem Massiliensem in mari, Ruinartius in Actis ejusdem; Paulinum Episcopum in Angliâ baptizasse in Fluminibus Trenta, Gleni, & Sua-

li-

lica Henricus Huntidonienfis in lib. 3. historiæ Anglicanæ, & Beda lib. 2. historiæ c. 14. & 16. fcripferunt. Plures in privatis domibus, plures etiam in Carceribus fæviente perfecutione baptizabantur. Reddita tandem Ecclefiæ pace per Conftantinum Imperatorem tunc *Baptifteria* ædificari ceperunt, vel ut Græcis illa appellare placuit *Illuminatoria*, omnia in locis ab Ecclefiis feparatis, poftea etiam ædificari ceperunt intra Ecclefiarum ambitum, fed prope januam ad lævam, & non nifi in folis Ecclefiis Cathedralibus ad normam Decreti Concilii in Vernenfi Palatio celebrati, & Toletani relati a Gratiano 16. q. 1. c. 53. ubi legitur *Plures baptifmales Ecclefiæ in una terminatione effe non poffunt, fed tantummodo cum fubditis Capellis*. Deinde vero conceffum fuit quibufdam Ecclefiis ex principalioribus intra ambitum ejufdem Civitatis, & aliorum locorum Municipalium, ut Baptifteria haberent, quæ Plebes, feu Plebanæ Ecclefiæ, atque Matrices nuncupatæ funt.

XII. Quos hactenus expofuimus ritus obfervandos in Baptifmo Catechumenorum femper tenuit Ecclefia, five in Pafchate, five in Pentecofte Baptifmi folemnia peragerentur, quæ duo tempora primis Ecclefiæ fæculis juxta Sacrorum Canonum ftatuta fola huic operi deftinabantur: *Baptizandi* inquit Gelafius Papa Epift. 9. ad univerfos Epifcopos fcribens, *fibi quifquam paffim quocunque tempore nullam credat fiduciam, præter Pafchale Feftum, & Pentecoftes venerabile Sacramentum, excepto dumtaxat graviffimi languoris incurfu*. Eadem ante ipfum ftatuerat S. Papa Syricius, omnium Ecclefiarum confuetudinem adducens, poftea Gregorius II. in epiftola ad Clerum, & Plebem Thuringiæ, tum Leo IV. & Primus Nicolaus in refponfione ad Confulta Bulgarorum cap. 69. Græci Epiphaniæ Feftum addiderunt in memoriam dati hoc die a Joanne Chrifto Baptifmatis, quod tum patet ex illorum Euchologio, tum ex Gregorio Nyffeno. Etiam Africana Ecclefia in Fefto Epiphaniæ folemniter baptizabat ex teftimonio Victoris Uticenfis lib. 2. de Perfecutione Vandalicâ. Gallicana Ecclefia duas addidit folemnitates, nempe diem Natalem Domini, & Feftum Præcurforis. Feftivitates Apoftolorum & Martyrum addidit Ecclefia Hifpaniarum, quinimò, & plures apud Siculos Ecclefiæ eundem morem ufurpaverant, quapropter ut Syricius Hifpanos, ita S. Pontifex Leo Magnus Siculos redarguit epiftola 136. novæ editionis: *Magna indignatione commoveor & multo dolore contriftor, quod quofdam ex vobis comperi ita effe Apoftolicæ traditionis oblitos, & ftudio fui erroris intentos, ut præter Pafchalem Feftivitatem, cui fola Pentecoftes folemnitas comparatur audeant fibimet, non aliqua humanæ infirmitatis neceffitate cogente, fed fola indifciplinati arbitrii libertate jus Baptifmatis vindicare, & in Natalitiis Martyrum regenerationis celebrare myfteria*. Ufque ad XI. Sæculum viguit hæc confuetudo baptizandi in quibusdam tantummodo anni Solemnitatibus, poftea vero baptizari cæperunt infantes poft paucos elapfos dies ab illorum nativitate, ita Theophilactus Commentario in Lucam ad caput 10. & Concilium Lemovicenfe 11. anni 1301. Antiquatæ hujus confuetudinis cauffam Rupertus affert in lib. 4. de Divinis Offic. c. 18. *periculofum inquit erat tantam multitudinem* (In Anglia X. hominum millia, & amplius in Natali Domini Auguftinus baptizaffe dicitur a D. Gregor. Papa lib. 7. epift. 30. Indict. 1. ad Eulogium Alexandrinum Epifcopum, fed ut plurimum V. aut VI. millia concurrebant) *confluentium ad Baptifmum differri, propter occafiones mortis, ac maxime propter turbam infantium a fidelibus parentibus nafcentium, quorum tenera adhuc vita perfæpe levi occcafione fucciditur*. XIII.

XIII. Qui baptismum subsequebantur ritus duodecim recensentur. Primus patebat in osculo, quod baptizato statim imprimebatur ab Episcopo post salutarem triplicem immersionem, sed de hoc ritu unicum habemus Cypriani testimonium in epistolâ ad Fidum unde non satis constat, quod in more fuisset omnium Ecclesiarum vel solius Ecclesiæ Africanæ. Hunc sequebatur unctio verticalis ex Chrismate, & hic ritus erat universalis in Ecclesiâ latinâ, nam de hac unctione plurima sunt Sanct. PP. testimonia, & Pontificum Statuta. Silvestrum I. illius fuisse institutorem communis fert opinio nec dissentiunt Amalarius lib. 1. de Ecclesiasticis Officiis c. 27. Walfridus libro de rebus Eccl. c. 26. Rabanus de institutionibus Clericorum lib. 1. c. 8. & alii. Græci istâ unctione caruerunt, & propterea qui unctionis meminerunt non de verticali intelligendi sunt, sed de illâ, quæ ab Episcopo fit in fronte. Verticalis enim non pertinebat ad ipsum solum, sed etiam alteri ex Presbyteris committebatur, ita Alcuinus loco cit. c. 19. Committebatur etiam quandoque Diaconis, si id per Presbyterum licuisset ex can. 20. primi Concilii Tolentani, quamquam, etiam absente Presbytero in Gallia Chrismate linirent Diaconi, qui Chrisma solebant petere, & accipere ab Episcopo ita in canone 3. Concilii Vasensis, & ex cap. 15. libri 3. Constit. Apostolicarum in quo legitur: *cum primum illuminantur, idest baptizantur mulieres, Diaconus ungit frontem ipsarum & deinde Diaconissa ipsas abstergit*. Statim post unctionem Vestibus albis induebantur, & de hoc ritu agit Eusebius in libro 4. de vita Constant. c. 62. Ambrof. in lib. de Mysteriis cap. 7. Augustinus sermone 223. qui quintus est in Vigiliis Paschæ. Non prætereundus est Antoninus Martyr in suo Itinerario de his qui in Jordane fluvio tingebantur ait enim: *Baptismo completo descendunt omnes influvium pro benedictione induti Syndonibus, quas sibi ad sepulturas servant*. Etiam capiti baptizatorum pendebat quoddam velamen, quod *mysticum* appellabant, aut aliis nominibus *Cappa*, *Galea*, *Chrismale*. Theodulphus Aurelian. in Tractatu de bapt. c. 16. de hoc velamine differit. Jese Ambianensis in Epistola de Bapt. & Joan. Lanspergius Carthusianus in dialogo de Monasteriis & Monachis c. 3. *Birrum* vocat hoc velamen S. Gregorius Magnus epist. 5. lib. 7. ad Januarium Calaritanum Episcopum. In aliquibus Ecclesiis præter mysticum velamen etiam in usu erat *Corona* qua baptizati caput redimibant. Hujus Coronæ meminit Severus Alexandrinus in ordine Baptismi, Chrysostomus in homiliâ ad baptizandos, & Durandus in Rationali lib. 6. c. 82. Ecclesia Mediolanensis, & Gallicana baptizatis abluebat pedes, sed ignoratur an in quacunque Ecclesia vigeret hic ritus. Illius lotionis in sua Ecclesia meminit Ambrosius in lib. de Mysteriis c. 6. & in lib. 3. de Sacramen. c. 1. n. 4. Quemadmodum in lib. de lapsu Virginis consecratæ c. 5. meminit Cerei, quod dicit Baptizatis tradi solitum, sed de hoc nihil penè omnes libri Rituales. Meminerunt tamen hujus cerei Gregorius Nazjanzenus in Orat. de Bapt. Gregorius Turonensis lib. 5. Histor. Francorum c. 11. & Marcus Gazensis in Epist. ad Arcadium Imperatorem de Baptismo Theodosii Junioris apud Baronium a. 401. Cerei accendebantur in fine Litaniarum; ita Amalarius in lib. de Ordine Antiphonatii c. 44. & Alcuinus lib. de Divinis Officiis cap. de Sabbato S. Accedunt Rabanus lib. 2. de Institut. Cleric. c. 39. & Amalarius lib. 1. de Ecclesiast. Officiis c. 29. Post hæc Confirmabantur Baptizati, & Sacro Christi Corpore reficiebantur. Id habemus ex Justino in Apolog. 2. ubi

scribit *Celebrato Baptismo Divina Mysteria Corporis, & Sanguinis Christi confici, & omnes adstantes communicare.* Origenes homil. 4. in Joan. idem repetit, S. Jo. Chrysost. idem memorat in homiliâ ad Illuminandos, & in homiliâ ad Neophytos. Adde Theophilactum lib. supra cit. His omnibus praeiverat Tertullianus in libro de Baptismo cap. ultimo. Saeculo nono idem usus vigebat, & hoc testantur omnes Scriptores illius saeculi. *Morem accipiendae Eucharistiae* inquit Theodulphus lib. de Baptismo c. 18. *a Domino traditum Ecclesia tenet, ut cum ex aqua, & Spiritu Sancto quis renascitur, Corpore Domini pascatur, & Sanguine ejus potetur.* Saeculis X. & XII. idem mos vigebat, ut constat ex testimonio Hugonis Victorini in libro 1. de Caeremoniis c. 20. Coepit deinde consuetudo communicandi pueros sub solâ specie vini, & infirmos sub solâ specie panis, idque testatur Gilbertus Episcopus successor Hugonis in epistolâ ad Matthaeum Abbatem S. Florentii Tom. 1. Anecdotorum a. 1506. Ejusdem ritus vestigium aliquod servabatur in Ecclesiâ Ambianensi; defecit tamen hic mos post decretum Concilii Tridentini in cap. 4. Sessionis XXI. Porrigebatur etiam Neophytis degustandum lac, & mel, ilque ritus erat fere totius Occidentalis Ecclesiae, de quo ita loquitur Tertullianus in libro de Coronâ militis c. 3. *Ter mergitamus; inde suscepti, lactis, & mellis societatem praegustamus.* Et S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos: *Multa alia*, inquit, *quae per traditionem in Ecclesiis observantur auctoritatem sibi scriptae legis usurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare, deinde egressos lactis, & mellis praegustare concordiam ad infantiae significationem.* De hoc ritu etiam loquitur Joannes Diaconus in epistolâ ad Senarium relata in Tomo I. Musaei Italici: Hic enim interrogatus cur in Sacratissimum Calicem lac misceretur & mel, Paschae Sabbato cum sacrificium affertur? Respondit: *Baptizatis hoc Sacramenti genus offerri, ut intelligant, quia non alii, sed ipsi, qui participes fiunt Corporis, & Sanguinis Domini terram repromissionis accipient, cujus iter inchoantes, tanquam parvuli lacte nutriuntur, & melle.* Duo ex hac responsione inferuntur. Infertur 1. quod indicatus a Hieronymo ritus in Ecclesiis Occidentis perseverabat ad haec usque tempora Joannis Diaconi, scilicet ad medium IX. Saeculi. Infertur 2. quod illa aetate lac, & mel in Sacratissimum Calicem mittebatur. Verum Ecclesia Africana id prohibuit, & prohibitionis decretum extat in caput 37. Codicis Canonum ejusdem Ecclesiae. Aethiopes etiamnum hoc ritu utuntur, nisi variaverint ordinem Baptismi, qui editus est in Tomo VI. Bibliothecae Patrum in usum ipsorum; neque aliquando eumdem ritum Jacobitae abhorruerunt.

XIV. Contra hos Ritus omnes, & Caeremonias in Baptismi celebratione observandas stat Wiclefus; illarum plures damnat Calvinus lib. 4. Instit. c. 13. & 19. & Illyricus Centuriâ 1. lib. 2. c. 6. & Centur. 2. c. 6. hoc fundamento, quod in Sacrâ Scripturâ de his nullum sit verbum, & quod Apostoli easdem neque observaverint, neque instituerint. Sed peto a Calvino, ubi nam ipse invenerit Caeremonias, & Leges, quas decernit ubi agit de formulâ Sacramentorum administrandorum? Ex omnibus, quinque eligit religiose observandas in Sacramento Baptismi. Primo ut die Dominicâ celebretur, vel quacunque aliâ, si in illâ, fiat Concio ad Populum, ut praesente multitudine Baptismi Sacramenta tradantur. Secundo requirit Susceptorum seu Patrinorum sponsionem, quâ polliceantur se infantes instituturos in doctri-

ctrinâ fidei, & morum cum adoleverint. Tertio vult, quod nomen imponatur infantibus baptizandis. Quarto, quod Oratio Dominica, & Symbolum, aliæque preces recitentur. Quinto tandem jubet, quod Baptismi forma linguâ Patrini exprimatur. Sextum, & septimum ritum addunt Lutherani, scilicet Satanæ abrenunciationem, & Pomparum ejus, & Crucis signaculum pingendum in Fronte, & Pectore baptizati. Quibus Scripturarum testimoniis, quibus exemplis hos ritus probant Novatores? Fatentur ingenue Centuriatores Centur. 1. lib. 2. c. 6. neque hos ritus haberi in Scripturis Sanctis, cum nihil de his agatur, vel in Actis, vel in Epistolis Apostolorum; etiam si plurimorum hominum millium Baptismus, in locis illis exponatur. Maximi igitur facienda erit antiquissima Ecclesiarum praxis, maximi facienda Sanctorum PP. consensio, & Romanorum Pontificum decreta plurimi habenda erunt, in quibus tales Ritus, talesque Cæremoniæ præscribuntur, & a constantissimâ traditione consecrantur. Quod vero in ipso nascentis Ecclesiæ exordio breviori ritu Sacrum Mysterium perageretur rationem affert Ambrosius in 4. caput Epistolæ ad Ephesios, *ut scilicet populus Christianus facile propagaretur, concessum fuisse omnibus, ut omni tempore baptizarent, tamen paullo post Ecclesiis constitutis statutum fuisse, ut solum quidam, idest Presbyteri, & certis diebus baptizarent, & tanto Rituum, & Cæremoniarum apparatu.*

TRACTATUS SECUNDUS

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS

CAPUT PRIMUM

DE NOMINE NATURA ET ORIGINE SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

Tanta est Baptismi cum Sacramento Confirmationis connexio, ut Melchiades Papa in Epistola Decretali ad Episcopos Hispaniæ scripserie *ad invicem, nisi morte præveniente nullatenus posse segregari, & unum sine altero ritè perfici non posse.* Hinc D. Clemens sine hoc Sacramento nullum cognoscit posse esse perfectum Christianum, & propterea Epistola 4. Decretali præcipit quod *omnibus festinandum est sine mora renasci Deo, & demum Consignari ab Episcopo, idest septiformem gratiam Spiritus S. percipere, quia aliter perfectus Christianus esse non poterit, si non necessitate, sed injuria, vel voluntate sic remanserit.* Patet igitur ratio, quare statim post expositas Controversias de Baptismo, sermonem convertimus ad Sacramentum Confirmationis.

II. Plura sunt illa nomina quibus Sacramentum hoc nuncupatur. Ab effectu quem operatur laudatus Pontifex Melchiades *Confirmationem* vocavit, quod etiam dixit Concilium Arausicanum I. canon 1. & III. Innocentius. A materia remota Augustinus libro 2. contra Petilianum cap. 104. Turrianus lib. 2. adversus Magdeburgenses cap. 18. Dionysius, Cyprianus,

 & alii

& alii hoc Sacramentum dixerunt *Chrisma*, quod est Græcis unguentum perenne. A materia proxima Laodicena Synodus canone 48. appellat *unctionem supercælestis Chrismatis*, quæ cum fiat in Crucis formam, alii Ecclesiæ Patres Sacramentum hoc vocarunt *Signaculum*, *Sigillum*, *Obsignationem*. A Ritibus, quibus ministratur, Eliberitanum Concilium canone 77. illud vocat *Benedictionem*: tandem Matiscon. Concilium II. can. 3. *Impositionem manuum*, quod jam placuerat etiam Hieronymo, & Tertulliano eodem nomine Sacramentum hoc designare.

III. Infensissimi Sacramento Confirmationis Novatiani, fortasse omnium primi, ut quibusdam placuit, prodierunt, nam cum *Domini Sigillo*, ut scribit Cornelius Papa ad Fabianum Antiochenum, *signatus non fuerit* Novatianus, & propterea a S. Pontifice reprehensus, ut Factum suum excusaret, novam invexit opinionem de inutili usu inungendi baptizatos sacro Chrismate; unde quotquot deinde ipsi adhæserunt, nunquam Neophytos Confirmatione consecrarunt. Ariani, Apollinaristæ, Waldenses, Wiclefus, & Joannes Hus his adcensentur, vel quia Arianos, & Apollinaristas ad Ecclesiam redeuntes primum Concilium Constantinopolitanum can. 7. inungi præceperit: vel quia Innocentius Papa III. lib. 2. Regest. 13. epist. 78. decernat Waldenses ad confitendum compelli Confirmationem ab Episcopo factam esse necessario accipiendam: vel quia Wiclefus dixerit Confirmationem Juvenum reservari Papæ, & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis: & demum quia Jo. Hus impudentissime defenderit in libris Wiclefi omnem veritatem contineri, & consequenter etiam verum esse id, quod de Sacramento Confirmationis nequissimus homo ineptissime venditarat. Sed non opus est, ut ætati a nobis tam dissitæ adscribamus originem erroris, quem fuisse inter palmarios Lutheranorum, & Calvinistarum fatentur omnes, qui de hæresibus, illarumque ortu tractarunt. Philastrius, Epiphanius, Augustinus, Theodoretus, qui de veterum hæreticorum erroribus scripserunt, Confirmationem non esse Sacramentum, ex aliqua illorum sententia nunquam tradiderunt, & in Fidei Confessione, quam Waldenses exhibuerunt Hungarorum Regi Uladislao, inter alios hic articulus legitur: *Sacramenta septenario inclusa numero Ecclesiæ Christi utilia esse pandimus*: quemadmodum inter Wiclefi errores, si illum exceperis de Confirmationis Ministro, quos Constanticnse damnavit Concilium, nullus est, qui ad essentiam hujus Sacramenti pertineat. Lutherus itaque in lib. de Captiv. Babyl. c. de Confirmatione, primus negavit Confirmationem esse Sacramentum, mox Melanctonus, deinde Calvinus, tum Kemnitius, ceterique postea Novatores. Sed quid illis reponendum erat Ritui, quem Confirmationem semper appellavit Ecclesia, & quem certissime constabat extitisse a temporibus Apostolorum? *Satis est*, inquit Lutherus, *pro ritu quodam Ecclesiastico, seu Cæremonia Sacramentali Confirmationem habere similem ceteris Cæremoniis consecrandæ aquæ, aliarumque rerum*. Eundem ritum vocat *otiosam Cæremoniam* Melanctonus in locis communibus, & in deteriorem contemptum Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini ad canonem primum de Confirmatione, ritum hunc inter maxime exitiales Satanæ præstigias numeravit. Modestius de hoc ritu loquitur Zuinglius in lib. de vera, & falsa Religione capite *de aliis Sacramentis*, nam postquam negavit Confirmationem esse Sacramentum, addidit *fuisse ritum in Ecclesia institutum ad examen Puerorum, qui in infantia fuerant*

bant baptizati. Contra hos errores Tridentina Synodus Seff. vii. can. 1. de Confirmatione ait: *Si quis dixerit Confirmationem Baptizatorum otiosam Cæremoniam esse, & non potius verum, & proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam Catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi Fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, Anathema sit*. Ex hoc Canone concluditur Sententia Catholica omni argumentorum genere demonstranda.

§. I. *Confirmatio est vere, & proprie Sacramentum novæ Legis*.

IV. Concurrunt in Confirmatione ea singula, quæ sunt de necessitate Sacramenti, videlicet Signum sensibile, puta res, & verba: Mandatum Divinum, & promissio Gratiæ. Actorum 8. *Oraverunt* (ideft Apostoli) *ut acciperent Spiritum S.* & mox: *imponebant manum super illos, & accipiebant Spiritum S.* & c. 19. *cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus S. super eos*; nec alius ab illo, quem ipsi Apostoli acceperant, ut scribitur Act. 11. ubi D. Petrus hoc testatur: *cum autem cæpissem loqui cecidit Spir. S. super eos, sicut & in nos in initio*: quemadmodum igitur Apostoli per Spiritum S. induti sunt virtute ex alto juxta illud Lucæ ultimo: *sedete in Civitate, donec induamini virtute ex alto*, vel juxta illud Actuum 1. *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus S. in vos &c.* ita & reliquis Spiritum S. accepturis eædem promissiones sunt factæ, & eosdem effectus consequuti sunt, quod satis clare promiserat Dominus per Prophetam Joelem *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt Filii vestri & filiæ vestræ &c.* Neque credi par est Apostolos sine divina dispensatione in opus illud ministerii intendisse, si testes futuri erant illius in Jerusalem, in Judæa, in Samaria, aliisque in locis, & rerum ceterarum, in quibus illos erudierat; neque ab hoc discrepat, imò in hoc consensit Calvinus Instit. lib. 4. c. 19. §. 6. concedens Apostolos nihil temere fecisse, sed quærens qui se se Apostolorum imitatorem ostenderet.

V. Non opus est itaque quod Kemnitius ulterius inquirat in Parte II. Examinis pag. 276. in hac quæstione, quæ sint illa media per quæ credendum sit Spiritum Sanctum velle efficacem esse, aut petat ex verbis Dei sibi demonstrari expressum mandatum, & promissionem Divinam, quam certò constat nos habere in supra laudatis Sanctarum Scripturarum testimoniis, quibus nihil prodest quod Calvinus repugnet, asserendo illam manuum impositionem fuisse oblationem baptizatorum Deo, sive medium, quo Apostoli utebantur ad infundenda in novis fidelibus Dona Linguarum, & Miraculorum; nam necessaria non erat hæc oblatio, quia jam facta in ipso Baptismo, imò quæ fieri poterat per quemcunque alium Ministrum, sed non ita manuum impositio. Potuit profectò Philippus baptizare, sed Petrus, & Joannes veniunt Samariam, ut manus imponant super baptizatos: similiter Actum 19. non exprimitur a quo fuerint baptizati coram Paulo duodecim illi Viri, sed tamen exponitur Paulum illis manum imposuisse, quia illud munus non erat commune omnibus, sed a solis Apostolis manus imponebantur super credentes, & per hanc manuum impositionem, illos certissime accepisse Spiritum S. cum aliis Donis, præter alia confirmat Simon ille antea Magus, qui in Civitate Samariæ docebat Gentes: *dicens se esse aliquid magnum*, cum obtulit se dare pecuniam Apostolis, ut quem illi dabant Spiritum

tum Sanctum, ipse quoque eumdem daret cuicunque pro libito suas manus imponeret.

VI. Dixi *præter alia*; nam si contulerimus ad invicem testimonia Scripturarum, inveniemus quod ita dicitur Actuum 8. *accipiebant Spir. S.* ut dicitur ad Tit. 3. *per lavacrum regenerationis salvos nos fieri*. Si igitur lavacrum non est simplex oblatio, sed Sacramentum quod confert gratiam; ita etiam manuum impositio non erit oblatio, sed verum Mysterium conferens omnibus eamdem gratiam, & de concomitanti aliquibus solum reliqua Dona, seu miraculorum, seu linguarum; nam *numquid omnes prophetant, numquid omnes loquuntur linguis?* scripsit Apost. ad Rom. c. 12. & in 1. ad Cor. c. 12. idque congruit conditioni hujusmodi Donorum, quæ nunquam in Scriptura dicuntur Spiritus S. sed Dona, & quidem gratuita, & quæ reperiuntur quandoque in Peccatoribus, ut patet ex c. 7. Matth. v. 21. quod non verum est de Spiritu S. qui ut dicitur Sapientiæ 1. *effugiet fictum, nec habitabit in corpore subdito peccatis*.

VII. Nunc vero non est audiendus Kemnitius, qui ex speciali privilegio docet Apostolos manuum impositione dedisse Spir. S. Id constat ex fine, propter quem Christus Dominus promisit Apostolis se daturum Spir. S. ad resistendum scilicet in persecutionibus, & ad confitendam fidem, quod opus non erat perficiendum per solam vitam Apostolorum, sed usque ad consummationem Sæculi; unde Matthæi ultimo se usque ad hunc terminum cum illis futurum pollicetur: Cum ergo Apostolorum vita non prætergressa sit primum Ecclesiæ Sæculum, profecto oportet Domini promissionem extendere ad totam Ecclesiam, & cum S. Leone Sermone 9. de Quadrages. affirmare; quod *tota Ecclesia salutare suum in iis, qui aderant (nimirum Apostolis) universaliter audiebat*; quapropter Apostolus Petrus Act. 2. vocans hoc Donum Spiritus S. repromissionem factam Israelitis, eorum filiis, & omnibus, qui longe erant, idest Gentilibus, quoscumque Dominus advocasset, omnibus pollicebatur Spiritum S. si crederent, & baptizarentur, & interim Apostoli manus imponentes dabant Spiritum Sanctum.

VIII Additur modo universalis Ecclesiæ consensus Patrum omnium auctoritate roboratus, cum omnes quotquot extiterunt, sive Græci, sive Latini Confirmationem esse Sacramentum cognoverint. Ex Patribus Græcis audiatur Cyrillus Jerosol. Hic in sua Catechesi Mystagog. 3. Chrisma verum esse Sacramentum demonstrans, cum Eucharistia illud confert: *Quemadmodum*, inquit *Panis Eucharistiæ post S. Spiritus invocationem non amplius est panis communis, sed est Corpus Christi, sic & Sanctum hoc unguentum non amplius est unguentum nudum postquam jam consecratum est, sed est Chrisma Christi, qod adventu Spiritus Sancti per ipsius Divinitatem energiam habet, quo frons, & alii sensus Symbolicè inunguntur, & corpus quidem isto visibili unguento perungitur, anima vero Sancto, ac vivifico Spiritu sanctificatur*. Chrismati consecrato eandem Sanctificandi vim tribuit inter Latinos Patres Auctor de Operibus Cardinalibus Christi in Sermone de unctione Chrismatis: *Hodie in Ecclesia ad populum acquisitionis sanctificandum in participatione dignitatis, & nominis Sacrum Chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum Regiæ, & Sacerdotalis gloriæ exprimit unitatem, quibus dignitatibus initiandis divinitus est unctio instituta*, & paulo post, *Sanctificatis elementis jam non propria natura præbet effectum, sed virtus Divina potentius ope-*

operatur & adest veritas signo, & Spiritus Sacramento. Demum *Hujus unctionis beneficio, & sapientia nobis, & intellectus divinitus datur: Consilium, & fortitudo cælitus illabitur: Scientia, & pietas, & timor inspirationibus supernis infunditur. Hoc oleo uncti cum spiritualibus nequitiis colluctamur*. Patribus his præluxerunt ex Græcis Dionysius Areop. de Ecclesiast. Hierarch. c. 2. par. 2. Clemens Alexandrinus ex Eusebii histor. Eccl. cap. 17. Justinus quæst. 137. Orthodoxarum, Origenes homil. 8. in Leviticum prope finem; & ex Latinis Tertullianus in libro de Resurrect. Carnis, Cyprianus Epist. lib. 2. epist. 1. Eusebius Emissenus in Sermone de Pentecoste, plurimique alii. Secuti sunt Gregor. Nazianz. Orat. in Sanctum Lavacrum, Amphilochius in Vita S. Basilii, Theodoretus in Commentar. 1. cap. Cantic. Joannes Damascen. lib. 4. de Fide c. 10. Pacianus in lib. de Baptismo, Ambrosius lib. 3. de Sacramentis c. 2. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, Augustinus lib. 15. de Trinit. c. 26. Beda libro 6. in Lucam, ceterique non pauci; ita ut Calvinus ipse cum tot, tantisque Patrum testimoniis probari hanc veritatem dissimulare non posset: *etiam si id verum sit*, inquit, *nihil tamen efficitur, nam e terra non est Sacrametum, sed e cælo, non ex hominibus, sed ab uno Deo*, quasi nos hujus Sacramenti institutionem ad homines detulerimus, eo quod per hominum testimonium in Apostolorum doctrina, in Traditione fundatum illius veritatem defendimus. Postremum hoc negat Calvinus, quare dicit loco cit. cap. 19. §. 4. *hallucinatum Hieronymum quod Apostolicam observationem esse putaverit ritum Confirmationis, cum præsertim Augustinus lib. 3. de baptismo cap. 16. affirmet, Confirmationem nihil aliud esse, quam Orationem, & ex Auctoritate Augustini Gratianus canone Arianos 1. quæst. 1. expressis verbis doceat Confirmationem reiterari posse*.

IX. Quod pertinet ad Auctoritatem Hieronymi potius Calvinum quam hunc hallucinatum fuisse quilibet intelligit, qui superiora Divinæ Scripturæ testimonia, illâ quâ par est animi ingenuitate complectitur. Paullo obscurior est Augustini sententia, unde indiget explicatione, quam tamen audire nollet Calvinus, qui §. 10. ait: *Neque hic mihi putidis suis distinctionibus obganiant, non ad Confirmationem illud Augustinum retulisse, sed ad Curatoriam, vel reconciliatoriam*; sed tamen cogitur hanc distinctionem & audire, & probare, cum revera Augustinus ad manuum impositionem reconciliatoriam respexerit, vel quia Chrismatis in laudato loco non meminit, quod semper facit cum de impositione manuum confirmatoria loquitur, vel quia eandem manere dicit, non vero oportere repeti, ut legitur in loco a Calvino citato. Utrumque hoc patet ex lib. 2. contra literas Petiliani cap. 2. epist. 104. *In hoc unguento Sacramentum Chrismatis vult Petilianus interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum Sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus, sed potest esse in hominibus pessimis*, & paullo post *Discerne igitur visibile Sanctum Sacramentum, quod esse & in bonis, & in malis potest, illis ad præmium, istis ad judicium ab invisibili unctione Charitatis, quæ proprie bonorum est*. Præterea quomodo vult Calvinus Augustinum loqui de manuum impositione confirmatoria cum fateatur in loco cit. Augustinum agere de reconciliatione Hæreticorum? Quis ignorat Ecclesiæ Occidentalis morem in hoc facto? Satis est quod quis a limine Ecclesiasticam disciplinam salutaverit, ut se scire sentiat in hac manuum impositione, quæ fiebat jam Confirmatis revertentibus ad fidem ab aliqua hæresi sine inunctione, & in illa, quâ baptizati Chri-

Chrismate ungebantur in fronte, maximum intercessisse discrimen; hæc discrimina exponit Vigilius Papa in epist. 1. cap. 3. & Magnus Gregorius lib. 9. epist. 61. & hinc fuit quod Augustinus asseruit in loco a Calvino cit. *non debere expectari quod per illam manuum impositionem homines loquerentur linguis, ut fiebat tempore Apostolorum, cum daretur tantummodo per illam Spiritus S. invisibiliter, scilicet donum Charitatis, per quod ipsi conscii erant se recepisse Spiritum S. dum cognoscebant se diligere fratres*. Hanc explicationem suppeditat idem Augustinus Tractatu 6. in Jo. *Unde cognoscit quisque accepisse se Spiritum S. Interroget cor suum. Si diligit fratrem, manet Spiritus Dei in illo*. Opportune itaque citatur a Kemnitio Gratianus, quia ex illo melius intelligitur revera Augustinum in illo loco non fuisse locutum de manuum impositione, quæ sit Sacramentum Confirmationis, sed quæ sit vera & propria reconciliatio, quæ potest datâ opportunitate reiterari ad remissionem peccatorum.

X. Colligitur ex his Confirmationem non esse Catechesim Puerorum, qui in infantia baptizati sunt. Mos enim veteris Ecclesiæ fuit baptizare, & confirmare infantes per unctionem in fronte, & manuum impositionem. Nullus Patrum hujus Catechesis mentionem facit, cujus certe infantes incapaces erant dum Baptismum suscipiebant. Meminerunt Chrismatis, & Signaculi Crucis in fronte, & Manuum impositionis, ut exponerent essentiam hujus Sacramenti; at nullo testimonio probatur Infantes ita Sacro Crismate unctos, & signatos in fronte, iterum fuisse Confirmatos postquam pervenerunt ad adultam ætatem.

XI. Colligitur 2. Confirmationem non esse Cæremoniam in Baptismo adhiberi solitam, sed esse Sacramentum a Baptismo distinctum. *Egressi de Lavacro*, inquit Tertullianus lib. de Bapt. c. 7. *perungimur benedicta unctione*, & c. 8. lib. de Resurrect. carnis scribit, quod tria Sacramenta dantur Neophytis: *Baptismus, quo caro abluitur. Confirmatio, qua ungitur, signatur, manus impositione adumbratur. Eucharistia, qua Corpore, & Sanguine Christi vescitur*. Verum id evidentius constat ex diversitate Ministrorum, a quibus hæc duo Sacramenta conferuntur, quod non contingeret, si Confirmatio esset pura cæremonia. *Philippus baptizans*, ait Chrysost. homilia 18. in Acta Apostol. *Spiritum Sanctum non dabat, neque facultatem habebat. Hoc erat in Apostolis singulare, unde præcipuos, & non alios videmus hoc facere*. Eadem docet Hieronymus in cit. Dial. contra Lucifer. & Innocent. I. epist. 1. *De consignandis vero Infantibus manifestum est non ab alio, quam ab Episcopo fieri licere; nam Presbyteri, licet sint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hæc autem solis Pontificibus deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verum & illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit Petrum, & Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum S. nam Presbyteris (seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizent) Chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum S.* Id demum constat ex diversitate effectuum Baptismi, & Confirmationis. Utrumque Sacramentum dat Gratiam, & Spiritum Sanctum, sed non ad eosdem effectus: sic Christus Dominus in Evangelio Joannis capite 20. insufflavit in Apostolos, & dedit eis Spiritum Sanctum, & eodem tempore promisit se illis datu-

daturum Spiritum S. quem illis dedit Actor. 2. Baptismus dat gratiam bene operandi, Confirmatio addit robur ad profitendam fidem: *Sedete in Civitate, donec induamini virtute ex alto*, ita legitur Lucæ ultimo. Baptismus facit vere, & integre justos, & Confirmatio perficit in alio genere, hoc est in ordine ad roborandam animam contra Diaboli impetus, ad fortiter credendum, & ad fidem ipsam intrepide confitendam: quare D. Thomas p. 3. q. 72. a. 1. in corp. inquit: *ubi occurrit aliquis specialis effectus gratiæ ibi ordinatur speciale Sacramentum: Quia vero sensibilia, & corporalia gerunt spiritualium, & intelligibilium similitudinem, ex his quæ in vita corporali aguntur, percipere possumus quid in Spirituali vita gratiæ speciale existat. Manifestum autem est quod in vita corporali specialis quædam perfectio est, quod homo ad perfectam ætatem perveniat, & perfectas actiones hominis agere possit, unde & Apostolus dicit* 1. Cor. 13. Quando autem factus sum vir, evacuavi ea quæ erant parvuli, *& inde est etiam, quod præter motum generationis, quo aliquis recipit vitam corporalem, est motus augmenti, quo aliquis perducitur ad perfectam ætatem. Sic igitur & Vitam Spiritualem homo accipit per Baptismum, qui est Spiritualis regeneratio. In Confirmatione autem homo accipit quasi quamdam perfectam ætatem Spiritualis vitæ; unde Melchiades Papa dicit in Epistola ad Hispaniarum Episcopos:* Spiritus S. qui super aquas Baptismi salutifero descendit lapsu, in Fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam. In Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam. In Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur, *& ideo manifestum est, quod Confirmatio est speciale Sacramentum.*

XII. Sed petet aliquis, quandonam hoc Sacramentum fuerit institutum? Responderi poterit, quod ab aliquibus creditur adumbratum fuisse, cum Christus Dominus Matth. 19. super parvulos ad se venientes manus imposuit. Ita Concilium Senonense. Alii vero tuentur, sed certe nixi apocripho testimonio Fabiani Papæ, Dominum Jesum illâ die, postquam cœnavit cum Discipulis suis, & lavit eorum pedes Chrisma confecisse. Legitur hoc in cap. 1. suæ Epist. 2. Nec in confirmationem hujus opinionis addere juvat, quod eodem die confecretur Chrisma; nam docet D. Thomas hoc fieri, ut Episcopi illud ad Parochos mittant, qui Sabbato S. saltem secundum pervetustam praxim, solemne Baptisma conferebant, ac proinde Neophytorum verticem Chrismate consecrato inungebant. Demum alii censent cum S. Leone Magno Christum Dominum post Resurrectionem suam, scilicet in spatio temporis, quod præteriit inter Resurrectionem, & illius Ascensionem hoc Sacramentum instituisse. *Hi dies*, scribit S. Pontifex in Serm. 1. de Ascensione, *qui inter Resurrectionem, Ascensionemque fluxerunt non otioso transiere decursu, sed magna in eis confirmata sunt Sacramenta, magna revelata mysteria*, idque satis est, ut ineptissimam Lutheri, Zuinglii, Calvini, & Socini Hæresim refellamus, quæ negat Sacramentum Confirmationis, nec secundum materiam, nec secundum formam, nec secundum effectum a Christo Domino fuisse institutum. Verum tamen est, quod Confirmatio, prout modo celebratur habet plures Cæremonias adjunctas, quas Apostoli non observarunt, quia post illorum dormitionem ab Ecclesia sunt institutæ.

Illud tamen prætereundum non est, quod Alexander Halensis, & S. Bonaventura scripserunt, videlicet Confirmationem, non a Christo, sed fuisse insti-

institutam ab Ecclesia Spiritus Sancti instinctu in Concilio Meldensi. Verum hic ipsis error condonandus est, quia nondum plene discussa res fuerat, & eliquata illa quæstio in Plenario totius Ecclesiæ Concilio: *Utrum Sacramenta omnia novæ legis a Christo Domino fuerint instituta*, quam demum definivit Tridentinum Concilium Sessione VII. can. I. Quemadmodum vero, etsi nonnulli ex veteribus PP. discesserint ab Ecclesiæ sententia in aliis quibusdam Fidei doctrinis, non sequitur Controversias illas ad fidem non pertinuisse, in quibus juxta proprium captum scripserunt, ceteris PP. adversantibus; ita negare non debemus Confirmationis Sacramentum a Christo fuisse institutum, quia laudati Auctores illud defenderint ex propria opinione, quam alii impugnarunt, institutum a Concilio Meldensi: eo vel maxime, quod controversiam hanc Tridentini Patres dirimerunt indicta Anathematis pœna iis, qui contrarium assererent. Neque a communi opinione recessit Præceptor Angelicus l. cit. q. 72. a. 1. in resp. ad 1. ubi post relatas aliorum sententias, has omnes veluti falsas proscripsit, & de singulis pronunciavit, quod hoc non potest esse: *quia instituere novum Sacramentum pertinet ad potestatem excellentiæ, quæ competit soli Christo, & ideo dicendum est, quod Christus instituit hoc Sacramentum, non exhibendo, sed promittendo, secundum illud Joann.* 16. si non abiero Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero mittam eum ad vos: *& hoc ideo, quia in Sacramento datur plenitudo Spiritus S. quæ non erat danda ante Christi Resurrectionem, & Ascensionem, secundum illud Joannis* 7. nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. Videtur igitur, non minus falsò, quam inurbanè, & insolenter Novatores ex illis verbis D. Thomæ *non exhibendo, sed promittendo*, sensum eorumdem depravantes, inferre S. Doctorem negasse a Christo Domino institutum fuisse hoc Sacramentum, cum nihil aliud revera ex illis verbis inferri possit, nisi Sacramentum hoc ante Resurrectionem institutum fuisse, sed tantummodo fuisse exhibendum post Ascensionem. Itaque non institutionem, sed exhibitionem Confirmationis Christum promisisse suis verbis, significat S. Thomas.

XIII. Colligitur 3. Quod sicuti per Baptismum in Christi Familiam cooptamur, ita per Confirmationem inter Christi milites describimur; ex quo sequitur, quod in Confirmatione, non secus ac in Baptismo imprimitur Character. Non repeto fundamenta exposita jam, vel in Prolegomenis c. 4. §. II. n. 2. vel in Tractatu de Sacramento Baptismi c. 4. §. I. n. I. sed unicâ Auctoritate Apostoli totam rem conficio. Hæc legitur in c. 6. Epist. ad Hebr. *non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & Fidei ad Deum, Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum*, & intra: *impossibile est eos, qui sunt illuminati, & participes facti sunt Spiritus S. rursus renovari ad pœnitentiam*; in quem locum sic ratiocinatur Chrysostomus. *Cur autem hæc dicit? Quoniam erat verisimile eos, vel cum jam credidissent vacillare, vel male, & dissolutè vivere. Dicit ergo expergiscimini. Non licet dicere, si dissolute, & negligenter vixerimus, rursus Baptizabimur, Catechesi rursus instituemur, accipiemus Spiritum S. & si a Fide non exciderimus, rursum Baptizati poterimus peccata abluere. Erratis, impossibile est enim eos, qui sunt illuminati &c.* Chrysostomus itaque ex D. Paulo probat, neque Manuum impositionem, neque Baptismum posse reiterari. Hæc sunt fundamenta quæ non jaciuntur, nisi semel. Uberiorem probationem exhibeat Con-

Concilium Toletanum VIII. canone 7. Concilium. Tarraconense, Decretum Gregori II. apud Gratianum dist. 5. de Confec. c. *dictum est*. Concilium Florentinum in Instructione Armenorum, & Tridentinum Sess. VII. can. 9. Cyprianus in Sermone de lotione pedum. Augustinus lib. 2. contra literas Petiliani c. 104. Rabanus lib. 1. de instit. Cleric. c. 30. & alii communiter.

§. II. *Ritus repetendæ Confirmationis Apostatis conversis, de quo loquitur* S. Methodius *non officit veritati Characteris, qui per hoc Sacramentum imprimitur.*

XIV. A XII. Ecclesiæ Sæculo cœperunt Novatores hujus Characteris veritatem infringere, & ad hunc errorem confirmandum, attulerunt quemdam canonem petitum ex Euchologio S. Methodii Patriarchæ Constantinopolitani edito A. circiter 481. in hoc præscribitur ritus repetendæ Confirmationis Apostatis conversis. Qui curiosius inquirit praxim hujus ritus talis describitur: *imponuntur illi manus, & interim recitatur Oratio, qua Spiritus S. invocatur ad robur. Oratione completa Sacro unguento accepto, secundum baptizatorum consuetudinem, illos inungit Sacerdos, Crucis signo expresso in fronte, & oculis, & naribus, & ore, & duabus auribus, & manibus, & pectore, & genis dicens: Sygillum Doni Spiritus Sancti.*

XV. Absolute negamus hunc canonem esse fœtum genuinum S. Methodii, sed esse vitiatum, saltem in titulo: qui enim de Apostatis inscribitur, inscribendus erat de Hæreticis, & tunc quod in illo canone decernitur, consonat cum vera consuetudine Ecclesiæ Orientalis, quæ ut S. Papa Gregorius Magnus testatur l. supra cit. solebat Arianos recipere per unctionem Chrismatis, nam Ariani Orientales non confirmabantur per Chrisma in sua Secta: quare etiam in Concilio Niceno can. 31. jubentur Ariani inungi cum ad Ecclesiam veniunt. Potest etiam afferri responsum Arcudii, qui *verissimile est*, inquit, *Rubricas a principio hujus cæremoniæ de ungendo, & abluendo, & in fine post precationem, appendicem formæ, quam putat esse hæc verba: Signaculum* &c. *a posterioribus Græcis additas fuisse. Argumento est, quod etiam in Euchologio manuscripto Patriarchali Cryptæ Ferratæ, quod postea nactus sum, nihil de forma reperiatur, cum alioquin in eo ubi recensetur canon septimus secundi Concilii, de uno aliquo ex illis Hæreticis jam converso habeatur, quod Sacerdos inungit eum unguento, quemadmodum & recentes illuminatos, eadem verba, & super ipsum faciens, hoc est eamdem formam enuncians; quod tamen non dicitur, nec habetur in hac altera Cæremonia;* sed nunquam probari poterit responsio Jacobi Goar existimantis tunc a Ministris celebrari Sacramentum absque intentione illud conferendi; ita enim inquit in notis ad illum canonem: *de iis, qui abnegarunt, & ad Orthodoxam veramque fidem revertuntur: Fateor itaque cum omnibus Catholicis Confirmationis Sacramentum denuo conferri non posse, ac proinde Methodianum hunc ritum Sacramenti rationem non obtinere: fateor etiam nonnisi de Cæremoniali unctione posse intelligi. At dico prolationem verborum*: Sigillum Doni Spiritus S. *non secus ac unctionem pure Cæremonialem, omni penitus excusatione indignam non esse, eo quod per intentionem tum Canonis, tum Ministri Hæreticos reconciliantis, potuerit tam verba citata, quam predicta unctio, seclusa omni ratione Sacramenti, ad ritum pure Ecclesiasticum restringi, ac*

 deter-

determinari, nimirum ut hac signorum exteriori repetitione, aut amissæ Gratiæ, quam receperant in Confirmatione, aut nunquam acceptæ propter hæresim memores fierent. Verum nullum pro sua hac opinione proferre potest momentum, quo probet hunc usum, tum in ungendis Apostatis redeuntibus, tum in ministrandis aliis Sacramentis invaluisse apud Græcos, quod necesse fuisset. Præterea a qua lege conceditur Dispensatoribus mysteriorum Dei Sanctum dare canibus, materiam, & formam applicare subjecto, cujus formæ recipiendæ incapax est? Itaque concluditur Apostatas redeuntes non esse iterum confirmandos.

XVI. Dum dixi *titulum Canonis S. Methodii inscribendum esse de Hæreticis*, non putet aliquis hoc ita dictum, ut generaliter verum sit hæreticos ab Hæreticis Episcopis Confirmatos, si redeant ad unitatem Ecclesiæ esse iterum Sacro Chrismate inungendos. Morinus lib. 9. de Sacramento Pœnitentiæ cap. 9. & 10. pluribus argumentis hanc opinionem probavit. Maldonatus eandem sententiam tenuit in Tomo 1. de Sacramentis quæst. 2. *An debeat repeti Confirmatio fuit antiqua quæstio. Hic distinguendum esse censeo; Nam quod ea Confirmatio quæ a Catholicis Episcopis data fuit non debeat repeti semper fuit certum, & de ea intelliguntur omnes Canones Conciliorum, qui agunt de hac re. Tamen an Confirmatio data ab Episcopis Hæreticis repeti deberet in Ecclesia Catholica non ita fuit certum; imò existimo in tota veteri Ecclesia fuisse repetitam, quia non existimabatur esse vera Confirmatio, quod colligo ex omnibus antiquis Scriptoribus, qui absolute sine ulla distinctione docent eos omnes, qui apud Hæreticos fuerint baptizati, cum redeunt ad Ecclesiam Catholicam, non esse baptizandos iterum, sed confirmandos.* His non obstantibus contraria sententia est tutior, & in praxi attendenda, quando constet Confirmationem fuisse datam secundum ritum, quem Christus instituit, quia nulla lex docet contrarium, imò plures decernunt nostram sententiam, quam alibi data opportunitate retulimus (In Prolegomenis c. 3. §. III. n. 13. & in Trac. de Bapt. c. 2. §. III. n. 18.) inter quas est Decretum S. Stephani Papæ ad S. Cyprianum, & Decretum Synodi Nicænæ I. in c. 8. & Constantinop. I. in c. 7. & Consuetudo omnium Ecclesiarum, quam Optatus Milevitanus demonstrat lib. 7. contra Parmenianum Donatistam invaluisse in Ecclesiis Africanis, Alcimus Avitus Episcopus Viennensis demonstrat in Ecclesiis Gallicanis, Vigilius, & Magnus Gregorius in omnibus Ecclesiis Occidentis, & illam probant omnes Patres Græci viguisse in omnibus Ecclesiis Orientis.

XVII. Plurimum etiam solliciti sunt Theologi in exponenda natura illius Gratiæ quæ confertur a Sacramento Confirmationis, & in multis contendunt esse primam Gratiam, illam scilicet, quæ impium justificat. Hanc tamen illorum assertionem non admittimus, cum Concilium Trid. Sess. XIV. can. 2. alteram post Naufragium Tabulam doceat esse Pænitentiam, non vero Confirmationem, ut cap. 2. jam docuerant *Tridentini* PP. Sacramentum Pœnitentiæ ita esse lapsis post Baptismum necessarium ad salutem, ut nondum regeneratis ipse Baptismus. Eundem effectum profecto attribuissent Tridentini PP. Confirmationi, si per hoc Sacramentum impius justificaretur: quapropter Hilarius Arelatensis Homilia de Pentecoste *Confirmatio*, ait, *augmentum præstat ad gratiam*, & D. Ambrosius lib. 3. de Sacramentis cap. 2. post Fontem scribit: *superest ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus S. infunditur*, & D. Thomas loco cit. q. 72. a. 7. ad 2. *hoc Sacramen-*

mentum datur ad confirmandum quod prius invenerit, & ideo non debet dari bis, qui non habent gratiam, & propter hoc sicut non datur non baptizatis, ita non debet dari adultis peccatoribus, nisi per pœnitentiam reparatis: & deinde subdit, quod *solum in casu, quod aliquis adultus in peccato existeret, cujus conscientiam non haberet, vel si etiam non perfecte contritus accederet, dummodo non fictus accederet, per gratiam collatam in hoc Sacramento consequeretur remissionem peccatorum*. Illa igitur Gratia, quæ est verus effectus hujus Sacramenti vocatur secunda Gratia, quæ præexistentem justitiam auget, quæ conferri non potest per unctionem verticalem, nec potest, esse vel Baptismi, vel Eucharistiæ effectus. *Illa Unctio verticalis*, inquit D. Thomas loco. c. q. 7. a. 3. ad 4. *operatur conservationem gratiæ baptismalis inquantum nempe Ecclesia per preces, quibus Chrisma verticale consecravit impetrat auxilia, per quæ Neophyti gratiam baptismalem & fidem conservent, Unctio vero in fronte ex opere operato dat plenitudinem Spiritus S. ad robur spiritale, quæ plenitudo consistit in uberiore gratia santificance ordinata ad Spiritalem pugnam contra mundanum titaorem*. Præterea hujus Chrismatis dono accepto merito appellamur Christiani, veram efficientes appellationem in ipsa regeneratione, antea enim, quam hæc gratia nobis donata esset, non eramus proprie digni eo nomine, sed pergentes, eò usque progressi sumus, ut efficeremur Christiani.

XVIII. Ex hac observatione, quæ est D. Cyrilli Jerosol. Catechesi 3. Mystagog. evidenter patet effectum Confirmationis non esse effectum Baptismatis, & multo minus erit Eucharistiæ, cum sint duo Sacramenta specie distincta. Quod si quandoque dicatur Eucharistia præbere robur, non secus ac Confirmatio ad confitendam fidem, dici etiam potest, quemadmodum hoc revera dixit Cyprianus epist. 54. sed alio modo, nam Eucharistia hoc robur dat per modum rei exterius advenientis, sed Confirmatio dat per modum principii intrinsece constituentis, qui sunt duo effectus specifice diversi. Etiam per unctionem verticalem attenta illius institutione facta a Silvestro Papa, dicitur ab Hugone a S. Victore lib. 2. de Sacramentis parte 7. c. 3. suppleri effectus Confirmationis, si per absentiam Episcopi, aut difficultatem hanc consequendi, sine manus impositione baptizatus ab hac vita migrare contingeret; propter hoc igitur utriusque unctionis erit idem effectus? Si distinguntur inter se effectus Baptismi Fluminis, & Baptismi Flaminis, quanquam in casu necessitatis alter alterius suppleat vices; ita distingui debent effectus utriusque unctionis, & distingui debent effectus Eucharistiæ, & Confirmationis.

XIX. Ex dictis inferri potest 1. Sacramentum Confirmationis optime definiri: *Sacramentum novæ legis a Christo D. institutum, quo Baptizatis confertur Siritus S. robur, tum ad firmiter credendum, tum ad fidem ipsam intrepide confitendam*.

XX. Inferri potest secundo existenti in peccatum mortale hoc robur spiritale deesse, eo quod peccatum destruat Gratiam Sanctificantem, in qua consistit plenitudo Spiritus S. quæ plenitudo. cum etiam includat auxilia supernaturalia danda opportuno tempore, propter hoc,

XXI. Infertur 3. Robur spiritale adæquate non conferri in ipsa susceptione Sacramenti, & propterea vigilare nos Dominus monet, ne in suo adventu Diabolus ad detrahendum ex nobis Spolia pervigil (ut inquit S. Hi-

Hilarius) *imparatis nobis, somno deditis, & inermibus consiliorum suorum, atque illecebrarum jaculis perfodiat*. *Gratia*, inquit S. Crysostomus *non obvenit Socordibus, & somnolentis, promisit Deus Coronam vigilantibus.*

CAPUT II.

DE MATERIA SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

HÆretici, qui Confirmationem expungunt a numero Sacramentorum Catholicos subsannant dum audiunt Oleum balsamo admixtum, una cum manuum impositione esse materiam Sacramenti Confirmationis. *Olei*, inquit Calvinus in Antid. Concilii Sess. VII. can. 2. *qui faciat mentionem nemo est ex veteribus; imò nec ex media illa ætate, quæ jam multis vitiis abundabat*, & libro 4. Institutionum cap. 19. §. x. postquam retulisset Verba Melchiadis Papæ, in Sanctum Pontificem ira exardens, ipsius nomen blasphemat, & illius sententiam ore petulantissimo mordet. *Os sacrilegum*, inquit; *tu ne pinguedinem fætore dumtaxat anhelitus tui inquinatam, & verborum murmure incantatam audes Christi Sacramento opponere, & conferre cum aqua verbo Dei Sanctificata? At parum hoc ipsum erat tuæ improbitati, nisi etiam præferres: Hæc sunt Sanctæ Sedis responsa: hæc Apostolici Tripodis Oracula*. Sed & eo dementiæ, processit Kemnitius, ut in secunda parte examinis pag. 324. non putaverit impium, qui calceos in itinere torrefactos Chrismate ipse munxisset, quod fecerunt in Gallia Calvinistæ, qui Ocreas suas Sacro Chrismate inunxerunt. Præsens itaque sermo ad Hæreticos, nequissimum hominum genus non convertitur, sed ad examen, & trutinam revocat Scholasticorum Theologorum singulares opiniones de vera materia Sacramenti Confirmationis. Admittimus jam communem distinctionem materiæ proximæ, & materiæ remotæ, & quoniam a nullo Theologorum rejicitur Chrisma Consecratum, quemadmodum ab omnibus cognoscitur manuum impositio: tota Controvesia est in definiendo, quænam ex his materiis sit essentialis, an alterutra, an utraque simul? Qua in re, ut tutius procedatur.

Primo recolenda sunt ea quæ diximus in Prolegomenis cap. 3. § 1. nimirum Christum Dominum determinasse in specie, saltem quoad substantiam omnium novæ legis Sacramentorum materias, & formas.

Secundo recolendum est id quod S. Doctor Augustinus explicat in libro de Fide & Operibus cap. 9. scilicet necesse non esse, ut ex Divina Scriptura demonstrentur, quæcunque ad Sacramentorum essentiam spectant, aut omnia Christianæ fidei dogmata: satis est enim ut altero Fidei principio scilicet Verbo Dei tradito probentur certissime.

Tertio recolendum est etiam ex D. Thoma l. c. q. 72. a. 2. ad 1. quod sicut Apostoli singulari miraculo, & beneficio receperunt promissam plenitudinem gratiæ per Spiritum S. sine Sacramento in die Pentecostes, eo quod ipsi primitias Spiritus Sancti acceperunt, sicut dicitur ad Rom. 8. ita etiam in illis nascentis Ecclesiæ exordiis per solam impositionem manuum Apostolorum, & eorum prædicationem descendebat plenitudo Spiritus Sancti super fideles sub visibilibus signis; & ideo tunc non erat necessaria sensibilis mate-

materia Sacramentalis, si sensibilia signa miraculosè exhibebantur Divinitus. His præstatutis ponitur.

§. I. *Quando visibilia Signa defierunt, tunc per manuum impositionem, & Sacri Chrismatis unctionem Sacramentum Confirmationis peragi cœptum est, quod per rem utramque Sacramentum hoc perfici ab illis usque temporibus existimarunt quicunque, nec ipsis Apostolis exceptis, Sacramentum hoc tradiderunt.*

II De hoc Apostolico ritu loquitur D. Thomas loc. cit. *utebantur*, inquit, *Apostoli communiter Chrismate in exhibitione Sacramenti quando visibilia signa non exhibebantur*. Neque id Præceptor Angelicus suo marte pronunciat, sed innixus Dionysii Areopagitæ testimonio ex 4. cap. Ecclesiasticæ Hyerarch. desumpto ubi, legitur: *Est quædam perfectiva operatio, quam Duces nostri, idest Apostoli Chrismatis hostiam nominant*. Singulare est etiam quod Sanctus Pontifex Clemens jam Apostolorum Discipulus, deinde in Petri Cathedra secundus post Linum successor ejusdem Chrismatis meminit, tum libro 3. Constitut. cap. 17. ubi describens mysteria, quæ per Baptismum repræsentantur inquit: *Batismus datur in mortem Filii, Aqua exhibetur pro sepultura, oleum pro Spiritu Sancto, sigillum Crucis, pro Cruce, Chrisma Confirmatio confessionis est*; tum lib. 7. cap. 23. ubi ritum Baptismatis perficiendi hunc decernit: *Unges eum prius oleo Sancto, deinde baptizabis aqua, postremo signabis unguento Chrismatis, ut sit Oleum unctionis participatio Spiritus, Aqua symbolum mortis, unguentum Chrismatis sigillum passionum*. Ex quibus auctoritatibus eruitur quam merito in eandem sententiam venerint Concilii Moguntini Patres, qui cap. 18. de unctione Chrismatis in Confirmatione docuerunt: Hoc Sacramentum ab initio sola manuum impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus Apostolorum ex eorumdem traditione, adhibitâ Chrismatis unctione incœpisse conferri. Quam derivationem nec siluit S. Martyr Pacianus Episcopus Barcinonensis in epistola 1. adversus Sympronianum, qui ex sententia Novatianorum defendebat solis Apostolis, non vero Episcopis Christum dixisse quæcunque solvissent solvenda fore, cum ait: *hoc ergo superædificavimus quod Apostolorum doctrina fundavit: si ergo Lavacri, & Chrismatis potestas ad Episcopos inde descendit, & ligandi quoque adfuit, atque solvendi.*

III. Fuisse repræsentatum utrumque ritum unctionis, & manuum impositionis, qui baptismum sequitur in Christi Baptismo, demonstravit S. Optatus Milevitanus libro 4. adversus Parmenianum ubi hæc scripsit. *Descendit in aquam, non quia erat quod in eo mundaretur, sed venturum oleum aqua debuit antecedere ad mysteria initianda; & ordinanda, & implenda Baptismatis. Lotus cum in Joannis manibus haberetur secutus est ordo mysterii, & complevit Pater quod rogaverat Filius, & quod nuntiaverat Spiritus S. Apertum est cœlum Deo Patre ungente, Spiritale oleum statim in imagine Columbæ descendit, & insedit capiti ejus & perfudit eum, unde cœpit dici Christus, quando unctus est a Deo Patre, cui ne manus impositio defuisse videretur, vox audita est Dei de nube dicentis, hic est Filius meus, de quo bene sensi, hunc audite. Hoc igitur est quod lectum est: Oleum peccatoris non unget caput meum.*

IV. Hinc utraque Ecclesia tum Occidentalis, tum Orientalis eumdem ritum constantissime semper retinuit, baptizatos sacro Chrismate in fronte in-

un-

ungendi, & nunquam otiosam esse cæremoniam hanc unctionem agnovit; quin imò Synodus Tridentina Seſſ. vii. can. 2. de Confirmatione anathematizavit asserentes *injuriosos esse Spiritui Sancto eos, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt*. Hujus signaculi necessitatem, & virtutem post S. Clementem demonstravit Cornelius Papa, & Primus Innocentius. Ille in sua Epistola ad Fabium Antiochenum, quæ legitur apud Eusebium lib. 6. Historiæ Ecclesiæ cap. 43. ubi de Novatiano sic loquitur: *cum exorcismis foveretur, in morbum gravissimum collapsus, dum jam jamque moriturus crederetur in ipso, in quo jacebat lectulo perfusus Baptismum suscepit... sed neque postquam liberatus est morbo, reliqua percepit, quæ juxta Ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab Episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo minime percepto quo tandem modo Spiritum Sanctum potuit accipere?* Hic vero videlicet S. Innocentius in Epistola ad Decentium Episcopum Eugubinum illum consulentem de Neophytorum consignatione ita respondet cap. 3 *Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizent, Chrismate Baptizatos ungere licet sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis cum tradunt Spiritum Paraclectum.* Verum ejusdem unctionis, & illius effectus meminit Tertullianus lib. de Baptismo cap. 7. *Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione, de pristina disciplina, qua ungi oleo de Cornu in sacerdotium solebant, ex quo Aaron a Moyse unctus est: unde Christus dicitur a Chrismate, quod est unctio quæ Domino nomen accomodavit, facta spiritalis, quia spiritu unctus est a Deo Patre, sicut in Actis: Collecti sunt enim vere in ista Civitate adversus Sanctum Filium tuum, quem unxisti. Sic & in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritaliter proficit, quomodo & ipsius Baptismi carnalis actus quod in aqua mergimur, spiritalis effectus, quod delictis liberamur.* Eadem senserunt tum Cyprianus in Epistola 73. ad Jubajanum: *Nunc quoque apud nos geritur ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur ut per nostram orationem, & manuum impositionem Spiritum S. consequantur, & signaculo Dominico consumentur*, tum Pacianus supra laudatus qui sermone ad Fideles, & Catechumenos de Baptismo inquit: Hæc *autem, scilicet, ut Filii Dei vocemur & simus, compleri alias nequeunt, nisi lavacri, & Chrismatis & Antistitis Sacramento. Lavacro enim peccata purgantur, Chrismate Spiritus S. superfunditur, utraque vero ista manu, & ore Antistitis impetramus, atque ita totus homo renascitur, & renovatur in Christo*. His addantur Ambrosius libro de Salomone cap. 3. Augustinus libro 2. contra literas Petiliani capite 104. Theodulphus Aurelianensis lib. de ordine Baptismi ad Magnum Senonensem Archiepiscopum cap. 16. & ex his omnibus testimoniis satis firmiter concludi poterit Ecclesiam Occidentalem in suis traditionibus recensere Chrismationem esse materiam Confirmationis.

V. Modo ostendendum est eandem traditionem fuisse in Ecclesia Orientali; idque statim patet ex canone 48. Concilii Laodiceni in quo hæc leguntur: *oportet eos, qui illuminantur post Baptismum inungi supercælesti Chrismate, & esse Regni Christi participes*. Ad quem Canonem hanc addit interpretationem Zonaras *Cæleste* inquit *Chrisma appellavit, quippe quod & sacris precationibus, & Sancti Spiritus invocatione sanctificatum sit, & qui eo inunguntur, Sanctos, ac Regni cum Christo participes, nisi ad ejus Regni possessionem nostris ipsi sceleribus aditum præcluserimus, efficiat*. Patet ulterius ex

Au-

Auctoritate Cyrilli Jerosolymitani Catechesi 3. mystagogica ubi *vobis*, inquit, *postquam ex aquis sacri lavacri ascendistis datum est Chrisma quod imaginem gerit illius quo unctus est Christus*. Hic autem est Spiritus Sanctus. Patet ex Theodoreto, qui in notis ad versum 3. Cantici Canticorum explicans hæc verba: *unguentum effusum nomen tibi*, ait, *Quod si magis etiam mystice vis intelligere sacri Baptismatis mysterium, recordare, in quo qui initiantur post Tyranni abnegationem & Regis confessionem spiritualis unguenti unctionem suscipiunt, veluti Regium quoddam Sigillum invisibilem Sanctissimi Spiritus gratiam in unguento tamquam in typo recipientes*. Patet demum ex omnibus Græcorum Euchologiis, in quibus Confirmationis ritus describitur. Sive enim illa sint antiqua, sive recentiora, omnia frontis Chrismationem immediate post Baptismum faciendam recensent, & Orationem præmittunt, quâ Sacerdos Deum precatur, ut per unguentum Neophytis gratiam largiatur, quam quidem gratiam respexerant Patres Primi Constantinop. Concilii, dum Canone 7. jusserunt Novatianos, Arianos, Macedonianos, & plures alios hæreticos in Ecclesiam redeuntes recipi, & Sacra unctione muniri hac verborum adhibita formula *signaculum Doni Spir. S.* Constat igitur quomodo adultâ Ecclesia, & stabilitâ fide cum Signa externa apparere cessaverunt, nec jam amplius Spiritus S. visibiliter descenderet, mox in utraque Ecclesia apud Latinos, & Græcos, in locum visibilia signi unctio Chrismatis adhiberi cœpit, quæ his qui Confirmarentur internam, & spiritualem unctionem repræsentaret, ut quid intus ageretur per Gratiam, foris aliquo visibili signo innotesceret, & verbi fidem externi elementi similitudo confirmaret. Quæ cum ita sint nullus est qui non intelligat ad essentiam Sacramenti Confirmationis unctionem hanc pertinere, non secus ac manuum impositionem, quam pariter Occidentales, & Orientales Ecclesiæ religiosissime observarunt, ut præter Tertullianum cap. 7. de Baptis. Firmilianum in Epist. ad Cyprianum, Isidorum Hispal. lib. 2. de Officiis c. 26. Theodulphum Aurelianensem lib. de ordine Baptismi cap. 16. Rupertum lib. 3. de Operibus Spir. S. c. 9. & Petrum Lombardum lib. 4. Senten. dist. 7. Hieronymum in dialog. adver. Lucifer. Augustinum lib. 15. de Trinit. cap. 26. aliosque, demonstrant plura Concilia & Græcorum Euchologia. Citatum Moguntinum cap. 17. *Ea vero*, inquit, *ut erant a Christo promissa, ipsis Apostolis in die Pentecostes exhibita, & ab eisdem per manus impositionem in alios trasfundi capta Actus ipsorum satis testantur: unde Ecclesia Catholica Spiritum S. per manus Episcoporum Fidelibus tradendi normam accepit*. Narbonense anni 1580. *SS. PP. Institutionibus constat nos in Baptismo regenerari ad vitam, & post Baptismum in hoc Sacramemento, quo per impositionem manuum Episcopi Spiritus S. difunditur in corda fidelium, robur, atque fortitudinem dari*; eadem tradit Concilium Rhemense a. 1583. in titulo de Confirmatione, & ex antiquis Euchologiis Græcorum, illud quod Barberinum dicunt, & illud quod Dominus De Marca edidit in suis notis ad Claramontanum Concilium dum describunt ritum, quo Hæretici redeuntes ad unitatem Ecclesiæ admitti debent, jubent *illorum capiti manum imponere & recitare orationem, quæ postulat ut Spiritus S. redeunti per divinam unctionem communicetur*.

VI. Hæc circa omnem dubitationem laudati Patres, & laudata Concilia decernunt, non ita tamen, ut aditus omnis difficultatibus præcludatur, quæ

ex non recta intelligentia recentium quarundam opinionum oriri possent quare, ut quæ ambigua sunt explicemus, & quæ in alios sensus traducta opponuntur, sinceræ lectioni restituamus. Notamus a Scriptoribus Ecclesiasticis mediæ ætatis in unam, & eandem actionem contractas fuisse Chrismationem, & manuum impositionem; unde unctionem exhiberi dicunt manuum impositione, & manuum impositionem unctione. *Illa unctio*, inquit Beda in Psalmo 29. *quæ per manus impositionem ab Episcopo fit, & vulgo Confirmatio dicitur. Episcopus*, inquit Rabanus Maurus lib. 1. de institutione Clericorum c. 28. *baptizatum per manus impositionem cum ipso Chrismate consignat. Baptizatis*, inquit Ratramnus Corbejensis lib. 4. contra Græcorum opposita c. 7. *Paulus manus imposuit, & ita demum venit super eos Spiritus Sanctus. Docemur igitur Baptismi gratiam per Presbyteros posse contribui, Donum vero Spiritus S. quod tribuitur per manuum impositionem, quando frontes Baptizatorum Chrismate S. liniuntur, non nisi per Episcopos posse promereri*; sic Amalarius lib. 1. de Officiis c. 27. *ut ab Episcopis solis inungantur per manus impositionem ab Apostolis assumptus est. Per manus impositionem* inquit Yvo Carnotensis sermone de convenientià Veteris, & Novi Testamenti, *Sacro Chrismate confirmantur*, & Hugo a S. Victore lib. 2. de Sacramentis parte 15. c. 1. *Pontifex*, inquit, *per manus impositionem confirmandos ungit in fronte*; imò Innocentius III. Extra de Consuetudine cap. *quanto* sic loquitur: *Sacramentum Confirmationis Chrismando Renatos, soli debent Episcopi per manus impositionem conferre*, & cap. *cum venisset* de S. Unct. *Per frontis Chrismationem*, inquit, *manus impositio designatur*. Sed quorsum hæc? Scilicet ut intelligat unusquisque, quod si manus impositio cum Chrismatione, Ecclesiastico loquendi more confusa est a decem Sæculis, supervacaneum erit in Eucologiis Græcorum aliam manuum impositionem inquirire. Dixi *Ecclesiastico loquendi more*: nam a laudatis Patribus Sacramentum illud, quod primis Ecclesiæ Sæculis appellabatur *manuum impositio*, placuit appellari *Confirmatio*, & hunc novum loquendi modum imitatus est Eugenius IV. cum in Decreto de instructione Armenorum dixit *Loco illius manus impositionis, per quam Apostoli dabant Spiritum S. in Ecclesia dari Confirmationem*, & propterea inanem infert illationem Dallæus per laudatum Pontificem Confirmationis hodiernæ ritum distingui penitus ab Apostolica manuum impositione, nam eundem ritum habuit Eugenius quia eumdem illi attribuit effectum; unde inquit: *cum ceteras unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi Episcopus debet conferre, quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent Episcopi, quod per manus impositionem Spiritum S. dabant, quemadmodum Actuum Apostol. lectio manifestat*. Ceterum & si in Euchologiis Græcorum non appareat manuum impositio, ab his tamen præscribitur Oratio specialis supra Neophytos legenda, qua Signaculum Doni Spiritus Sancti unctione Chrismatis tribui, quo in fide confirmentur Neophyti, ipsis adprecatur Ecclesia Graeca. *Quid est autem aliud*, inquit Augustinus lib. 3. de bapt. c. 16. *manus impositio, nisi Oratio super hominem*? igitur utrumque præstat Ecclesia Græca, & manuum impositionem, & Sacram unctionem, quod Simeon Thessalonicensis expressit in libro de Templo, quem post ortum Græcorum schisma scripsit: *per manuum impositionem & inspirationem, ungenti gratiam inserit*.

VII. Explicatur modo Canon VIII. primi Concilii Arelatensis, ex quo videtur inferri anno Christi 314. desisse ritum unctionis in Sacramento Confir-

firmation is, eo quod præcipiat Arianis ad unitatem Catholicam redeuntibus debere tantum manus imponi, ut accipiant Spiritum S. Hæc sunt verba Canonis: *De Arianis, qui propria lege sua utuntur ut rebaptizentur placuit, si ad Ecclesiam aliqui de Hæresi venerint interrogent eos nostræ Fidei Sacerdotes Symbolum, & si perviderint in Patre, & Filio, & Spiritu S. eos Baptizatos, manus eis tantum imponatur ut accipiant Spiritum S.* Ritum eundem præscripsit Concilium Nicænum 1. can. 8. & suâ ætate familiarem fuisse Ecclesiis Occidentis testatur Magnus Gregorius lib. 9. epist. 61. ad Quirinum, & ceteros Iberiæ Episcopos inquiens: *Arianis per impositionem manus Occidens, per unctionem vero S. Chrismatis ad ingressum Sanctæ Ecclesiæ Cath. Oriens reformat*. Ad intelligentiam itaque illorum Canonum necesse est præmittere Hæreticos, de quibus agitur a laudatis Conciliis non fuisse in sua hæresi confirmatos, & propterea ipsis revertentibus præcipitur, ut hoc Sacramento initientur, quapropter dicimus in locis citatis agi de vera Confirmatoria manuum impositione, non vero de sola reconciliatoria. Secundo etiam præmittimus Arianos existentes in Occidente veram Confirmationem accepisse, unde ipsis redeuntibus sola satis erat manuum impositio reconciliatoria. Hac præmissa distinctione intelligitur auctoritas D. Gregorii, & statim apparet ratio discriminis quod sua ætate vigebat in Ecclesiis Orientis, & Occidentis in Confirmandis Hæreticis redivivis. Ubi vero omnia paria erant, ritus etiam in recipiendis Hæreticis non discrepabat. Singulis manus imponebantur, & singuli Sacro Chrismate ungebantur, neque aliter intelligi debet utrumque Concilium & Arelatense, & Nicænum, licet enim videatur utrumque Chrismationem excludere, non excludit tamen. Canonem 8. Prioris Arelatensis explicat Canon 17. Arelatensis II. & in hoc Canone sic legitur: *Bonosiacos autem ex eodem errore venientes [quos sicut Arianos baptizari in Trinitate manifestum est] dum interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum Chrismate, & manus impositione in Ecclesia recipi sufficit*. Etiam Canonem 8. Nicæni de Chrismatione exponit Theodoretus libro 3. hæreticarum Fabularum, aitque *Patres decrevisse ut Novatiani redeuntes Chrismarentur, cum iis qui ab ipsis tinguntur, ß crum Chrisma non præbeant, quocirca eos etiam, qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ conjunguntur laudatissimi Patres Nicæni ungi jusserunt*. Neque aliter sentiunt tum Arausicana prima Synodus, tum Synodus Epaonensis: *Hæreticos in mortis discrimine positos si Catholici esse desiderant, si desit Episcopus a Presbyteris cum Chrismate, & benedictione consignari placuit*, ita decrevit Arausicana can. 2. Epaonensis vero cap. 16. sancivit: *Presbyteris propter salutem animarum quam in cunctis optamus desperatis, & decumbentibus Hæreticis, si conversionem subitam petant, Chrismate permittimus subvenire. Quod omnes conversuri si sani sunt ab Episcopo noverint expetendum*. Ita vero sua ætate, tam in Orientali, quam in Occidentali Ecclesia consuevisse recipi Chrismatione simul & Episcopali manus impositione cum invocatione septiformis Spiritus ab hæresi revertentes, Syricius Papa testatur in Epistola ad Himerium Taraconensem Episcopum cap 1. ubi sic legitur *Quos* (scilicet Arianos) *prohibuerat iterum Baptizari, nos cum Novatianis aliisque hæreticis, sicut in Synodo constitutum est, per invocationem solam septiformis Spiritus Episcopalis manus impositione, Catholicorum conventui sociamus, quod etiam totus Oriens, Occidensque custodit*. Ita Chrismatam fuisse Lanthildem Clodovei, sororem S. Gregorius Turonensis scribit lib. 2. histor. Franco-

corum cap. 31. *Conversa est & alia soror ejus Lanthildis nomine, quæ in hæresim Arianorum dilapsa fuerat, quæ confessa equalem Filium Patri, & Spiritui S. chrismata est.* Hoc idem contigisse in Atanagilde Regis Hispaniæ filia scribit lib. 4. c. 27. *Et quia Arianae legi subjecta erat per prædicationem Sacerdotum, atque ipsius Regis commonitionem conversa Beatam in unitate confessa Trinitatem credidit, atque Chrismata est, quæ in nomine Christi Catholica perseveravit.* Idem accidisse Galsuinthæ ejusdem Reginæ Sorori describit cap. 28. & libro 5. cap. 39. narrat quod prædicatione conjugis Ingundis Hermenegildus relicta hæresis fallacia, Catholicæ legis veritatem agnovit, ac dum Chrismaretur Joannes est vocitatus. Idem factum esse cum Recharedo Hispaniarum Rege, totaque sibi subjecta gente post detestatam Arianam hæresim testimonium habemus in Concilio Toletano tertio ex confessione ejusdem Recharedi: *ut hæ gentes, quas in Dei nomine Regiâ potestate præcolimus, & quæ detorso antiquo errore per unctionem Sacrosanti Chrismatis, vel manus impositionem Paracletum intra Dei Ecclesiam perceperunt Spiritum* &c. Ex his omnibus igitur patet evidentissime tum 1. Arelatense Concilium, tum 1. Nicænum in laudatis verbis, non ritum Sacramenti, sed Sacramentum illud indicare voluisse, quo oportebat perfici Baptismus illorum hæreticorum, qui anathematizata hæresi in fidei unitatem recipi postulabant, & hanc explicationem non refugit ipse etiam Gregorius Papa, qui post narratum utriusque Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis morem in recipiendis Hæreticis, statim subjungit: *Sacrum Baptisma quod sunt apud hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cum illi per impositionem manus Spiritum Sanctum acceperint*, hoc est cum Sacramentum Confirmationis acceperint.

VIII. Major oritur difficultas ex canone secundo primi Arausicani Concilii, quem canonem gravissimi Auctores obiiciunt ut ostendant esse supervacaneam Chrismationem in Sacramento Confirmationis, cujus essentiam ponunt in sola manuum impositione. Veteres Canonistæ, Petrus Aurelius, & Sirmondus ita certe sentiunt, & hic ultimus ex fide MSS. Codicum optimæ notae, & venerandæ antiquitatis, Lugdonensis scilicet, Rhemensis, Fossatensis, Tiliani &c. laudatum Canonem ita recitat: *Nullum ministrorum, qui baptizandi recepit officium, sine Chrismate usquam debere progredi, quia inter nos placuit semel Chrismari. De eo autem, qui in Bampismate, quacumque necessitate faciente, non chrismatus fuerit, in Confirmatione sacerdos commonebitur. Nam inter quoslibet, Chrismatis ipsius non nisi una benedictio est; non ut præjudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur repetita Chrismatio.* Si genuina est hæc lectio, ex hoc canone eruitur, tantum Episcopum monendum esse de ommissa unctione in Baptismo, ut illam suppleat in Confirmatione. Non esse autem necessariam repetitam Chrismationem, semel scilicet a Presbytero in Baptismo, & iterum ab Episcopo in Confirmatione, quæ coferri poterit sola manuum impositione. Hoc infert Sirmondus, qui propterea tuetur Sacram unctionem, etiam in fronte non esse essentialem materiam hujus Sacramenti.

Adjectam huic Canoni negationem advertit Petrus Aurelius, quam vergere arbitratur in detrimentum Sacramenti Confirmationis, & Episcopalis Auctoritatis; hinc de falsato Canone Sirmondum arguit & Stylum mordacissime vexat, & media, & postrema Canonis verba ita legenda esse præscribit, *inter nos placuit*

placuit semel Chrismari in Baptismate .... Non ut præjudicans quidquam dico, sed ut necessaria habeatur repetita Chrismatio. In multis certatum est pro utraque parte, nec ita facile definiri potest in hac varietate lectionum, quæ sit præferenda, quæ sit dignâ censurâ notanda. Sambovius etiam si Disputat. 3. de Sacramento Confir. artic. 1. & 2. Sirmondo adhæreat, & probabilius esse putet, quod unctio non sit materia essentialis Sacramenti Confirmationis, ingenue tamen fatetur se Canone Arausicano probare non posse suam opinionem, cum semper fuerit Ecclesiæ mens, ut supplerentur Cæremoniæ in Baptismo omissæ; quæ mens Ecclesiæ corrigitur, si in Canone Arausicano retineatur particula negativa. Nam ex illo Canone pro ut legitur a Sirmondo ita licet argumentari: si aliquo casu omissa sit in Baptismo Chrismatis unctio, ea de re commonebitur Episcopus cum ad Neophytos consignandos accedit. Qui si duplicem adhibere Chrismationem voluerit, unam, quâ vicem omissæ in Batismo cæremoniæ impleat, ungendo baptizatum ante Confirmationem; alteram, quam in Confirmatione cum impositione manuum ex traditione Apostolica, ut partem essentialem solet adhibere, nihil oberit Mysterio, vel non præjudicabit quidquam, ut loquitur Canon; sed Chrismationem illam repetitam, non esse necessariam, docet Synodus: *quoniam*, inquit, *Chrismatis ipsius inter quoslibet, nonnisi una benedictio est*: idest unâ, eademque benedictione consecratum est Chrisma, quo utuntur Episcopi, & Presbyteri, adeoque licet unctio in Baptismate fuerit omissa, ex eo nullum patitur spirituale detrimentum Baptizatus, cum illa mera sit cæremonia, & Chrismatio Confirmationis, quæ longe præstantior est, utpote pars essentialis Sacramenti, illam utilius suppleat, & magnificentius. Putat igitur Sambovius in suo Tractatu de Confirmatione hoc judicium se posse ferre super Controversia inter Aurelium, & Sirmondum, optimam esse lectionem Petri Aurelii, quæ vocem hanc *in Baptismate* repetit; quæ non attexit negationem postremæ illius parti, & legit; *sed ut necessaria habeatur repetita Chrismatio*; Ita tamen, ut loco illius particulæ *dico*, legatur cum Gratiano, & Crabo *dicimus*, vel cum Syrmondo neque legatur *dico*, neque *dicimus*, sed simpliciter *non ut præjudicans quicquam* & illo Canone præcipi Diaconis, ut numquam baptizent sine Chrismate, atque ut suppleatur ab Episcopo Chrismatio omissa, priusquam ille sine Chrismate Baptizatum confirmet, quia utraque Chrismatio est necessaria. Hac præmissa Canonis correctione, de illius sensu hoc profert judicium idem Sambovius: *sensus ergo, ut mihi videtur, legitimus iste est. Nullus Diaconorum, quibus potestas Baptizandi concredita est, sine Chrismate progrediatur, quia inter nos placuit semel in Baptismate chrismari. De eo autem, qui in Baptismate, quacunque necessitate faciente, chrismatus non fuerit, Episcopus admonebitur, ut suppleat quod prætermissum est in Baptismo, ungendo in Vertice ex eodem Chrismate, quo & postea ungendus in Fronte; quia Chrisma, quod in Baptismo, & Chrisma, quod adhibetur in Confirmatione, una est, eademque benedictione consecratum. Neque vero cum determitur Verticalis unctio facienda tunc ab Episcopo, præjudicium id est, ut Confirmandus non ungatur in fronte, quia utraque Chrismatio, Verticis scilicet, ac Frontis necessaria est.*

§. II. *Oleum Consecratum, non vero balsami mixtio pertinet ad essentiam Sacramenti Confirmationis.*

IX DE

IX. De iis modo agendum est, ex quibus Chrisma confirmatorium conflat. Pontifex Innocentius III. ab Episcopo Heliensi interrogatus, utrum Sacramentum Confirmationis deberet iterari in eo, qui per errorem fuit non Chrismate, sed Oleo delinitus in capite *Pastoralis* de Sacramentis non iterandis respondit: *non est aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incautè fuerat prætermissum*. Ex hac responsione.

X. Infertur 1. omissionem in collatione Sacramentorum multipliciter posse contingere. Quædam enim quæ omittuntur sunt substantialia, ut in Confirmatione Oleum ab Episcopo Consecratum, & manus impositio, & in his si aliquod ommissum fuerit totum est iterandum, & ex toto, ac si nihil esset actum; Quædam sunt quæ non sunt de substantia Sacramenti, pro ut est expressum in jure, sed de solemnitate tantum, ut quod Chrisma consecretur feria v. in Cæna Domini, quod unctio fiat in fronte, quod fiat ab Episcopo qui sit jejunus &c. & si hæc quæ non sunt substantialia, sed de solemnitate omittantur, vel aliquid eorum, nihil iteratur, sed caute suppletur, ut hic in citato capite *Pastoralis*. Quædam sunt dubia, de quibus non constat, an sint de substantia, vel de solemnitate, & in his tutior pars est eligenda. Quædam denique sunt levia, quæ non sunt supplenda, si tamen suppleantur non est malum.

XI. Infertur 2. in Sacramento Confirmationis desiderari Oleum balsamo mixtum, hoc Oleum debet esse Olivarum, quia quotiescumque in jure mentio fit unctionis faciendæ cum Oleo pluribus argumentis probat Fortunatus Scacchus in lib. 1. Myrothecii, intelligi Oleum olivarum. Quia vero etiam Sacramentum Extremæ unctionis habet pro materia remota Oleum, ut aliquid in his Oleis discrimen esset, voluit Ecclesia quod Oleum balsamo mixtum esset materia Confirmationis, Oleum purum olivarum esset materia extremæ unctionis, idque non solum constat ex nuper laudato cap. *Pastoralis*, sed etiam ex capite *cum venisset* de Sacra Unctione, ubi Pontifex Innocentius III. scribit *Chrisma fit ex Oleo, & Balsamo mystica ratione. Per oleum enim nitor conscientiae designatur, per balsamum exprimitur odor famæ*. Eamdem compositionem tradunt Concilium Carthaginense III. can. 36. Bracharense II. can. 4. Eugenius IV. in decreto pro Armenis *Chrisma confectum ex Oleo, & Balsamo per Episcopum benedictum*, & præcipiunt omnia, tum Euchologia Græcorum, tum Latinorum Pontificalia, nisi quod Euchologia Græcorum varias alias addunt aromatum species, de quibus etiam loquitur Dionysius in lib. de Eccles. Hierar. c. 4. ubi inquit *sic ergo statuimus unguenti Confirmatorii confectionem concretionem esse quamdam rerum bene olentium, quæ in se magnam vim, & copiam fragrantium qualitatum continens, cujus qui facti sunt participes, odorem bonum ex se afflant proportione fragrantis communionis, quæ in eis inest*. Quandonam incœperit Ecclesia immiscere Balsamum Oleo non potest certò definiri. Silentium Patrum omnium Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ qui floruerunt a primo Ecclesiæ sæculo usque ad VI. probat usum hunc fuisse inauditum usque ad hoc tempus. Labente sexto sæculo Gregorius Turonensis lib. 1. de gloria Martyr. c. 41. apud Græcos, aqud Latinos Gregorius Magnus expositione in Cantica meminerunt hujus mixtionis. Quod enim traditur de Fabiano Papa, qui tertio sæculo floruit, nimirum quod ipse decreverit, ut feria v. in Cæna Domini Chrisma singulis annis conficeretur ab omnibus Episcopis, nec illis exemptis, qui protestabantur se Bal-

famum non invenire quod Oleo immifcerent (fic enim S. Pontificem fcripfiffe ferunt ad omnes Orientales Epifcopos: *Dicunt enim, ut in memoratis apicibus reperimus, nec balfamum per fingulos annos poffe reperiri, nec necefse fore per fingulos annos Chrifma conficere, fed dum una confectio Chrifmatis abundat, aliam fieri necefse non habere*) apud feveriores Criticos non bene audit, qui fpurias, & apochriphas hujus Pontificis Epiftolas agnoverunt; & effe fœtus Auctoris, qui florebat circa VIII. Sæculum.

Sequitur hinc Chrifma, quatenus Balfami admixtionem includit non effe ad Sacramenti fubftantiam neceffarium; alioquin Innocentius III. illud iterandum dixiffet, quod prius factum non fubfiftebat: ita Cajetanus 3. par. q. 72. a. 1. & 2. Dominicus Soto in 4. Senten. dift. 7. quæft. unica ar. 2. Eftius in 4. dift. 4. cap. 8. qui probant Balfamum ad materiam effentialem Confirmationis non fpectare, nec effe neceffarium neceffitate Sacramenti, fed neceffitate præcepti dumtaxat. Ipfe Innocentius III. hoc idem rursus innuere videtur in c. unico de facra unctione; & notatur communiter quod vocabulum *Chrifma* nomen genericum eft quamlibet unctionem, feu unguentum fignificans, ut Innocentius I. Epiftola ad Decentium Oleum Infirmorum Chrifma vocavit, etiam fi Balfamum illi non admifceatur, & ut conftat ex D. Aug. qui lib. 17. de Civit. Dei cap. 10. In Veteri Teftamento, ait, *Reges, Chrifti vocabantur Chrifmate illo myftico confecrati*, licet conftet ex Sacra Scriptura quod mero Oleo Reges inungebantur, ut legitur in cap. 9. libri 1. Reg. *Tulit autem Samuel lenticulam Olei, & effudit fuper caput ejus*, ideft Saulis, *& deofculatus eft eum, & ait: ecce unxit te Dominus fuper hæreditatem fuam in Principem &c.* & cap. 16. *imple cornu tuum Oleo, & veni ut mittam te ad Isai Bethlehemitem, providi enim in filiis ejus mihi Regem &c.*

XII. Infertur 3. hoc Oleum Balfamo mixtum oportere effe benedictum. *In Engaddi Balfamum gignitur* (fcripfit S. Pontifex Gregorius loco f. c.) *quod cum Oleo, Pontificali benedictione Chrifma efficitur, quo Dona Sancti Spiritus exprimuntur. Sanctum hoc unguentum*, inquit Cyrillus Jerofol. *non amplius eft unguentum nudum, neque* (fi quis ita appellare nolit) *commune, poftquam jam confecratum eft, fed eft Chrifma*. Confecrationis Chrifmatis exordium facile non eft invenire, quare D. Bafilius lib. de Spiritu S. cap. 17. ubi dixiffet morem effe in Ecclefia benedicendi aquam Baptifmatis & Unctionis, fubdidit *Quibus vero Scripturis edocti? & refpondit. Nonne a Secreta, & filente Traditione?* Licet fufpicari Confecrationem Chrifmatis ab ipfis Apoftolis repetendam effe; tum quia de illa agit D. Dionyfius difcipulus Apoftoli Pauli cap. 4. partis tertiæ de Ecclefiaft. Hierarc. ubi quomodo fieri debeat, ritum ponit; tum etiam quia non eft credibile quod Apoftolos latuerit Moyfem ex Divino præcepto compofuiffe, & Sanctificaffe Oleum unctionis five Chrifma, quo Sacerdotes ex Divinis inftitutis facrabantur, Tabernaculum ipfum, Altaria, Utenfilia Sacrificiorum, & reliqua Sacrorum inftrumenta. Ita legitur Exodi c. 30. *Locutusque eft Dominus ad Moyfen dicens: fume tibi aromata prima myrræ, & electæ quingentos ficlos; & cinnamomi medium, ideft ducentos quinquaginta ficlos, calami fimiliter ducentos quinquaginta, Cafiæ autem quingentos ficlos in pondere Sanctuarii, Oleum de Olivetis menfuram Hin. Faciefque unctionis Oleum Sanctum, unguentum compofitum opere Unguentarii* (vel ut LXX. legunt) *& facies illud Oleum unctionis Sanctum unguentum, unguentatum arte Unguentarii. Chrifma unctionis Sanctum erit*. Verum eft,

est, quod tertio Ecclesiæ Sæculo hujus Chrismatis consecrationis pravis ubique observata fuit, statutumque a variis Conciliis, ut soli Episcopi Chrisma consecrarent, quod præter supra laudata, Toletanum 1. A. 400. can. 20. præcepit: *Placuit ex hac die nullum alium nisi Episcopum Chrisma conficere*. Rationem hujus consecrationis tradit D. Thomas loco c. a. 3. in corp. *Tota Sacramentorum Sanctificatio a Christo derivatur. Est autem considerandum, quod quibusdam Sacramentis habentibus materiam Corpoream Christus est usus, scilicet Baptismo, & etiam Eucharistia, & ideo ex ipso usu Christi materiæ horum Saramentorum aptitudinem acceperunt ad perfectionem Sacramenti; unde Chrysost. quod nunquam aquæ baptismi purgare peccata credentium possent, nisi tactu Dominici Corporis Sanctificatæ fuissent, & similiter ipse Dominus accipiens Panem benedixit, similiter autem & Calicem, ut habetur Matth. 26. & Lucæ 22. & propter hoc non est de necessitate horum Sacramentorum, quod materia prius benedicatur, quia sufficit benedictio Christi, si qua vero benedictio adhibeatur, pertinet ad solemnitatem Sacramenti, non autem ad necessitatem. Unctionibus autem visibilibus Christus non est usus ne fieret injuria invisibili unctioni, qua est unctus præ consortibus suis* (Psal. 44.) *& ideo tam Chrisma, quam Oleum Sanctum infirmorum prius benedicuntur, quam adhibeantur ad usum Sacramenti.*

XIII. Ex nuper laudatis verbis Concilii Toletani eruitur Consecrationem Chrismatis ante prædictum Concilium per quemlibet Presbyterum factam valuisse, cum oppositum non declaraverint Toletani Patres. Eruitur etiam, quod non ex Divina institutione, sed ex præcepto Ecclesiæ Presbyteri consecrare Chrisma modo interdicuntur. Juvat nunc integrum citatum canonem transcribere: *Quamvis pene ubique custodiatur, ut absque Episcopo Chrisma nemo conficiat, tamen quia in aliquibus locis, vel Provinciis Presbyteri dicuntur Chrisma conficere, placuit ex hac die nullum alium nisi Episcopum Chrisma conficere*. Si igitur aliquis Presbyter, post has Ecclesiasticas Sanctiones benedictionem Chrismatis intentaret profecto irrita esset illius Chrismatis consecratio, ut in pari casu irritum, & nullum declaratum invenitur Chrisma a quibusdam Corepiscopis confectum in lib. 7. Capitul. Caroli Magni c. 329. *quia illi non habuerunt, dare non potuerunt; quoniam ex his eis quicquam agere non licet, quæ omnia Summis Pontificibus debentur, & non Corepiscopis, qui nec summi Pontifices, vel Episcopi fuerunt, nec deinceps usquam fieri possunt... Quæ si ab eis, aut propter imperitiam, aut propter præsumptionem acta, ut prædictum est, ab imperitis esse putantur, a Cathedralibus tamen Episcopis reformanda, vel peragenda sunt, quia quæ illi in his agere cogitarunt, imperfecta remanserunt*... & ne alicui talis Ordinatio, vel Confirmatio, aut Consecratio, reiteratio esse videatur, attendat illud quod scriptum est: *quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum*. Non prævaluerunt tamen adversus pravam consuetudinem hæc Sacrorum Conciliorum Decreta nam A. 531. Montanus Toletanæ Ecclesiæ Antistes durissimis, ac gravissimis verbis in eam invehere necessarium duxit in Epistola ad Fratres Territorii Palentini, & in Epist. ad Turibium: *quidam, ut ad nos perlatum Presbyteri ausu temerario res Sacras, non tam consecrare, quam violare præsumunt, & cunctis ab initio Fidei Catholicæ Sæculis inusitatum, summis sui ordinis hominibus, nisi tantum Pontificibus de-*

debitum jus Consecrationis Chrismatis, nescio quo typho, an dementia dicam indubitanter assumunt, quod quam sacrilegum sit pissimam conscientiam latere non credo, & ideo spero, ut pro enervanda hac ipsa superfluitate severissimi Sacerdotis auctoritate utaris, & tanta rei temeratores districtiori increpatione coerceas. Invaluit nihilominus quorumdam Presbyterorum temeraria præsumptio tolerantibus Episcopis Africanis, ut refert in sua epistola ad Senarium Joannes Diaconus Scriptor Sæculi IX. qui per Africam Sanctum Chrisma conficiebant; quare iterum in Concilio Wormatiensi anni 808. decretum est can. 2. *Chrisma conficere præter Episcopum nullus præsumat, nam illi soli hæc dignitas concessa est.* Et can. 8. dum ea recenset, quæ Presbyteris non conveniunt, inquit, *similiter non liceat eis Chrisma conficere, quia Pontificatus apicem non habent.*

XIV. Colligitur hinc quam inverecundè respondeant Calvinus, & Kemnitius, dum benedictionem hanc superstitiosam, & magicam vocant; dum lib. 4. instit. c. 19. §. 8. vocat Calvinus Chrisma consecratum *Oleum Diaboli mendacio pollutum*, aut dum Kemnitius dicit illud debere appellari *Chrisma excantatum*, quibus enim Conciliorum Decretis nostrarum propositionum veritas demonstratur, illorum audax ignorantia retunditur, & quæ cœlesti lumine inspirati tot Ecclesiarum Præsules, & Magistri in variis Provinciis declararunt in Græcia, in Italia, in Africa, in Hispania, in Lusitania, in Gallia, in Germania, illorum cavillationes, & malam fidem exagitant.

XV. Infertur 4. ex constanti omnium Sæculorum praxi Ecclesiam Latinam semper consuevisse solum Frontem ungere. Græci vero diversas Corporis partes, quando plures, quando pauciores. Frontem, Aures, Nares, & Pectus olim ungebant. Oculos, Os, Manus, & Pedes deinde addiderunt. Syri ex testimonio Naironi, Latinorum morem imitantur. *Frons illinitur*, inquit Cyril. Jerosol. Cathec. 3. Myst ag. *ut abstergat a nobis pudorem, quem primus homo transgressor perpetuo circumferebat, simulque efficiat, ut possitis vultu non velato gloriam Domini intueri. Deinde vero aures unguntur, ut ad audiendum Divina mysteria aures apertatis, de quibus dicebat Isaias: & addidit mihi Dominus aures ad audiendum, & Dominus in Evangelio: qui habet aures ad audiendum, audiat. Postea nares, ut Divinum recipientes unguentum dicatis Christi gratus odor est Deo in his, qui salvantur. Tum vero & pectus inungitur, ut induti Thoracem justitiæ, fortiter adversus insultus Diaboli consistatis.* Videtis ergo, quam impie a Novatoribus vocentur superstitiosæ hæ Unctiones, cum piis de Causis, vel ab Apostolis traditæ, vel ab Ecclesia institutæ sint, & mysticas significationes habeant, quibus Fidelium pietas accendatur. In Crucis figuram ducuntur singulæ unctiones, quo significatur Christiano de Cruce Christi, quæ Judæis scandalum est, & Gentibus stultitia, non esse erubescendum, sed in ea gloriandum esse, illoque Signo munitum, esse Diabolo terribilem. Cum Fidelium frontes Chrismate inunguntur, pertinet ad ritum Ecclesiæ ut Confirmationis Minister nonnulla verba pronunciet, de quibus statim quæritur, utrum ad Cæremoniam quamdam, vel potius ad exprimendam Formam Sacramenti usurpentur.

§. III. *Oratio, quam Episcopus profert extensis manibus versus Confirmandos est vera Forma Sacramenti Confirmationis.*

XVI. Quatuor in hac re audiuntur Theologorum sententiæ. Armacanus formam Sacramenti Confirmationis in illis verbis sitam esse vult: *in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Alii vero in his *Consigno Te signo Crucis*. Alii in Oratione, quæ a Ministro supra Confirmandos recitatur. Alii demum in his verbis, quæ in omnibus Euchologiis Græcorum leguntur veram formam statuunt Sacramenti: *Signaculum Doni Spiritus Sancti*. Ut igitur verisimilior ostendatur illa sententia, quam elegimus animadvertendum est cum D. Dionysio in fine Eccles. Hjerarc. *Consumativas invocationes*, sive ut explicat D. Thomas loco c. ar. 4. in cor. *verba, quibus perficiuntur Sacramenta, non est justum Scripturas interpretantibus, neque mysticum earum, aut in ipsis operatas ex Deo virtutes, ex occulto ad commune adducere, sed nostra Sacra traditio sine pompa* (Explicat D. Thomas *occulte*) *eas edocet*. Igitur ex D. Dionysio in dirimenda hac controversia non est a Traditione recedendum, & ex laudatis opinionibus illa eligenda est, quæ talem formam hujus Sacramenti exhibet, qualem universa tenuit Ecclesia, nec Concilia instituerunt, sed semper retenta est; has enim notas D. Augustinus requirit lib. 4. de baptismo c. 24. ut aliquid nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime credatur.

XVII. D. Cyprianus epistolâ 73. ad Jubajanum datâ de Samaritanis a Philippo Baptizatis loquens *tantummodo*, inquit, quod *deerat id a Petro & Joanne factum est ut Oratione pro iis habitâ, et manu impositâ invocaretur, & infunderetur super eos Sipiritus S. Quod nunc quoque apud nos geritur*. S. Hieronymus loco. c. c. eadem docens scribit *Hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus Urbibus per Presbyteros, & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Spiritus S. manus impositurus excurrat*. Et S. Augustinus lib. 15. de Trin. c. 26. sententiam eandem probans, inquit. *Neque enim aliquis Discipulorum ejus dedit Spiritum S. Orabant quippe ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant*, *quem morem in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia*. Apostolos vero ita dedisse Spiritum S. in cap. 8. Actuum Apostolic. Lucas describit: *Cum autem audissent Apostoli, qui erant Jierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei miserunt ad eos Petrum, & Joannem, qui cum venissent oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spir. S.* Confirmat eundem ritum S. Papa Gregorius Magnus in suo Sacramentorum libro, & praxis Ecclesiæ Latinæ usque ad XII. Sæculum constantissime tenuit, nec usque modo deseruit: videtur ergo, quod apud Latinos hæc Oratio quam Episcopus profert extensis versus Confirmandos manibus, sit vera forma Sacramenti Confirmationis.

Adde Orationem, saltem quo ad sensum eandem cum illa, quæ in Latinis Ritualibus legitur, præseferre Græcorum Euchologiæ Constantinopolitanum, Apamiense in Syria, & Ordinem Mysteriorum, sive administrationis Sacramenti Confirmationis, secundum usum Æthiopum excusum Tom. VI. Bibliothecæ Patrum. Eandem legimus in Ordine Gelasiano, in Ordine Baptismi Severi Alexandrini, & in antiquioribus Sacramentorum Libris; ita ut utraque Ecclesia Græca, & Latina, Occidentalis, & Orientalis in eumdem ritum conspiraverint.

XVIII. Cur

XVIII. Cur vero in Oratione potius, quâ Spiritus S. super confirmandos invocatur, quam in verbis his *Signo te Signo Crucis, confirmo te Chrismate salutis: In Nomine Patris &c.* quæ non sunt a Scripturæ Divinæ majestate aliena, cum Apostolicis illis sint similia: *Qui confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in Cordibus nostris*, forma essentialis Confirmationis statuatur, ratio esse potest, quod præcista verba in Ritualibus omnibus non reperiantur: & certè non reperiuntur in illis, quæ exarata sunt ante Sæculum VII. in quibus nullum omnino illorum verborum vestigium reperitur, absunt etiam a S. Gregorii Sacramentario, desunt in aliis Ritualibus MS. nimirum in Petaviano, & Fuxensi, quæ post Orationem ab Episcopo fusam super Confirmandos, hæc ab eo proferri tantum verba referunt, cum eorum frontes Chrismate inungit: *Signum Christi in vitam æternam. Amen.* Addit Fuxense hanc Benedictionem, quæ totum ritum claudit: *Confirmet te Pater, & Filius, & Spir. S. Amen. Pax tecum, & cum Spiritu tuo.* Amalarius, qui Sæculo IX. Trevirensi Ecclesiæ præerat Neophytorum frontes inungens, verbis illis non utebatur; & lib. 1. de Ecclesiasticis Officiis c. 27. Romanum libellum citat, in quo Oratione expleta, Crux cum pollice in singulorum Confirmandorum frontibus Chrismate facienda præscribitur, ita dicendo: *In Nomine Patris, & Filii & Sp. S. Pax tibi, & cum Spiritu tuo.* Ordo Romanus editus in Bibliotheca Patrum docet Pontificem post Orationem dicere *Confirmo te in Nomine Patris, & Filii, & Spir. S. Amen. Pax tecum, & cum Spir. tuo:* & alter Ordo Romanus MS. isto antiquior addit hæc verba, *& consigno.* Alter Ordo Romanæ Ecclesiæ tempore Innocentii III. qui in Fuxensis Collegii Bibliotheca MS. extat, præscribit Pontificem Oratione completa facere Crucem in frontibus singulorum cum pollice de Chrismate, ita dicendo: *Signo te Signo Crucis, Pax tecum, & cum spiritu tuo.* Scribitur etiam quod Silvester Pontifex, cum confirmavit Constantinum, hac usus est formula: *Signet te Deus Sigillo fidei. In Nomine Patris, & Filii, & Spir. S.* Alcuinus, qui de Divinis Officiis scribebat anno 778. describens ritum Confirmationis in Ecclesiis Francorum in cap. de Sab. S. inquit: *finita Oratione facit Episcopus Crucem de Chrismate cum pollice in singulorum frontibus, ita dicendo: In Nomine Patris &c. Pax tibi. Respondent omnes, & cum Spiritu tuo.* Morinus laudat antiquissimum Tolosanum Sacramentarium, in quo dicitur, quod Pontifex post Orationem faciat Crucem de Chrismate cum Pollice in singulorum frontibus dicendo: *Signat te Deus Sigillo fidei suæ in consignatione fidei In Nomine Patris, & Filii, & Spir. S.* In Ecclesia Anglicana ante annos 800. hic ritus erat Confirmationis: *Benedicat vobis, Omnipotens Deus, qui cuncta ex nihilo creavit, & vobis in baptismate per Spiritum S. remissionem omnium peccatorum tribuit. Amen. Qui eundem Spiritum in linguis igneis Discipulis suis dedit ipsius illustratione corda nostra perlustret, atque in sui amorem jugiter accendat. Amen. Quatenus ejus Dono a cunctis vitiis emundata, ipsiusque opitulatione ab omnibus adversitatibus defensi, templum ipsius effici mereamur. Amen. Quod ipse præstare dignetur.* Tota, & integra primum audiri cœpit hæc formula Confirmationis circa annum 1150. in Ecclesia Rothomagensi, deinde in Ecclesia Tolosana, & Turonensi circa annum 1250. ut habetur in Decreto Eugenii IV. Concludit itaque Natalis Alexander Differ. X. in Seculum II. suæ Historiæ Ecclesiasticæ: *Cum tanta sit quo ad verba, quæ Chris-*

mationem comitantur in Antiquis Ritualibus, & Ecclesiasticis mounmentis varietas, apparet hanc formam Consigno Te Signo Crucis, & confirmo Te Chrismate Salutis, accidentariam esse Confirmationi, & ab Eugenio IV. Armenis post Florentinum Concilium traditam, non quod huic Sacramento essentialis existimaretur, sed quod Romanæ Ecclesiæ solemne esset illa verba proferre post Orationem invocantem septiformem Spiritum S. super Confirmandos, quæ forma essentialis est. Volebat autem Eugenius Armenos ad Ecclesiæ Romanæ ritus traducere.

XIX Profecto si per hæc verba forma essentialis Confirmationis indicaretur, & non potius forma integralis, aliqua ex illius partibus omissa, Sacramentum Confirmationis non valeret, quod ex ipsis Adversariis plerique negant, quia exemplo formæ Babtismatis, inquiunt, non pertinere ad illius essentiam sub pœna nullitatis, tum verba, quæ exprimunt impressionem characteris, tum verba quæ exprimunt materiam, & hujusmodi sunt in forma de qua agitur hæc verba: *Signo Te Signo Crucis*, & hæc alia *Chrismate Salutis*. Distincta vero trium Personarum Sanctissimæ Trinitatis invocatio apud Græcos nunc non est in usu, ut neque fuit in usu apud Latinos antiquitus. Igitur ex controversa forma, sola hæc duo verba *Confirmo Te*, superessent in essentia formæ Confirmationis, quæ primarium Sacramenti effectum explicarent, scilicet robur ad confitendam Fidem. Sed videntur superflua quia hic effectus satis remanet explicatus in Oratione, quam Pontifex recitat, & quæ legitur in laudato libro Sacramentorum Gregorii Magni: *Pontifex veniens ad infantes tenente Archidiacono Chrisma involutis scapulis, & brachiis ex panno lineo, & elevata manu sua super capita omnium dicit. Omnipotens Sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex Aqua, & Spiritu S. quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum, emitte in eos septiformem Spiritum tuum Sanctum Paraclitum de Cœlis, Spiritum Sapientiæ, & Intellectus, Spiritum Consilii, & Fortitudinis, Spiritum Scientiæ, & Pietatis, adimple eos Spiritu timoris tui, & consigna eos Signo Crucis in vitam propitiatus æternam. Per Dominum nostrum &c.* Hæc sola erat Confirmationis formula tempore S. Gregorii, ut constat ex sequentibus verbis ejusdem S. Pontificis: *Et interrogantibus Diaconibus Nomina singulorum, Pontifex tincto pollice in Chrismate facit Crucem in fronte unius, similiter per omnes sigillatim, quibus expletis jussi incipiunt in Ecclesia Lætaniam ternam. Sed*

XX. D. Thomas his nonobstantibus l. c. a 4. in corp. dicit quod prædicta forma *consigno te signo crucis, confirmo te Chrismate salutis. In Nomine Patris, & Filii, & Sp. S.* est conveniens huic Sacramento: *sicut enim forma rei naturalis dat ei speciem; ita forma Sacramenti. Sicut autem in hoc Sacramento datur Spiritus S. ad robur spiritualis pugnæ, & ideo in hoc Sacramento tria sunt necessaria, quæ continentur in forma prædicta, quorum primum est caussa conferens plenitudinem roboris spiritualis, quæ est S. Trinitas, quæ exprimitur cum dicitur in nomine Patris, &c. Secundum est ipsum robur spiritale, quod homini confertur per Sacramentum materiæ visibilis ad salutem, quod quidem tangitur cum dicitur confirmo te Chrismate salutis. Tertium est signum quod pugnatori datur, sicut & in pugna corporali milites insigniis Ducum insigniuntur. Et quantum ad hoc dicitur: Consigno te signo Crucis, in quo scilicet Rex noster triumphavit, ut dicitur Coloss. 2. Delens quod adversus nos erat Chirographum Decreti, quod erat contrarium nobis, & ip-*

& ipsum tulit de medio affigens illum Cruci, & expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.

XXI. His fundamentis pro utraque sententia certatur, ita ut cuilibet licitum sit pro suo arbitrio eligere quamcumque voluerit. Nihil in hac re a Conciliis sancitum est, nihilque a summis Pontificibus, vel decisum, vel declaratum, pertineant nec ne ad essentiam Sacramenti Confirmationis hæc postrema verba, vel illa Oratio, quam supra confirmandos extensis manibus profert Episcopus. Illud certum est, neque apud Latinos, neque apud Græcos, esse formam Confirmationis, illam Orationem per quam Chrisma consecratur, ut ex Latinis videtur tuere Hugo a S. Victore lib. 1. de Sacramentis parte 9. c. 2. & ex Græcis Simeon Thessalonicensis Archiep. Nicolaus Cabasilas, quibus præluxit Gabriel Philadelphiensis Episcopus in suo tractatu de Sacramentis: *Forma unguenti sunt verba Pontificis, quæ dicuntur supra unguentum, & quæ vim habent illud informandi;* tum quia Confirmatio non est Sacramentum permanens, ut Eucharistia, sed tunc subsistit quando actu applicatur subiecto; tum etiam quia Presbyteri, nec apud Græcos, ut mos invaluit, nec apud Latinos, si de licentia Summi Pontificis hoc Sacramentum conferrent nunquam confirmavissent, aut confirmarent cum illis prohibitum sit, ut supra ostendimus Chrisma conficere, & propterea illam formam proferre, alioquin dicendum esset quod etiam Laicus confirmaret, si Chrismate ab Episcopo consecrato Neophytum inungeret, quod usque modo nullus asseruit. Rationabilius itaque D. Thomas in 4. sententiar. dist. 7. q. 1. a. 3. ad tertiam quæstionem ait: *quod formæ Sacramentorum sunt ad perficienda Sacramenta, unde Dionys. vocat eas consumativas invocationes* ut dictum est *N.* x. *& ideo in illo Sacramento, quod totum consistit in illa re sensibili sanctificata, & non in usu illius rei, forma Sacramenti dicitur illud quo materia sanctificatur, non autem illa verba, quæ in materiæ usu proferuntur, sicut patet in Eucharistia. In illis autem Sacramentis, quæ perficiuntur in usu materiæ, sicut Baptismus in ipsa tinctione, vel ablutione, forma Sacramenti est, quæ dicitur in usu materiæ, non quæ dicitur in sanctificatione materiæ, quia illa Sacramentale quoddam est; & ideo, cum Sacramentum Confirmationis perficiatur in usu materiæ, constat quod illa verba, quæ dicit Episcopus confirmans sunt forma Sacramenti, & habent efficaciam sicut & aliæ formæ Sacramentorum* operandi effectum Confirmationis.

XXII. Silere jam, & quas contra formam Confirmationis paraverant importunas cavillationes suspendere Novatores possunt: Opponat Kemnitius in Examine Concilii Tridentini hæc verba: *signo te &c.* non modo ab Apostolis non fuisse usurpata, sed neque in vetustis Scriptoribus, neque in canonibus expressa inveniri, *sed eam formam fabricatam, imò adulteratam fuisse a Posteris ex Ambrosii sententia: De his qui initiantur.* Oscitanter petat Calvinus lib. 4. Instit. c. 19. §. 5. *ubi Dei verbum est quod per hanc Confirmationis formam*, consigno te &c. *Spiritus Sancti præsentiam promittat, &* Victoris instar præda capta exultantis respondeat, quod Catholici ne Jota quidem ostendere possunt; & rursus insultet. *Unde ergo nos certiores facient Chrisma suum esse Vas Spiritus S. Videmus oleum crassum scilicet, & pinguem liquorem, præterea nihil. Accedat, inquit Augustinus, verbum ad elementum, & fiat Sacramentum. Hoc inquam verbum proferant, si quicquam nos intueri in oleo volent, quam oleum. Addat* §. 7. *Unde vocant oleum salutis, qui eos in*

oleo

oleo salutem quærere docuit? Hoc vero non a me, sed a Domino audacter pronuncio, qui oleum vocant Oleum salutis, salutem, quæ in Christo est abjurant, Christum abnegant, partem in Regno Dei non habent. Oleum ventri, & venter oleo, utrumque Dominus destruet. Postremo Dallæus, ceterorum omnium, qui a nobis despiciuntur unicus ipse fingat insomnia. & repetat quod *nihil in omnibus Scripturis Divinis extat simile verbis istis conceptis*: Consigno te signo Crucis &c. *Sed etiam ab Evangelii majestate, gravitate, atque genio tantum distant, quantum Cœlum a Terra abest, neque ipsos, qui hac dicunt, atque defendunt, revera sic a Christo institutam formam, præceptumque fuisse putant*; Quod cum Novatores omnes in eundem sensum convenerint, eosdem pudebit fateri se aerem verberasse, supponunt enim id, quod omnes Catholici negant, pertinere ad fidei Dogma hanc formam Confirmationis *signo te signo Crucis*, cum revera ad fidem non pertineat; imò neque in illa inveniant veram rationem formæ Theologi præstantissimi, quorum nomina, & opinionem N. XVII. XVIII. XIX. complexi sumus. Oportebat quod Sectarii, impugnassent Orationem, in qua laudati Theologi cognoscunt sitam esse veram formam Confirmationis, quod profecto fecissent, nisi testimonia Scripturarum ipsa luce clariora, id prohibuissent. Verum nec defuit inter Reformatos, qui contra hanc Orationem scripserit. Spalatensis itaque postquam scripsisset Scripturam nihil habere, sive certum, & definitum, quibus verbis sit utendum, vel usi sint Apostoli in danda Confirmatione, sive incertum, & indefinitum, puta orandum esse, vel benedicendum, addidit: *Orationem non posse esse formam Sacramenti, quia oratio impetrat gratiam ex opere, quod ajunt, operantis, & formæ Sacramentorum eam conferunt ex opere operato*. Quod si verum est de Oratione, quæ fit a Ministro Sacramentorum, ut persona privata, certe non est verum de illa Oratione, quæ fit a Ministro in persona Ecclesiæ, quæ a Scripturis, *Oratio fidei* appellatur, de qua Iacobi c. 5. scribitur, quod *alleviabit infirmum, & si in peccatis fuerit, remittentur ei*. Quæ alleviatio, & peccatorum remissio si sunt veri effectus Sacramenti Extremæ Unctionis, qui resultant ex opere operato, & tamen dicuntur effectus Orationis; ita non repugnat, quod etiam in hoc Sacramento sit Oratio in forma deprecatoria, & producat effectum, quem illa verba producerent, si modo indicativo proferrentur, ut illum produxerunt per integra IX. sæcula, quibus inaudita fuit hæc recenter instituta formula: *Signo te &c.* Peto nunc a Calvino ut ostendat ex quibus locis Sacræ Scripturæ repetat formam Ordinationis Ministrorum, quam *l. c. cap.* 19. §. 31. fatetur esse Sacramentum? Profecto verbum in Scriptura non inveniet, quod cum elemento faciat Sacramentum. Quis vero patiatur hominem audacissimum Divinum responsum fingere, & se ex Dei nomine loqui, & mendacia mendaciis inserere, & nobis terriculamentum proponere! *Nos abjurare salutem ait, quia oleum, quod est Sacrum Chrisma, oleum salutis vocamus*. Ipse abjuravit, qui Confirmationem a numero Sacramentorum, quæ a Christo instituta sunt expunxit. Nos non in hoc oleo salutem quærimus, sed dicimus id, quod dicebat Cyrillus, *quod postquam consecratum est, est Chrisma, quod Christi & Spiritus S. Divinitatis ejus præsentiam efficit, quo frons & alii sensus corporis nostri Symbolice inunguntur, & corpus quidem isto visibili unguento perungitur, anima vero Sancto, vivificoque Spiritu sanctificatur*, unde patet Oleum hoc esse instrumentum, quo quis esse *unctus Dei* (ut ait D.

D. Cyprianus in Epistola 70. suo, & Concilii Carthaginensis nomine ad Januarium, aliosque Numidas Episcopos de baptizandis hæreticis data) *& habere in se gratiam possit*. *Oleum* inquit Optatus Milevitanus lib. 7. adversus Donatistas *per se simplex est, & nomen suum unum, & proprium habet; confectum jam, Chrisma vocatur, in quo est suavitas, quæ cutem conscientiæ mollit exclusa duritie peccatorum, quæ animam innovat lenem, quæ sedem Spiritui S. parat, ut invitatus illic, asperitate fugata libenter inhabitare dignetur*. Necesse igitur est, quod & injurius in Sanctos Ecclesiæ Patres prodeat Calvinus, & mendax, & in Sacris litteris pene rudis; quod si noluerit, fateri cogitur has esse consuetas loquendi formulas Scripturarum *sagittam salutis*, *verbum salutis*, *scientiam salutis*, *dies salutis*, quas in 4. Regum 13. Actuum 13. Lucæ 1. in 2. ad Cor 6. aliisque in locis legimus, & nihil aliud a nobis intelligi, cum Oleum Confirmationis *Oleum salutis dicimus* præter illud idem, quod ipse Calvinus intellexit de Aqua Baptismi, quæ ad Titum 3. dicitur *Lavacrum regenerationis*, & de pane Eucharistico, qui Joannis 6. *panis vitæ* vocatur; scilicet non naturam elementarem Olei salutem adferre, sed divinam invocationem Spiritus Sancti ad robur, quo instructi hostibus fidei tum internis cum externis intrepide obsistamus.

CAPUT III.

DE MINISTRO HUIUS SACRAMENTI.

Mirum est, quod cum negaverint Hæretici Sacramentum Confirmationis, inquirant postea ejusdem Sacramenti Ministrum, sed contentionis amor, & livor in Sacros Ecclesiarum Præsules illos urget, ut dum patet aditus, illorum honori, & amplissimæ auctoritati detrahant, & nihil amplius illis concedant, quam quod Presbyterorum universitati conceditur. Calvinus itaque in suis Institutionibus hæc scribit. *Si quis ab illis* (scilicet Catholicis) *sciscitetur unde tanta prerogativa Episcopis delata fuerit; quam rationem afferent præter suam libidinem?* Præiverat Lutherus in suo libro de captivitate Babylonica, præiverunt Wiclefistæ, & Hussitæ, sed ante illos Valdenses, qui ut Reinerus inquit, *mirabantur quare solis Episcopis liceat confirmare*, sed omnium antesignanus unus memoratur Photius PseudoPatriarcha Constantinopolitanus, qui Epistola secunda Encyclica ad Orientis Patriarchas data, postquam postulasset Latinos Episcopos in Bulgariam a Romano Pontifice missos, cur Chrismate a Presbyteris Græcis iterata Chrismatione consignarent, ita pergit: *Porro sapiens, & egregium eorum responsum, qui revera sunt Sacrorum mysteriorum immunes hoc est: Non enim inquiunt licet Sacerdotibus eos, qui sacro baptismate initiantur unguento sanctificare, solis enim Pontificibus hoc lege datum est. Unde hæc lex? quis auctor? Quis Apostolorum? an Patrum? an ex Synodis aliqua? sed ubi, & quando habita? & quorumnam confirmata sententiis? Non licet Sacerdoti eos qui baptizantur consignare: igitur neque omnino baptizare, neque sacra facere, &c* Hæc sunt quæ abrepti partium studio Novatores, hæretici, & schismatici sentiunt de vero, & proprio Confirmationis Ministro; & ut res ipsa per se se loquitur argumentis positivis destituuntur, nam vel contume-
liis

liis, & irrisionibus nos provocant, quod Calvinus & Lutherus faciunt, vel negativum argumentum obtrudunt, quod omnium infirmissimum est, nec quidquam valet in hac controversia ad faciendam fidem. Sit igitur

§. I. *Chrismatio confirmatoria in Ecclesia Latina confertur a solo Episcopo, ut Ordinario Ministro, & hoc munus nulli convenit Presbyterorum.*

II. Pro intelligentia hujus Propositionis notandum est Episcopos per consecrationem Episcopalem recipere a Christo immediate novam Ordinis potestatem indelebilem, secundum quam sunt superiores Presbyteris, & quædam Ordinis ministeria exercere possunt, quæ Presbyteris omnino denegantur. *Episcopos* inquit Concilium Tridentinum Sess. xxiii. de Sacramento Ordinis cap. 4. *qui in Apostolorum locum successerunt, Presbyteris superiores esse, ac Sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent.* Hæc vero omnia ministeria Episcopis ratione Ordinis reservata, non ita ab ipso Christo fuerunt distincta, sed multa determinationi Ecclesiæ reliquit, ex cuius institutione, & more reservatio hæc, & distinctio habuit exordium: sed reservatis jam Episcopis per Apostolos illis ministeriis, quæ eorumdem statui congruebant, prout illa Christus instituerat, ut generaliter sunt Consecrationes omnes ad rerum sacrarum perfectionem institutæ, non amplius inferioribus aliis Ministris eorum aliquid peragere concessum est sine specialissimo gratiæ privilegio, quod casus aliquis particularis, & ex gravissimis, & necessitate cogente valuit impetrare. Igitur ex his ministeriis usu Ecclesiæ, & institutione Apostolorum, primum præcipumque Episcopis reservatum est Sacramentum Confirmationis. *Dixi ex institutione Apostolorum*: nihil enim aliud nos docent eorumdem Acta, & solemnis illa missio Petri & Joannis, ut per manuum impositionem Spiritum S. conferrent Samaritanis a Philippo baptizatis. *Dixi ex usu Ecclesiæ* ab ipsius enim exordio nihil unquam aliud aut creditum, aut traditum est, quam solos Episcopos debere manus imponere. Cypriani auctoritatem jam supra retuli C. II. N. v. D. Hieronymum affero contra Luciferianos ita loquentem. *Non abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longe in minoribus Urbibus per Presbyteros, vel Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem S. Spiritus manum impositurus excurrat.* Occurit etiam Chrysostomus qui homil. 18. in Acta hæc scribit. *Videtur mihi hic Philippus unus e VII. fuisse secundus a Stephano, ideo & baptizans Spiritum baptizatis non dabat, non enim potestatem habebat, hoc quippe donum solorum duodecim erat*: & infra. *Potestatem quidem acceperant* [inferiores ministri] *faciendi signa, non tamen Spiritum aliis dandi Hoc igitur in Apostolis erat singulare. Quare Ecclesiæ Coryphæos, nec ullos alios videre est hoc facientes.* Idem legitur in Epistola 3. Eusebii Papæ ad Episcopos Tusciæ & Campaniæ: *manus impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi a summis Sacerdotibus, nec tempore Apostolorum ab aliis quam ab ipsis Apostolis legitur, aut scitur peractum esse, nec ab aliis, quam qui eorum locum tenent unquam perfici potest, aut fieri debet, nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur, & vacuum, nec inter Ecclesiastica unquam reputabitur Sacramenta.* His concinit Canon 30. Isaaci Lingonen. Episcopi titulo 11. *si quis non ab Epis-*

Episcopo, sed a Chorepiscopo, qui non est Episcopus, sed vicarius Episcopi priusquam prohibiti essent fuerit Confirmatus, reiterari aliis benedictionibus debet. Chorepyscopis id vetavit Concilium Parisiense VI. anni 829. part. 1. c. 27. & Meldense anni 845. Canone 44. & ante illa Concilium Hispalense 2. cap. 7. Probatum igitur est potestatem Conferendi Sacramentum Confirmationis solis Apostolorum successoribus, idest Episcopis datam esse, eademque hos solos tanquam Ordinarios Ministros semper in Ecclesia usos esse.

III. Nec Eliberitanos Patres imminens deterruit Periturorum Infantium periculum sine Chrismatis inunctione ob Prælatorum absentiam. Apud illos enim Ecclesiæ prævaluit, quodque Sacerdotalis Apicis, ut plura conclamarunt Concilia, munus est, honorisque argumentum, alteri tribuendum esse non censuerunt: *si quis Diaconus*, inquiunt in Canone 77. *regens plebem sine Episcopo, vel Presbytero aliquos baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit. Quod si ante de sæculo decesserit, sub fide qua quis credidit, poterit esse justus.* Hoc munus sibi arrogaverant Eugubinæ Ecclesiæ Presbyteri illam unctionem, quam vertici baptizatorum adhiberi solemne fuerat, ad frontem extendentes; Abusus idem, & Corruptela invaluerat apud Sardos, quorum Presbyteri, ubi deerat Episcopus, baptizatos Chrismate in fronte inungebant. Sed Sanctissimi Pontifices, primus Innocentius, & Magnus Gregorius alterutros emendarunt; ille ad Decentium scribens, hic ad Joannem Episcopum Calaritanum: *solis Episcopis deberi, ut vel consignent, vel Paraclitum Spiritum tradant, vel ut baptizato infantes postmodum tangant in fronte, idque ex more Apostolorum, ex Romanæ Ecclesiæ institutionibus, contra quas errant qui novitates inducunt, aut alterius Ecclesiæ quam Romanæ consuetudinem proprio facto probant esse servandam*. Plurima alia ex Pontificibus, & SS. Patribus testimonia non repeto, cum in superiori capite legi possint. Verum pro cunctis addo Eugenii IV. Decretum de Sacramentis §. 2. *Ordinarius minister est Episcopus, ut cum ceteras unctiones simplex Sacerdos valet exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre. quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent Episcopi, quod per manus impositionem Spiritum S. traderent*; Et ita ex institutione Divina explicatâ per Apostolos, & usu Ecclesiæ, Episcopi Ordinarii Ministri sunt Sacramenti Confirmationis. *In quolibet opere* inquit D. Thomas loco. c. q. 72. a. 11. *ultima consumatio supremæ arti, aut virtuti reservatur. Fideles autem Christi sunt quoddam Divinum opus secundum illud* 1. Cor. 3. *Dei ædificatio estis. Hoc autem Confirmationis Sacramentum est quasi ultima consumatio Sacramenti Baptismi, & ideo collatio huius Sacramenti Episcopis reservatur qui obtinent summam potestatem in Ecclesia; sicut & in primitiva Ecclesia per impositionem manus Apostolorum, quorum vicem gerunt Episcopi plenitudo Spiritus S. dabatur, ut habetur Actorum 8. Unde Urbanus Papa dicit epistola* 1. & *in Decretis distinct.* 5. *de Consecr. cap.* 1. *Omnes Fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum S. post Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur*: Et Innocentius III. ad Lucium Vicarium suum scribens: *mandamus*, inquit, *quatenus omnibus Latinis Presbyteris apud Constantinopolim constitutis districte prohibeas, ne talia de cetero sua temeritate præsumant*, & Clemens VIII. Græcos Presbyteros in Latina Ecclesia degentes, & Latinis Episcopis subditos: *nefas esse*, ait, *Sacramentum Confirmationis administrare*, quod tamen munus non denegarunt Regensis Concilii PP. Armentario Ebredun. Episcopo, licet ob illegitimam ordinationem deposito.

IV. At Ananiam, inquies non Episcopum, sed Diaconum manus imposuisse Saulo Acta Apostolorum testantur c. 9. Presbyterum manum imposuisse Timotheo asseruit Paulus in 1. Epist. ad Timot. c. 4. *Noli contemnere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum Presbyteri. Spirituale signaculum, & septiformem Spiritum S. dari ad invocationem Sacerdotis* D. Ignatius epist. 13. & D. Ambrosius lib. 3. de Sacram. c. 2. dixerunt. Præterea *nonne Episcopos eosdem esse ac Presbyteros Apostolica firmat Auctoritas*? id pluribus argumentis probat Hieronymus in epistola 84. ad Evagrium, & ad Rusticum Episcopum Narbonensem. & *sola consuetudine* Episcopos præesse Presbyteris docet ad caput 1. Epistolæ ad Titum. *Sicut Presbyteri sciunt ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit esse subjectos; ita Episcopi noverint se magis consuetudine, quam Dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris esse majores, & in commune debere Ecclesiam regere*. Ab eadem consuetudine introductum fuisse, ut Episcopi Sacramentum Confirmationis conferrent, tum indicavit Gregorius in nuper laudata Epistola ad Januarium his verbis: *Presbyteros tangere in fronte eos, qui baptizati sunt, prohibemus. Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ facimus*: tum Dionysius in Ecclesiastica Hierarchia c. 7.

V. Singula hæc, aut his similia sunt momenta illa, quæ adversari videntur specialibus Episcopalis præeminentiæ muneribus, verum multo certe minora ex positis iam fundamentis, quæ singularia Episcoporum jura tuentur. Oportet non intelligere Scripturas, si manuum impositionem, per quam Saulus visum recepit potius quam Curatoriam, ut illam agnovit Basilius de Confirm. c. 6. p. 4. Confirmatoriam dixerimus cum Calvino, ut inferat contra Catholicos Episcopum non esse Confirmationis Ministrum: *Imponens Ananias* ita legitur in citato c. 9. Actuum, *ei manus, confestim ceciderunt ab oculis eius tamquam squammæ, & visum recepit, & surgens baptizatus est*. Comparet Calvinista singulas illas formulas locutionis Scripturæ, in quibus agitur de manuum impositione. Actuum 8. Petrus & Ioannes manus imponebant super baptizatos a Philippo, & accipiebant Spiritum S. Actuum 19. super duodecim baptizatos Ephesi cum imposuisset manus Paulus venit Spiritus S. super eos. Actuum 9. imponit Ananias manus Saulo, & confestim visum recepit. Legitimam probat responsionem utriusque effectus disparitas. Quia vero Saulus surgens baptizatus est, cum hoc Baptismo præfatus est Ananias fore, ut Saulus a Deo reciperet Spiritum S. quamvis ordinaria lege cum Baptismo non detur, ut neque nunc datur gratia Sacramentalis, quam dat Confirmatio per manuum impositionem Episcopi. Sed, quid ergo si tunc præter gratiam Baptismi, Deus speciali favore contulit cum Baptismo effectum Sacramenti Confirmationis, seu Spiritus S. gratiam illam, quæ est ad fortiter certandum pro fide? Quid enim vetat a Deo conferri immediate effectum alicujus Sacramenti absque ipso Sacramento? Actuum 2. datus est Spiritus S. & gratia Confirmationis Apostolis sine hoc Sacramento. Testimonium ex Epistola ad Timotheum petitum non agit de manus impositione confirmatoria, sed de Ordinatoria, unde in correctis Codicibus legitur *per impositionem manuum Presbyterii*, ut probat Hallierius de sacris Electionibus in principio, a quo alii non dissentiunt.

VI. Nullus vero suspicari debet ex recitatis Ignatii, & Ambrosii verbis simplicibus Sacerdotibus illos concessisse munus Episcoporum; Vox Sacerdos non

non infrequenter ab Auctoribus Ecclesiasticis usurpatur pro Episcopo, ut Auctor est Sidonius lib. 9. epistola 3. ubi de Fausto Lirinensi Abbate Episcopo creato: *Nihil, ait, ab Abbate mutatus est per Sacerdotem. De Presbytero* igitur, scribit D. Thomas 2. 2. q. 184. a. 6. ad 1. *& Episcopo dupliciter loqui possumus. Uno modo quantum ad nomen, & sic olim non distinguebantur Episcopi, & Presbyteri; nam Episcopi dicuntur ex eo, quod superintendunt, sicut dicit Augustinus 19. de Civit. Dei. Presbyteri autem in Græco dicuntur quasi Seniores. Unde & Apostolus communiter utitur nomine Presbyterorum quantum ad utrosque cum dicit* 1. ad Timot. 5. *Qui bene præsunt Presbyteri duplici honore digni habeantur, & similiter etiam nomine Episcoporum Unde dicit Actor. 20. Presbyteris Ephesinæ Ecclesiæ loquens: Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, sed secundum rem semper fuit inter eos distinctio, etiam tempore Apostolorum, ut patet per Dionysium cap. 5. Eccles. Hierarch. & Lucæ 10. super illud: Post hæc autem designavit Dominus &c.* Dicit glossa *sicut in Apostolis forma est Episcoporum, sic & in* LXXII. *Discipulis forma est Presbyterorum secundi ordinis. Postmodum tamen ad Schisma vitandam necessarium fuit, ut etiam nomina distinguerentur, ut scilicet majores dicerentur Episcopi, minores autem Presbyteri.* Dicere autem Episcopos non differre a Presbyteris inter dogmata hæretica numerat Augustinus in lib. de hæres. ubi notat quod Ariani dicebant Presbyterum ab Episcopo nulla differentia debere discerni. Manifestum est igitur, non nisi oscitanter dictum esse in primitiva Ecclesia in collatione Sacramentorum, nullum fuisse discrimen inter Episcopos, & simplices Sacerdotes, & consequenter summam potestatem Ordinis esse potestatem Sacerdotalem; ita ut omnis Sacerdos ex vi potestatis Sacerdotalis possit omnia Sacramenta ministrare, & inter cetera Confirmationem, & reliquas Consecrationes, quod temerarium est dicere. Profecto Apostoli gradu, potestate, & ordine fuerunt a Christo instituti majores, & superiores Discipulis. Patet id ex illorum electione, quæ describitur Matth. 10. Patet ex Electione Matthiæ, qui erat unus ex LXXII. Actorum 1. Patet ex Electione Pauli, & Barnabæ Actor 13. quare Spiritus S. dixisset *segregate mihi Paulum, & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos*, si idem Status, & Ministerium fuisset Apostolorum, & Discipulorum? Assumpti sunt Episcopi, consecrati sunt, imponentesque eis manus dimiserunt eos. Ergo Gradus, Ordinis, & Potestatis inter illos differentia fuit, licet aliqua ministeria Ordinis, & Jurisdictionis omnibus essent communia, ut Cura animarum. Prætoris nomen commune erat apud Romanos omnibus Magistratibus, Potestas tamen omnium æqualis non erat.

VII. Numquam certe assentiar opinioni Michaelis a Medina, ut difficultatem eludam, quam augent verba Hieronymi ad Evagrium scribentis: *Quemdam audio in tantam erupisse vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, id est Episcopis, anteferret.* Nam cum Apostolus præcipue doceat eosdem esse Presbyteros quos Episcopos &c. Non veritus est citatus Auctor in Tractatu de Pœnitentia libro 1. capite 1. asserere in Arii errorem incidisse Sanctum Doctorem. Verum Divi Hieronymi mentem non est assecutus, nam illis verbis non intellexit Hieronymus Presbyteros nomine, & dignitate eosdem esse cum Episcopis, sed nomine tenus, scilicet Presbyteri, & Episcopi nomina, secundi etiam ordinis Sacerdotibus communia fuisse, adeoque Apostolum Episcoporum nomine simplices intellexisse Presbyteros, non vero illos,

 qui-

quibus proprium postea factum est Episcoporum nomen. Illorum plures uni Ecclesiæ inserviebant, istorum unus præerat. Hanc interpretationem convenire auctoritati D. Hieronymi ex illius verbis, & mente deducitur. Propositum illi fuerat Cujusdam Diaconi audaciam reprimere, qui se Presbyteris exæquabat, imò se anteferebat, propterea ostendit Episcopos de quibus loquitur Apostolus fuisse secundi Ordinis Sacerdotes, illis similes qui suo tempore Presbyteri vocabantur, quos turpe erat infra Diaconos deprimere, ut turpe fuisset illis Presbyteris, quos Apostolus Episcopos vocabat, Diaconos anteponere. Hæc sunt verba S. Doctoris: *Audio quemdam in tantam erupisse vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, idest Episcopis anteferret: Nam cum Apostolus perspicue doceat eosdem esse Presbyteros, quos & Episcopos, quis patiatur mensarum, & viduarum Minister, ut supra eos se tumidus efferat ad quorum preces Christi corpus, Sanguisque conficitur: Queris Auctoritatem? Audi testimonium. Paulus, & Timotheus Servus Jesu Christi omnibus Sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis cum Episcopis, & Diaconibus: Vis & aliud Exemplum? In Actibus Apostolorum ad unius Ecclesiæ Sacerdotes ita Paulus loquitur: attendite vobis, & cuncto gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos ut regeretis Ecclesiam Domini, quam acquisivit sanguine suo &c.* Et post relata alia testimonia ex Epistola ad Titum c. 1. ex 1. Petri c. 5. ex 2. & 3. Epistola S. Joannis cap. 1. statim addit. *Quod autem postea unus electus est, qui ceteris præponeretur in Schismatis remedium factum est ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet: Nam, & Alexandriæ a Marco Evangelista usque ad Heraclam, & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant &c.* Ex hoc contextu verborum quis est, qui non videat quod S. Hieronymus dum suam Sententiam explicat, opportune distinguit Presbyteros ab Episcopis. Hæc Sententia legitur in illis verbis: *ad unius Ecclesiæ Sacerdotes*, & ex his postremis: *Presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant*. Hoc ipso quod Hieronymus vocat Sacerdotes, significat eosdem fuisse tempore Apostolorum Episcopos, quos & Presbyteros appellabant, propterea Apostolum indifferenter de Episcopis quasi de Presbyteris esse locutum, & ita scribit in Commentario cap. 1. Epistolæ ad Titum post illa verba: *& certe in una Civitate plures (ut nuncupantur) Episcopi esse non poterant*. Hoc ipso vero, quod memorat gradum excelsiorem, & nomen gradui conveniens, profecto a D. Hieronymo ponitur excellentiæ quidam primatus per quem electi ordine, & dignitate Presbyteris ceteris excellentiores dominabantur ipsis, & Ecclesiis præponebantur, ut ad ipsos omnis Ecclesiæ cura relinqueret, & non amplius incommune, cum secundi Ordinis Sacerdotibus Ecclesiam regerent, quod primo tempore fecerant, imitantes, ut ipse S. Doctor advertit loco nuper citato, Moysen, qui cum haberet in potestate solus præesse Populo Israel, Septuaginta elegit, cum quibus Populum judicaret, ut tollerentur Schismata, quæ sub hoc Præsbyterorum regimine orta erant in rerum Ecclesiasticarum administratione, præcipue vero in cura Gregis illis commissa per absentiam Apostolorum, vel illorum, qui jam ab Apostolis Episcopi Ordinati, alio laborabant in Ministerio Evangelii, ut alias fundarent, & administrarent Ecclesias. Verum huius loci non est hæc controversia, sufficit tamen advertere Blondellum hallucinari cum D. Hyeronimum in suam opinionem trahit nam in citata Epistola, Episcopos successorès Apostolorum dicit; & ut relatas traditiones Apostolicas sum-

sumptas de veteri Testamento, quod Aaron, & Filii ejus atque Levitæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vindicent in Ecclesia. Quis vero parem dixerit fuisse potestatem, & Aaronis, & Filiorum ejus? Ille qui Sacerdos Maximus, sive Pontifex fuit, isti qui fuerunt tantum Sacerdotes? Ita quomodo Blondellus urgere potest, D. Hieronymum voluisse Episcopos Presbyteris pares reddere? Et quod pertinet ad rem nostram. Si Spiritum S. nisi per manuum Episcopalium impositionem non dari agnoscit S. Hieronymus, atque hanc observantiam ex ea auctoritate descendere, quod Spiritus S. ad Apostolos descendit, & propterea in citato Dialogo contra Luciferianos administrandæ Confirmationis Auctoritatem Episcopis, non Presbyteris, velut ordinariis Ministris divinitus datam sensit, etiam ex hoc Ministerio bene colligitur S. Doctorem Episcopos Presbyteris superiores agnovisse.

VIII. Frustra vero commemoratur testimonium ejusdem Hieronymi ad Rusticum Narbonensem Episcopum ex libro de VII. gradibus Ecclesiæ, cum hic liber opus Hieronymi non sit, sed Auctoris Anonimi, licet relatus inter Opera S. Doctoris Tomo 4. Verum quid inde? Nam ex his quæ diximus de Sententia S. Hieronymi, facile paratur solutio auctoritati hujus Scriptoris, qui probat Presbyterum ab Apostolo Episcopum dici, & in Presbytero summam Sacerdotii collocari, & in necessitate Presbyteros Chrisma posse conficere. Non fit ergo melior Novatorum Sententia, e contra Catholicorum opinio eo robustior exsurgit, quo fortioribus argumentis ab illis ipsis probatur, quos aliquando habuimus Adversarios. Ita scribit Anonimus Auctor, *Septimus Episcopalis Ordo est, & in Christo donatur, ex quo processus omnium gloriarum, & plenitudo est Virtutum. Ipse enim ordinat Sacerdotes, ipse Levitas, ipse Subdiaconos .... Ad hunc pertinet Chrisma, quia ipse Christus Christorum est, Sanctus Sanctorum, & Episcopus animarum.... Quod in Clericis consecratum esse perdidicisti, Episcopum solum habere manifestum est. In illis esse partes, & membra virtutum, in Episcopo plenitudinem Divinitatis habitare corporaliter.*

IX. Facile est modo respondere argumento quod Ecclesiæ consuetudini attribuit, ut Presbyteri Episcopis subiiciantur, & Episcopi majores Presbyteris cognoscantur non vero Divinæ dispositioni, hoc ipso quod distinguimus munera, quæ propria sunt Episcoporum ab illis, quæ Episcopis, & Presbyteris solent esse communia, nam solum de his loquebatur Hieronymus in 1. caput Epistolæ ad Titum, ex quo recitata in argumento verba petuntur. Externa Ecclesiæ, & rerum eius administratione non ea fuit ab initio, quæ insecutis temporibus adparuit Episcoporum supra Presbyteros eminentia, tunc enim communi Presbyterorum consilio res Ecclesiæ administrabantur, nihilque nisi consentientibus omnibus decernebatur. Episcopi & Presbyteri audiebantur, & ex communi totius Ecclesiastici Senatus Sententia, Ecclesiæ regendæ, & juris dicendi in Sacra Republica munus exercebatur. Huius gubernii normam Episcopi ipsi instituerunt, qui quos Levitas & Sacerdotes assumpserunt, in ministerii sollicitudinem appellarunt, Christi servatoris exemplo, qui præter Apostolos *designavit & alios septuaginta duos Discipulos & misit eos in omnem Civitatem, & locum quo erat ipse venturus*. Explicatum igitur est quomodo seniores, seu Presbyteri [hoc enim nomine vocabantur tam simplices Sacerdotes, quam Episcopi] Fidelium curæ invigilarent, & communi consilio Ecclesias regerent in iis quæ disciplinam, & exsternum Sacræ Politiæ ordinem spectabant. Exortis inde schismatibus, qualia olim fuerunt apud Corinthios

thios ita ut unusquisque eos quos baptizaverat suos putaret esse, non Christi & postquam in populis auditum est *ego sum Pauli. Ego Apollo. Ego autem Cephæ*; tunc toto Orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, quo facto, ubi prius Episcopi præerant Presbyteris in solis muneribus Episcopalibus, tunc præesse cœperunt Episcopi in omnibus, & facti sunt, etiam quoad hæc obsequia, ipsis Presbyteris majores. Quid quæso hic invenit Novator, ut suam teneat, & nostram Sententiam corrigat?

X. Non ita vero intelligendus est Sanctus Pontifex Gregorius cum veterem usum Romanæ Ecclesiæ opponit, ne baptizatos Presbyteri ungant in fronte. Non accipit S. Pontifex usum pro consuetudine, sive pro jure quodam introducto in Romana Ecclesia per defectum Legis præscribentis pertinere ad Episcopos ungere in fronte. Accipit usum pro ipsa Lege, cujus fundamentum in Traditione positum, solos Episcopos esse Ordinarios Ministros Confirmationis decernebat, quem usum, dum laudat Gregorius in Ecclesia Romana, cognoverat jam in ceteris omnibus Occidentis Ecclesiis invaluisse, quæ, ut a Romana Fidem, & Sacramenta, ita eorumdem administrandorum morem acceperant, de quo more, dum loquitur etiam Dionysius Areopagita (non certe Auctor VI. Sæculi, ut male scribit Dallæus) ita illum accipit, non pro ut opponitur alicui Legi, quæ contrarium decerneret, sed ut doceat se nescire, quod alii, præter Apostolos, & Pontifices divinitus Sacrato Oleo hominem consignaverint.

XI. Nec respondere juvat per Concilium Hispalense secundum declarari pertinere ad novum Ecclesiæ morem, quod soli Episcopi Chrismate baptizatorum frontem signent, quod aliqui inferunt ex hisce verbis Concilii: *Novellis, & Ecclesiasticis regulis prohibitum est simplicibus Sacerdotibus Paraclitum Spiritum tradere fidelibus baptizatis per impositionem manuum, & Chrismate baptizatorum frontem signare*. Nam ut quis hæc post citera verba Concilii probe intelligat, opus est, ut illius animus per priora instruatur: *Relatum est Patribus Hispalensis Concilii Agapium Cordubensem Episcopum frequenter Chorepiscopos, vel Presbyteros destinasse (qui tamen juxta canones unum sunt) qui, absente Pontifice Altaria erigerent, Basilicas consecrarent. Ne ultra talis licentia usurparetur communi Sententia Patres decreverunt, scientes, quia sicut Presbytero vel Chorepiscopo illicita consecratio est Altaris, ita & constitutio. In Divinis enim litteris præcipiente Domino solus Moyses in Tabernaculo erexit Altare, solus ipse unxit, quia summus Dei Sacerdos erat, sicut scriptum est de eo, Moyses, & Aaron in Sacerdotibus ejus. Ideoque id quod tantum facere Principibus Sacerdotum jussum est, quorum typum Moyses*, & *Aaron tenuerut, Presbyteri, qui Filiorum Aaron gestant figuram arripere non præsumant. Nam quamvis cum Episcopis plurima illis mysteriorum communis sit dispensatio, quædam tamen auctoritate veteris Legis, quædam Novellis, & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint, sicut Presbyterorum, & Diaconorum, ac Virginum consecratio, Constitucio Altaris, benedictio vel unctio; siquidem nec licet eis benedicere Ecclesiam, vel Altaria consecrare, nec impositionem manus Fidelibus Baptizandis, vel conversis ex hæresi Spiritum S. tradere, nec Chrisma conficere, nec Chrismate baptizatorum frontem signare, sed nec publice quidem in Missa quemquam pœnitentem reconciliare, nec formatas cuilibet Epistolas mittere*. &c Quæ

omnia

omnia eis a sede Apostolica prohibita esse noscuntur. Post recitatum canonem septimum Concilii Hispalensis, nullus dubito, mutilata ab adversariis verba interpretabitur illorum opinionem secutus. Quilibet jam intelligit *Novellarum regularum* nomina, Novum Testamentum indicare, ut integra sit comparatio, & tota series illarum rerum, quæ ab utroque Testamento per inferiores Ministros fieri prohibebantur. Ideo vero connectuntur Ecclesiasticæ regulæ, quia sicuti per Legem Tabularum firmantur, & perficiuntur naturalia præcepta; sic per Ecclesiasticas Leges Divina perficitur, & vera firmatur auctoritas

§. II. *Si non proprio Jure, tamen conivente Rom. Ecclesia possunt Presbyteri Chrismationem Confirmatoriam conferre præsupposita rationabili causa*

XII. Episcopum Ordinarium esse Confirmationis Ministrum omni argumentorum genere demonstravimus, si modo addatur Canon 3. sessionis VII. Concilii Tridentini quo decernitur: *quod si quis dixerit Sanctæ Confirmationis Ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem Anathema sit* concludendum erit oportere esse hæreticum qui contrarium definitioni Ecclesiæ pertinaciter tueri præsumpserit. Extiterunt tamen aliqui Sacerdotes, qui hoc Sacramentum administrarunt, de quibus loquitur Ambrosiaster in cap. 4. Epistolæ ad Ephesios: *Apud Ægyptios Presbiteri consignant si præsens non sit Episcopus*, quem locum citat Rabanus sub nomine S. Ambrosii in Responsis Canonicis ad Reginaldum Chorepiscopum n. 6. De eisdem loquitur etiam D. Augustinus q. 101. utriusque testamenti. Apud Græcos ab omni Ævo simplices Sacerdotes baptizatos confirmarunt. Quare Latinos insimulavit præcipuus Grecorum Schismatis auctor Photius, quod chrismate inunctos per Sacerdotes, denuo Chrismate inungere non exhorruerunt, cum se Episcopos prædicarent, & Presbyterorum Chrisme inutile quoddam, ac frustra factum comminiscerentur. Apud Presbiteros Hispaniarum eundem morem fuisse constat ex supra laudato c. 7. Concilii Hispalen. secundi, eundem viguisse apud Gallos, non obscure innuit canon 1. Concilii 1. Arausicani, & 16. Epaonensis, quos Canones Petrus de Marca in notis ad Concilium Claromontanum de Confirmatione interpretatur, & demum Jacobus de Vitriaco lib. 1. Histor. Jerosol. c. 74. testatur Syros ex Ecclesiæ Græcæ disciplina consuevisse permittere, quod Parvuli eorum, statim post Baptismum, a simplicibus Sacerdotibus in frontibus Chrismate consignarentur. Hæc, & his similia exempla nos movent, ut secundo dicamus *Chrismationem Confirmatoriam in laudatis Ecclesiis collatam fuisse a Presbyteris, ut a Ministris extraordinariis*, qui non proprio jure, sed conivente Romana Ecclesia, sacrum illud exercuerunt Ministerium, & propterea, non ita solis Episcopis Latinam Ecclesiam munus hoc arrogare, ut Presbyteris illud concedi posse neget, presupposita rationabili, & urgentissima causa.

XIII. De veritate hujus propositionis dubitatum est ab aliquibus Theologis & inter ceteros Adrianus in 4. distinct. 7. de Confirmatione q. ultima. Maure in examine Theolog. part 3. c. 2. §. 3. Petrus Suavis in Concilii Trident. Histor. lib. 2. p. 279. negant ex delegatione summi Pontificis posse Presbyterum simplicem hoc Sacramentum conferre; hoc fundamento, quod ea, quæ Episcopo conveniunt ratione Ordinis, aliis delegari non possunt, ut Gregorius IX. Aloriacensi Episcopo respondit in capite *aqua* de Consecratione Ecclesiæ.

XIV.

XIV. Non auderem dicire id, quod Farvecquius asseruit in c. 4. q. 4. Sacramenti Confirmationis §. 1. 3. & 4. q. 5. scilicet seposita reservatione posse etiam in Ecclesia Latina Presbyterum ex sola Episcopi commissione confirmare, quod plurimum moveor ex citata Gregoriana responsione; sed neque Suavi, neque Adriano neque Durando aliisque assentior quod universitas Theologorum opposítam opinionem verisimiliorem arbitretur. Hanc majorem probabilitatem exposuit D. Thomas in 4. d. 7. q. 3. hoc ratiocinio. *Cum Episcopatus non addat aliquid supra Sacerdotium per relationem ad Corpus Domini verum, sed solum per relationem ad Corpus mysticum, Papa per hoc quod est Episcoporum Summus non dicitur habere plenitudinem potestatis per relationem ad Corpus Domini verum, sed per relationem ad Corpus Misticum. & quia gratia Sacramentalis descendit in Corpus Mysticum a Capite, ideo omnis operatio in Corpus mysticum Sacramentalis, per quam gratia datur dependet ab operatione Sacramentali super Corpus Domini verum, & ideo solus Sacerdos potest absolvere in foro pœnitentiali et baptizare ex officio, & ideo dicendum quod promovere ad illas perfectiones, quæ non respiciunt Corpus Domini verum, sed solum Corpus mysticum, potest a Papa, qui habet plenitudinem Pontificalis potestatis committi Sacerdoti, qui habet actum summum super Corpus Domini verum, non autem Diacono, vel alicui inferiori, quod non habet perficere Corpus Domini verum, sicut nec absolvere in foro pœnitentiali. Non autem potest simplici Sacerdoti committere promovere ad perfectionem, quæ respicit aliquo modo Corpus Domini verum, & ideo simplex Sacerdos ex mandato Papæ non potest conferre Ordinem Sacardotii, quia Ordines Sacri habent actum supra Corpus Domini verum, vel supra materiam ejus. Potest autem concedere simplici Sacerdoti, quod conferat minores Ordines, quia isti nullum actum habent super Corpus Domini verum, vel materiam ejus, nec etiam supra Corpus mysticum, per quod gratia conferatur, sed habent ex officio quosdam actus secundarios & præparationes, & similiter potest concedere alicui Sacerdoti quod confirmet, quia Confirmatio perficit eum in actu Corporis mystici, non autem habet aliquam relationem ad Corpus Domini verum.* Hoc vero dum fit nihil jam in Divino jure immutatur, quia hoc ipsum jus per quod Presbyteri potestatem accipiunt, ut extraordinarii Ministri conferendæ Confirmationis ex ipsius Ecclesiæ usu, & decretis, arctum est, videlicet Concilii Toletani 1. Can. 24. quo statutum est *Diaconum non Chrismare, sed Presbyterum absente Episcopo, præsente vero si ab ipso fuerit præceptum*. Concilii Barcinonensis 2. can. 2. quo simili etiam statutum conditione est, ut cum *Chrisma Presbyteris* Diocesanis *pro Neophytis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur &c.* Concilii Arausicani Can. 1. quo statuitur *Hæreticos in mortis discrimine positos, si catholici esse desiderent, si desit Episcopus, a Presbyteris cum Chrismate, & Benedictione consignari placet*. Et postremo ex can. 4. Concilii Regensis, cui inter minutas discussiones, & indefinitas visum est, *omnem Presbyterum in Ecclesia, in qua ordinatus fuerit, consecrandi Virginem, sicut confirmandi Neophytum jus habere*.

XV. Privilegium hoc Latinis Presbyteris primus omnium, qui audiatur, Magnus Pontifex Gregorius indulsit lib. 3. Epist. 26. hæc scribens ad Episcopum Calaritanum: *ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri, etiam in frontibus baptizatos Chrismate tangere debeant, concedimus*; deinde vero concesserunt alii, scilicet Innocentius VIII. Generali, & Abbatibus Cisterciensibus, ut re-

fe-

ferunt Rodericus Tom. 1. Regul. q. 18. a. 3. & Vasquez in 3. p. dif. 234. cap. 4. n. 39. Adrianus, qui creatus Pontifex, VI. est appellatus Sacerdotibus Regularibus O. M. existentibus in Indiis & Regionibus, in quibus non erant Episcopi: & postremo PP. Societatis Jesu in Brasilia ex testimonio Arcudii lib. 2. de Concordia Eccles. Occiden. & Orient. c. 15. & Palavicini Histor. Concil. Trid. lib. 9. c. 7. probatur idem Privilegium fuisse concessum

XVI. Singulæ posteriores hæ concessiones certe refellunt Estii, & Petri Aurelij singularem opinionem, quæ docet non ad veritatem Sacramenti Confirmationis, sed ad meram Baptismi cæremoniam respexisse Gregorii Privilegium concessum Presbyteris Sardensibus, ut scilicet illa unctio, quæ a ceteris Presbyteris adhibebatur in vertice, & pectore Neophytorum a Sardensibus Presbyteris secundum priscam eorum consuetudinem adhiberetur in fronte. Quod inane commentum refellit etiam quicumque nullo diffidentium partium abreptus studio advertit, illud S. Pontificem Sardis concessisse posteriore, quod eisdem priore decreto prohibuerat, scilicet, exercere munus Episcoporum, (quod erat Infantes signare in fronte Sacro Chrismate) ut imposterum Sardenses Presbyteri ita confirmarent, ut in Romana Ecclesia a solis Episcopis fieri solet: & nihil aliud intellexisse Gregorium in sua ad Armenos explicat Eugenius IV. his verbis: *legitur aliquando per Sedis Apostolicæ dispensationem ex rationabili, & urgenti admodum Caussa simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc ministrasse Confirmationis Sacramentum* Ex quibus omnibus satis patet posse Pontifices extraordinarios Confirmationis Ministros eligere ex rationabili & urgente admodum caussa, quod non displicuisse Patribus Concilii Tridentini ex illo, quem superius laudavimus canone, facilime eruitur.

XVII. Colligitur ex his frustra inquiri exempla dispensationis per Romanos Pontifices factæ ante sæculum sextum ut Presbyteri confirmarent in Ecclesia Latina. Dixi per *Romanos Pontifices*, ut exciperem dispensationes factas in variis Conciliis urgentissima concurrente causa ex præsupposita Romani Pontificis indulgentia, quia has dispensationes Sedes Apostolica novit, nec contradixit. Desiit tamen hic mos per Presbyteros confirmandi apud Occidentales ante IX. Seculum, cuius rei documentum authenticum exhibet Nicolaus I. qui ut refert Flodoardus lib. 3. Historiæ Rhemensis c. 7. Hincmaro, & Episcopis in Regno Caroli Calvi constitutis scripsit Græcorum Imperatores Michaelem, & Basilium, & Orientales Episcopos calumniari sanctam Romanam Ecclesiam, imò omnem Ecclesiam, quæ latina utitur lingua, *quoniam Presbyteros Chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus*. Anno 1527. nulla expectata, & impetrata a Romano Pontifice delegatione contendebant Abbates se posse attenta consuetudine Confirmare, id vero non placuit Patribus Senonensis Concilii, qui canone 38. ita definiverunt. *Quoniam Abbates nonnunquam attentant munus Confirmationis conferre idque vindicant ex consuetudine præscripta ad se pertinere. Nos attendentes hanc impositionem manuum a Christo primum institutam, & ab Apostolis receptam, solis Episcopis, qui Apostolorum sunt successores reservatam, consuetudinem huiusmodi, quæ potius corruptela dicenda est, reprobramus* etiam si talis esset consuetudinis immemorabilis, silicet tanti temporis, ut eius initii non extaret memoria, nam quotiescunque lex non solum tollit, sed etiam reprobat, & damnat consuetudinem, uti pravam, & irrationabilem,

tunc censetur sublata etiam immemorabilis, ut docet Covarr. variar. resol. l. 3. c. 13. n. 5. quia etiamsi tempus immemorabile regulariter habeat vim tituli, seu privilegii, hoc tamen fallit, ubi consuetudo a Jure est reprobata, ut in casu nostro præsuppositam consuetudinem reprobarunt tot decreta Pontificum, & tot canones Conciliorum. Secus vero est dicendum, si consuetudo nitatur tacito consensui ejus, qui potest jus condere, ex quo sequitur, quod olim Græcorum Presbyteris licuerit Sacramentum hoc administrare, & adhuc licet, non vero ex propria auctoritate; quapropter hanc consuetudinem in illis non improbavit Innocentius III. ut illam improbavit in Presbyteris Latinis, apud quos cum delegatio tacita Pontificis, aut expressa Episcoporum (in casu quod sufficeret.) non daretur, ideo consuetudine introduci non poterat, ut licite, & valide etiam tanquam extraordinarii Ministri, Sacram unctionem conferrent, & modo conferant. Quod si Photii temporibus confirmatos a Presbyteris Græcis, Latini Episcopi iterum confirmarunt, vel id *propria præsumptione fecerunt, non ex Latinæ Ecclesiæ sententia*, ut scripsit Gregorius Protosyncellus in Epistola Apologetica adversus Marcum Ephesinum, vel quod verisimilius est, quia quos Presbyteros Photius ordinaverat, caruisse legitima auctoritate arbitrati fuere, cum non a legitimo Patriarcha D. Ignatio illam obtinuissent, sed ab adultero ex Laicorum ordine in Constantinopolitanam Sedem intruso, & omni prorsus Ecclesiastica auctoritate vacuo, qui proinde Presbyteros delegare non poterat ad confirmandum, & id ex eo probatur ulterius, quod jussu laudati Nicolai I. iterum inuncti sunt Sacro Chrismate confirmati a Presbyteris, quos in Bulgariam Photius miserat, quod ubique gentium Presbyteri illi Sacris Ordinibus interdicebantur, Photio adhuc in sua pravitate permanente. Non est igitur audiendus Petrus Aurelius, qui fictitiam ac inanem putat esse Confirmationem a Presbyteris Græcis collatam, neque Simbovius, qui disp. 5. de Sacram. Confirm. a. 2. ad Petrum Aurelium scribens ait: *Presbyteros Orientales a multis Seculis administrasse Confirmationem videntibus, atque tacentibus Episcopis, imò & permittentibus, atque volentibus; quandoquidem mos est Constantinopolitanis Patriarchis Chrisma conficere, confectumque ad varias Orbis partes Episcopis, & Presbyteris mittere, ut confirment eo Chrismate baptizatos*; respondetur enim ut supra, abusum esse, adversus quem suo Sæculo Nicolaus I. insurrexit, insurrexit Ecclesia Gallicana per Ratramnum Corbejensem, insurrexerunt Innocentius III. Gregorius IX. & Innocentius IV. qui omnes absolute cautum munus illud Presbyteris voluerunt, solis autem Episcopis reservatum esse significarunt.

XVIII. Qui vero requirunt, utrum hanc delegationem alicui Presbytero aliquando Apostoli concesserint, curiosius id faciunt, quam necesse sit, non enim omnia scriptis sunt tradita, quæ egerunt Apostoli, imò plura se dispositurum pollicetur D. Paulus scribens ad Corinthios in suo apud ipsos adventu. Accedit etiam quod Apostoli per paucos ordinaverint Sacerdotes, quos simul non consecraverint Episcopos. Tandem cum D. Hieronymus in citata jam Epistola ad Evagrium scripserit Presbyterum posse præter Ordinationem quid quid facit Episcopus, non obscure eruitur, etiam cum ipsa Apostolica traditione cohærere, quod a nobis traditum est de extraordinario Confirmationis Ministro.

XIX.

XIX. Dum vero quærunt Theologi, ad quam speciem referenda sit, hæc potestas, quæ supponitur a Divo Hyeronimo inesse Presbyteris, aliqui eorum hac gravissima difficultate perterriti, negant suppositum, & dicunt, quod Presbyter simplex non possit ex mandato Papæ confirmare, & propterea, quod dicitur de Gregorio ad Januarium scribente exponunt, quod illi Presbyteri ex mandato Papæ non conferebant Sacramentum Confirmationis, sed aliquod Sacramentale simile illi Sacramento, sicut alicui porrigitur panis benedictus loco Eucharistiæ. Sed inquit D. Thomas in supra cit. q. 3. *Non videtur conveniens, ut talem simulationem in dispensatione Sacramentorum induxisset Gregorius, vel Justinuisset; quia dispensatio Sacramentorum pertinet ad veritatem doctrinæ, quæ non est propter Scandalum dimittenda*: Propterea alii dicunt potestatem hanc esse in Ordine Sacerdotali, sed prærequiri Papæ consensum, ut a Presbytero exerceatur. Sed videtur obstare validitas confirmationis, quam contulit Episcopus invito Papa suis non Subditis; ea enim, quæ ex Caractere emanant a nullo contrario obice impediuntur, ne suum sortiantur effectum. Si respondeant alii potestatem hanc consistere in illa Jurisdictione, quam Presbyteri a Summo Pontifice impetraverint, urget illorum responsionem invalida Episcopi non consecrati Confirmatio, qui tamen ea, quæ jurisdictionis sunt, potest exercere. Sed neque in utriusque potestatis accessione, Ordinis scilicet, & Jurisdictionis videtur constituta hæc potestas, de qua disputatur, alioquin Presbyter posset Presbyteros ordinare, & Diaconus Extremam Unctionem ministrare, & Eucharistiam in casu necessitatis conficere.

XX. Ex doctrina D. Thomæ superius exposita infero utriusque potestatis accessionem constituere Presbyterum extraordinarium Ministrum Confirmationis, scilicet Presbyterum posse præter Ordinationem facere quid quid facit Episcopus ratione sui Caracteris Sacerdotalis, dependenter tamen a dispensatione Sedis Apostolicæ, & in hoc distinguitur Episcopus a Presbytero, quod quia potestas Ordinis in Episcopo est completa, potestas ad confirmandum non dependet a potestate Jurisdictionis; quare etiam Depositus, vel Degradatus, quanquam illicite, valide tamen confirmat: in Presbytero vero, ubi potestas Ordinis est incompleta, potestas ad confirmandum dependet a Suprema Jurisdictionis potestate in Summo Pontifice existente; & ita in simplici Sacerdote, ut sit extraordinarius Minister Confirmationis, Potestas Ordinis ad confirmandum duo prærequirit, Sacerdotalem caracterem, & Summi Pontificis concessionem, & subinde Supremam Jurisdictionem in eo, ut in Capite totius Ecclesiæ existentem, cui conditioni adscribitur tota illa facultas, quæ derivare potest a Pontifice, non vero ab Episcopo, de cujus commissione simplex Sacerdos confirmare non potest, cum Episcopus careat hac suprema jurisdictione, quæ spectat ad regimen totius Ecclesiæ. Ex quo vero, quod Diaconus caret potestate in Corpus Christi verum, quæ oritur a Caractere Sacerdotali, sequitur, quod neque concurrente voluntate Summi Pontificis potest ipse institui Minister extraordinarius Confirmationis; sicuti neque aliorum Sacramentorum, Eucharistiæ scilicet, & Extremæ Unctionis, ut non potest Presbyter simplex delegari ad Presbyteratum conferendum, ut supra argumentabatur D. Thomas; quidquid dicant aliqui innixi auctoritate Innocentii IV. in cap. *quanto* de Consuetudine, ubi sic loquitur: *Sylvester dicit, quod ex delegatione Domi-*

ni Papa, & adminiculo Sacramenti habiti, quilibet Clericus potest quidquid habet ipse conferre, quod vero non habet, minime. Sed de hoc alibi.

CAPUT IV.

DE SUBJECTO CONFIRMATIONIS, ET DE DISPOSITIONIBUS AD HOC SACRAMENTUM REQUISITIS.

§. Unicus. *Omnes omnino, nisi cetera obstent, recipiendæ Confirmationis capaces sunt*.

MElchiades Papa in sua ad Hispaniarum Episcopos Epistola, de Subjecto Confirmationis disserens, ita loquitur: *Quamvis continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen Confirmationis auxilia necessaria sunt, quia Confirmatio armat, & instruit ad agones Mundi hujus; & prælia reservandos. Qui autem post baptismum cum acquisita innocentia immaculatus pervenerit ad mortem, confirmatur morte, quia jam peccare non potest post mortem*. Ex his verbis S. Pontifex insinuare videtur, non omnibus omnino hominibus oportere hoc Sacramentum conferri, quod aliqui reperiuntur, qui illo non indigent. Secus vero scripsit D. Chrisostomus in Homilia de Machabæis: *In mundanis agonibus ætatis, ac formæ, generisque dignitas requiritur, & ideo Servis, ac Mulieribus, & Senibus, ac Pueris ad eos aditus denegatur. In Cælestibus autem omni personæ, & ætati ac sexui in discreta facultate studium patet*. Et in homilia de militia spirituali dicit. *Apud Deum fæminens, etiam militat sexus, multæ namque fæminæ animo virili spiritualem militiam afferunt. Quædam enim interioris hominis virtute viros æquaverunt in agonibus Martyrum, quædam etiam fortiores viris exstiterunt*. Quæ cum ita sint proprerea asserimus omnes omnino nisi cetera obstent recipiendæ Confirmationis capaces sunt. Dixi *nisi cetera obstent* quod intelligendum est de dispositionibus illis quæ veluti ex necessitate prærequiruntur ad hoc, ut quis valide, & licite hoc Sacramentum percipiat; quæ dispositiones si deessent, ratione huius defectus, merito aliquis veluti indignus ab occasione uberioris huius gratiæ per Confirmationem recipiendæ arceretur.

II. Præcipua inter dispositiones recensetur Baptismus; ita ut solus homo baptizatus Confirmationis sit capax. Ad hoc probandum spectant plurima illa testimonia, quæ opportune variis in locis retulimus, in quibus legitur antiquissimus Ecclesiæ mos Sacramentum hoc conferendi statim post Baptismum, unde in præsenti satis est afferre, tum testimonium Laodiceni Concilii, in quo Concilio Patres can. 48. pronunciarunt: *Oportet eos qui illuminantur post Baptismum inungi supercælesti Chrismate*, tum Fidei Confessionem Eutichetis, quæ habetur in Actione 1. Concilii Chalcedonensis. *In hac fide baptizatus, signatus sum*: tum S. Leonis adhortationem ad suos in Serm. 4. de Nativitate Domini: *permanete stabiles in ea fide, quam confessi estis coram multis testibus, & in qua renati per aquam, & spiritum accepistis Chrisma salutis, & signaculum vitæ æternæ*, quibus si accesserit Dionysius in lib. de Ecclesias. Hierar. hæc scribens: *ipsi qui sacratissimo Regenerationis Mysterio consecratur, ad-*

adventum Spiritus S. consumans inunctio largitur unguenti, & c. 57. Concilii IV. Toletani, in quo de Judæis baptizatis dicitur, eos *fuiſſe divinis Sacramentis aſſociatos & Baptiſmi gratiam percepiſſe & Chriſmate unctos eſſe*, & demum uſus univerſalis Eccleſiæ quæ etiam nunc non niſi homines baptizatos Sacro Chriſmate in fronte inungit: Quapropter vere vacuum Spiritu S. & alienum a gratia Chriſti, atque a conſortio Sacerdotali abjiciendum merito S. P. Zachariam ad S. Bonifacium ſcripſiſſe intelligimus quemdam Presbyterum Schotum, qui ſine Baptiſmo homines fieri poſſe Chriſtanos aſſerebat per Epiſcopalem manuum impoſitionem. Quis enim niſi baptizatus juxta Præceptum Domini *in nomine Patris &c.* & ſic per manus impoſitionem conſecretur, poteſt eſſe Cattholicus?

III. Non ſemper vero omnibus omnino Neophytis S. Spiritus gratiam manuum impoſitione impertiturus excurrebat Epiſcopus. In Hiſpania prohibuerunt PP. in Eliberitana Synodo congregati A. 305. c. 39. Gentilibus, qui in infirmitate Baptiſmum petiiſſent Confirmationem dari, niſi probitatis, & vitæ honeſtæ teſtimonium reddidiſſent. *Gentiles*, verba ſunt Canonis, *ſi in infirmitate deſideraverint ſibi manum imponi, ſi fuerit eorum ex aliqua parte honeſta vita, placuit eis manum imponi, & fieri Chriſtianos*, quem canonem, non certe intelligendum eſſe de Baptiſmo Albaspinæus demonſtravit, tum ex nomine, nunquam enim Baptiſmus vocatum eſt a Conciliis & PP. Manuum impoſitio, tum ex alio canone eiusdem Eliberitani Concilii, qui canon eſt XLV. &, quem nos ſupra retulimus in Tractatu de Sacramento Baptiſmi CAP. III. §. III. N. XXIII. quo ſtatuitur nulli in mortis periculum conſtituto denegandum eſſe Baptismum, quem conſtet aliquo modo petiiſſe, ſive in Gentilitate bonus, ſive malus extiterit. Hic vero meminiſſe oportet etiam eorum, quæ ſcripſimus in CAP. I. huius Tractatus N. I. Scilicet per Sacramentum Confirmationis Chriſtianum perfici, quod ſufficit, ut in ſuum verum ſenſum accipiantur poſtrema hæc verba quæ in citato canone leguntur: *fieri Chriſtianos*. Non certe hæc dicuntur ut Gentiles, de quibus eſt ſermo jam non fuiſſent in Chriſto regenerati. Solum igitur Chriſtiani nomen, non rem ipſam Chriſmati fert acceptam Concilium Eliberitanum: quaſi hoc nomen ab unctione myſtica derivari debuiſſet, adeoque illo careant, qui Sacro unguento non ſint delibuti, & ſic Chriſti participes, & conſortes facti iis, qui Spiritu S. uncti ſunt, cujus typus eſt Sacrum Chriſma. Totum hoc legitur apud Divum Cyrillum in ſua Myſtagog. 3. Catecheſi. *hujus Sancti Chriſmatis dono accepto appellamini Chriſtiani, ut regenerationi, & nomen ipſum vere reſpondeat. Ante enim quam hæc gratia vobis donata eſt, non eratis proprie digni eo nomine, ſed per gentes uſque eo progreſſi eſtis, ut efficeremini Chriſtiani*.

IV. A canone Eliberitani Concilii diſcrepat Canon VI. Concilii Arelatenſis I A. 314. Nam in hoc Canone definitur quod *de his, qui in infirmitate credere volunt, placuit debere his manum imponi*, & propterea nullo anteactæ vitæ præmiſſo examine, reliquæ Eccleſiæ omnes, iis exceptis, apud quas Eliberitani Canones viguerunt, Sacro conſueverunt Chriſmate inungere Neophytos quoſcumque, quod omnino periculoſum eſſe crederent [quemadmodum deinde ſcripſit Hugo a S. Victore lib. 2. de Sacram. p. 7. c. 3.] Si aliqui illorum ſine Confirmatione ab hac vita migrare contingeret; non quia damnaretur, niſi forte propter contemptum, ſed quia detrimentum perfe-

fectionis pateretur : unde etiam pueri Confirmati decedentes majorem gloriam consequuntur, & majorem obtinent gratiam, quæ duo non respexit S. Papa Melchiades, cum decedentes asseruit morte confirmari sed solummodo observavit morituris non esse necessarium hoc Sacramentum propter periculum pugnæ præsentis, quod periculum in illis non verificatur, & propter effectus, qui ab ipso Sacramento oriuntur; qui sunt armare, & instruere nos ad Agonem vitæ huius, quam deserit jam jam moriturus.

V. Altera dispositio ex parte Subjecti est intentio suscipiendi hoc Sacramentum, hæc tamen explicari debet eo modo quo magis congruit conditioni ejusdem subjecti, & requisito, quod commune est Sacramentis omnibus, ut rite suscipiantur ab adultis; quod si infantes sunt, quibus hoc Sacramentum confertur, nulla ex parte illorum requiretur intentio, quia nullius humani actus capaces cognoscuntur. Obsolevit tamen hic mos administrandi Confirmationis Sacramentum infantibus statim post Baptismum a decimo tertio Sæculo apud Occidentales Ecclesias; nam, ut ad confirmandos pueros septennium expectaretur ab eorum ætu Coloniense Concilium, A. 1280. cap. 5. decrevit, ut decreverunt postea Concilium Turonense A. 1583. cap. 7. Bituricense A. 1584. titulo 20. can. 4. Aquense A. 1585. Tolotanum A. 1590. cap. 3. & Narbonense A. 1609. cap. 15. imò non nullis Galliarum Episcopis placuit expectari decennium, quo melius suscepti Sacramenti pueri memores esse possent, & ut Sacramenti vim, ac dignitatem perciperent, & Catechismus Concilii Tridentini optimus explicator laudat si duodecimus ad Confirmationem annus expectetur, secluso mortis periculo, in quo casu morituris hoc Sacramentum statim dandum esse docet S. Thom. p. 3. q. 72. a. 8. ad 4: ut *in resurrectione perfecti appareant*. In hoc vero omnes conveniunt damnandam esse quorumdam Plebejorum negligentiam, qui, ut scribit Jonas Aurelianensis Episcopus in libro 1. de Institutione laicali cap. 7. *Partim incuria, partim ignorantia, intantum in hac re negligentes existunt, ut etiam non nisi jam in decrepita ætate huius doni consecrationem percipiant*. In ipsius adolescentiæ fervore percipiendum esse hoc Sacramentum censet S. Ottho Pomeranorum Episcopus, *quia illa ætas magis obnoxia est tentationibus*.

VI. Qui igitur ad hoc Sacramentum suscipiendum accesserit in adulta ætate, gratiæ status in illo prærequiretur, ut licite recipiat. Inter Sacramenta duo sunt quæ dicuntur Sacramenta mortuorum, reliqua omnia appellantur Sacramenta vivorum. Baptismus, & Pœnitentia a statu Culpæ in gratiæ statum suscipientem restituunt, quæ supersunt Sacramenta gratiam, & justificationem in suscipiente supponunt; quare qui sibi alicuius culpæ lethalis conscius fuerit, nisi prius per Pœnitentiam fuerit dispositus se Confirmatione signari non patiatur: *Moneantur*, inquit Concilium Aurelianense, *Confessiones dare prius, ut mundi donum S. Spiritus valeant accipere*, quod repetit etiam Concilium Burdigalense A. 1583. quemadmodum jam a Rothomagensi A. 1581. statutum fuerat, quod Adultis *non nisi confessis, & profitentibus Apostolicum* traderent.

VII. Inter dispositiones recensebatur etiam Jejunium: Ut *jejuni ad Confirmationem veniant*. Herardus Turonensis Archiepiscopus in Capitulari n. 75. præscripsit, idemque antiquissima Statuta Synodalia Ecclesiarum tradiderunt Eduensis cap. 9. Caturecensis, Ruthenensis, & Tutelensis cap. 7. *Sacerdotes moneant subditos suos, ut hoc Sacramentum recipiant, & tempore receptionis sint*

sint jejuni. Constantiensis cap. 23. *jejuni veniant ad Confirmationem qui sunt perfectæ ætatis*, & hanc praxim constantissime observavit Ecclesia per integra XII. priora Sæcula. Deinde vero mitius actum est, & illa Concilia quæ antiquum jejunii ritum memorarunt, non tanquam præceptum, sed veluti consilium indixerunt. Ita loquitur Concilium Bajocense A. 1300. cap. 5. *Adulti autem, qui debent Confiteri, & qui confirmandi fuerint prius confiteantur... Jejuni etiam si fieri potest hoc recipiant Sacramentum*. Concilium Trecense A. 1400. *Jejuni si fieri potest omnes debent recipere Sacramentum si confirmandus est adultus*. Idem repetit Concilium Lingonense A. 1404. Senonense A. 1524. & Carnotense A. 1526. *Præcipimus Curatis, & eorum vicariis, ut moneant suscepturos hoc Sacramentum, ut sint jejuni, si commode fieri possit*, & quia nimis longum esset Concilia singula recensendo persequi velle, unum affero D. Thomam, qui rationem reddit, quare Ecclesia concessit, ut etiam a non jejunis reciperetur, & administraretur hoc Sacramentum, quemadmodum à Meldensi Concilio c. 6. decretum fuerat. *Propter multitudinem fidelium, & propter pericula imminentia sustinetur*, inquit D. Thomas loco c. q. 72. a. 12. ad 2. *ut hoc Sacramentum Confirmationis, quod nonnisi ab Episcopis dari potest, etiam a non jejunis detur, vel accipiatur*. Ne vero pia illa consuetudo crederetur ablata addidit S. *Doctor: Si vero tamen longius differri potest, convenientius est ut jejunis confirmatio detur, & accipiatur*. Ex Superioribus verbis Concilii Trecensis eruitur etiam, quod inter dispositiones, de quibus agitur, non minima est Confirmandorum Instructio, & Fidei Professio. Hanc, præter laudatum Concilium, præcepit etiam Aquense Concilium A. 1585. deinde Narbonense A. 1609. mox Guillelmus Gubernator Episcopus Macloviensis in suis Statutis Synodalibus, & præscribitur a Concilio Rothomagensi A. 1581. & ut cetera omittam, præcipitur a Catechismo Romano Pastoribus omnibus Ecclesiarum, ut fideles instructi de hujus Sacramenti natura, vi, dignitate intelligant, non solum negligendum non esse, sed summa cum pietate, & Religione suscipiendum, ne ipsorum culpâ, maximoque malo eveniat, ut frustra in eos divinum hoc beneficium collatum esse videatur.

VIII. Postquam Prælatorum absentia, & nova Ecclesiarum Disciplina prohibuit Episcopis ipsa die Baptismi tradere per manuum impositionem, & Sacram inunctionem Spiritum Sanctum, alia tempora extra casum necessitatis huic obeundo muneri præfixa fuisse erudimur, quæ hic modo subjicimus. Octavum a Baptismo diem huic Officio fuisse præscriptum Rabanus scribit in lib. 2. de Institutione Clericorum c. 39. In Libro de Divinis Officiis c. de Septuagesima, quicunque sit hujus operis Auctor, vel Alcuinus, vel alter, dicitur, *Septuagesima tendit ad Sabbatum ante Octavas Paschæ, baptizati alba vestimenta deponunt, & tunc Confirmari eos oportet ab Episcopo, & per impositionem manus accipere Spiritum S.* In Rationarii lib. 6. c. 84. eadem fuisse legitur opinio Durandi: *Baptizatus autem confirmari non potest, nisi demum post septem dies post baptismum propter VII. Dona Spir. S. quæ recipiunt in Baptismo*. Singularis fuit Conradus Constantiensis Episcopus, qui octo ante Pascha diebus baptizatos inungebat in fronte, nam in reliquis omnibus Ecclesiis, vel duobus temporibus in Paschate scilicet, & Pentecoste, impositio manuum fidelibus tradebatur, ut Concilium Parisiense A. 829. in 1. par. cap. 33. decrevit, vel ipso Sacratissimo Pentecostes die hora tertia, ut Amalarius, modum primitivæ Ecclesiæ describens, ait in 4. lib. de Eccles. Officiis cap. 29.

cap. 29. vel feria secunda Pentecostes ut Lucas Cusentinus Archiepiscopus in suo Ordinario scribit, vel prima die, & duobus subsequentibus Pentecostes diebus, ut est fere communis omnium Ecclesiarum mos, vel demum quinque subsequentibus diebus, ut fuit usus Ecclesiæ Mediolanensis. Hæ consuetudines variæ observabantur in illis Ecclesiis, quibus ipsi præerant Episcopi. In alia vero loca, a quibus aberant, post celebratum Baptismum, Episcopi Diæcesim perlustrantes concurrebant Neophytis S. Spiritus gratiam manuum impositione impertituri. Hoc notatum reliquit Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos, & Beda in vita S. Cothberti Lindisfarnensis Episcopi c. 29. & legitur in variis Conciliorum decretis, quibus statutum est, ut *quandocunque jure Canonico Episcopus circumierit Parochiam ad Confirmandos populos, Presbyter semper paratus sit ad suscipiendum Episcopum cum collectione, & adjutorio populi, qui ibi confirmari debet*. Legem hanc sancivit primum Germanicum Concilium can. 3. nec dissimile habemus in Conciliis Suessionensi A. 744. can. 4. Cabilonensi II. A. 813. can. 14. Ticinensi A. 855. & Burdigalensi A. 1262. a quo cap. 4. decernitur, *ut dum contigerit Episcopum suam diæcesim visitare, parochus ejus accepto nuncio moneat, & inducat subditos, ut ad recipiendum Confirmationis Sacramentum se præparent*. S. Papa Gregorius hoc munus indixit Episcopis Epist. 46. lib. 8. ut *Ecclesiis ad quas sine labore possent accedere Officium visitationis impenderent, ut hi, qui illic Deo propitio baptizantur inconsignati non debeant remanere*. Ex quo sequitur Sanctum Pontificem voluisse a nemine hoc Sacramentum prætermitti, quod licet *ejusmodi necessitatem non habeat*, inquit Catechismus Romanus, *ut sine eo salvus quis esse non possit, tamen maxime cavendum est ne in re Sanctitatis plena, per quam nobis Divina munera tam large impertiuntur, aliqua negligentia committatur quod enim omnibus communiter ad Sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est*.

IX. Estio itaque, & Soto non assentimur, qui nullum præceptum cognoscunt, quo baptizati teneantur hoc Sacramentum percipere, nam, si inveterata consuetudo legem constituit suscipiendi hujus Sacramenti Lex jam data est, cum a temporibus Apostolorum per integra septendecim Sæcula, non interrupto usu, fideles Confirmationem acceperint; imò si qui aliquando in accipiendo negligentes fuerunt, eosdem Conciliaribus Sanctionibus, & salutaribus pœnis attentos Ecclesia reddidit, & ad illud postulandum sollicitos. Hujus generis exemplum habemus in Mediolanensi IV. Concilio, in quo ita S. Carolus decrevit: *Parochi videant, ne quis eorum, qui sibi in curam traditi sunt illud (Sacramentum) suscipere negligat. Quare præmoneant quod etiam Concilii Uormatiensis canone sancitum est, ut quicunque intra Parochiæ suæ fines habitant, neque confirmati adhuc sunt, illud omnes suscipiant, qui ætate ea sunt, qua Episcopus ... duxerit esse debere qui ad Sacramentum accedunt. Si quis vero neglexerit Canonicis subjaceat disciplinis*. Ante Mediolanen. huic incuriæ providit Concilium Lambeten. A. 1281. c. 4. præcipiens ut non Confirmati ab Eucharistia percipienda arcerentur. Idem præscripsit Rituale Eboracen. A. 1409. quemadmodum Concilium Bituricense A. 1584. titulo 20. can. 7. non solum ad Eucharistiam, sed neque ad Matrimonium decernit illos esse admittendos, qui hoc Sacramento non fuerint insigniti; & trium annorum pœnitentiæ a Canonibus Pœnitentialibus subjiciuntur Parentes, quorum negligentiâ filii sine Sacramento Confirmationis decesserint. Igitur de Ecclesiæ

pra-

praxi nemini licet dubitare, & de eo quod ipsa sentit, dum quæritur, utrum Sacramentum hoc possit negligi, vel prætermitti a vere Christianis. Utrumque negavit Concilium Remense A. 1583. & utrumque jam definiverat Concilium Senonense A. 1524. a quo præterea explicatum est quomodo quis dicatur hoc Sacramentum contemnere. *Contemni dicitur quando Episcopus est præsens, paratus dare, & Persona hoc sciens negligit, aut despicit suscipere. Et inde fit quod non suscipiens peccat mortaliter*. Et ab hoc non dissentit Angelus a Clavasio in sua Summa, verbo *Confirmatio*; imò etiam si per solam negligentiam aliqui illud non suscipiant scribit Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis p. 7. c. 3. *timendum esse iis, qui per negligentiam ammittunt Episcopi præsentiam, & non suscipiunt manus impositionem, ne forte propterea damnentur, quia festinare debuerunt cum poterant*.

X. Sed nec deest ratio naturalis, quæ probat Sacramentum Confirmationis omnibus esse exhibendum, hanc tradit D. Thomas p. 3. q. 72. a. 8. in c. *Per hoc Sacramentum*, inquit, *promovetur homo spiritualiter in ætatem perfectam. Hoc autem est de intentione naturæ, ut omnis qui corporaliter nascitur ad perfectam ætatem perveniat. Multo autem magis de intentione Dei est omnia ad perfectionem perducere, ex cujus imitatione hoc natura participat. Anima autem ad quam pertinet, & spiritualis nativitas, & spiritualis ætatis perfectio immortalis est, & potest sicut tempore senectutis spiritualem nativitatem consequi; ita tempore juventutis, vel pueritiæ consequi perfectam ætatem, quia hujusmodi corporales ætates animæ non præjudicant: & ideo hoc Sacramentum debet omnibus exhiberi*. Id quod docuit D. Thomas advertendo quomodo per hoc Sacramentum Christiani hominis forma perfectè absolvatur, docuit etiam in supplemento p. 3. q. 35. a. 4. in c. cum notavit idem Sacramentum esse unum ex illis, quæ de congruo requiruntur ad hoc, ut reperiatur omnis perfectio in illo, qui idoneus esse debet ad executionem Ordinis. Propterea Concilium Tridentinum Sess. xxiii. c. 4. de Reformat. Decrevit quod quicunque voluerit primæ Clericali Tonsuræ initiari, debeat esse confirmatus. Verum tamen est quod non ea ratione exigitur Confirmatio, ut sit de necessitate Sacramenti Ordinis, veluti est necessarius Baptismus, sed propter solam congruentiam, & ideo Sacramentum Ordinis, valide, sed non licite conferri potest illi, qui non est confirmatus. Primum ostenditur ex can. 8. Primi Nicæni Concilii. *De his qui se nominant Catharos, idest mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam placuit Sancto, & Magno Concilio, ut impositionem Manus accipientes, sic in Clero permaneant*. Alterum vero probatur ex Epistola Cornelii Papæ ad Fabium Antiochenum, in qua Pontifex Novatianum criminatur quod quamquam ab Episcopo consignatus non esset Sacramento Confirmationis, attamen postea per gratiam Episcopi Presbyteri gradum consecutus est.

XI. Sed & necessarium est, ut qui ad hoc Sacramentum suscipiendum accesserit Episcopo per alium præsentetur juxta ritum Ecclesiæ. Non secus ac in Baptismo, etiam in Confirmatione, merito Patrinos introduxit Ecclesia, ut advertit Vicecomes lib. 1. de Ritibus Confirmationis c. 11. quidquid in contrarium Magdeburgenses objiciant Centur. 7. lib. 2. c. 6. hoc vano effugio ducti, quod de his nihil legatur in Actibus Apostolicis. Idem profecto est aliquod legi in Actis Apost. aut legi in Evangelio, vel si nullibi etiam in Scriptura legatur, dummodo tamen illud a constanti Traditione præscribatur.

batur. Verum & legitur in Evangelio, & non interrupta Traditionis lege hæc cæremonia probatur. Non est novum in Evangelio quod plures & sæpe Christo oblati fuerint, ut variis languoribus curarentur, sed neque est novum quod apud Matthæum c. 19. legitur: *oblati sunt parvuli, ut Christus manus eis imponeret*, & quod scribitur a D. Luca c. 18. *afferebant ad illum Infantes, ut eos tangeret*, & quod apud D. Joannem c. 1. exponitur quod scilicet *Andreas fratrem suum Simonem adduxit ad Jesum*. Super hæc verba Ludulphus Carthusianus hæc scribit in lib. 1. de Vita Christi c. 24. *Ex hoc accepit Ecclesia quod in Sacramento Baptismi, & Confirmationis utitur adducentibus, qui præsentem suscipientes Patrini solent vocari*. Hujus rei si caussam inquirimus, hos institutos existimavit Strabo de rebus Ecclesiasticis c. 26. *occasione baptismi Parvulorum; nam cum in cunabulis nascentis Ecclesiæ Christi fidem in Baptismo profiteri, mundoque, dæmoni, ac pompis ejus nuntium remittere etiam infantibus receptissimum esset, necesse erat eo tempore esse aliquos, qui quod Pueris per ætatem non licebat, suâ diligentiâ, & operâ præstarent*. Jam vero ex illorum munere diversum nomen obtinuerunt. *Patres*, illos appellavit S. Dionysius in c. 2. & 7. Ecclesias. Hierarch. *Naturales*, inquit *oblati parvuli parentes puerum uni ex fidelibus tradant præclaro divinarum rerum Magistro, sub quo jam puer fit quasi sub Patre Divino, sanctæque salutis alumno. Hunc itaque Præsul spondentem puerum juxta Sanctam educaturum vitam, requirit, ut abrenunciationem profiteatur*. S. Iustinus auctor II. Sæculi q. 56. *Offerentes* vocat: *Digni*, inquit, *fiunt Pueri baptismi commodis fide eorum, qui illos ad baptismum offerunt*. Eosdem appellat *Sponsores* Tertullianus, qui tertio Sæculo florebat. *Quid enim necesse est* sic ait lib. de Baptismo c. 18. *post commendatam baptismi cunctationem, si non tam necesse sponsores etiam periculo ingeri, qui & ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, & proventu malæ indolis falli*. Etiam Augustinus Sponsores illos vocavit & Albinus Flaccus; sed in Nicæna Synodo can. 21. *Patrini* sunt appellati, ut a Concilio 4. Arelatensi can. 19. *Fidejussores*, & a Moguntiaco 1. can. 48. *Compatres*. Communiter tamen *Susceptorum* nomen auditur, & ita legitur apud S. Clementem in lib 3. Constir c. 16. ubi scribit. *Tu Episcope, vel tibi subjectus Presbyter Sacrum super ipsos ducens, ac nominans invocationem Patris, & Filii, & Sp. S. baptizabit eos in aqua, ac virum suscipiat* Diaconus, *mulierem Diaconissa, ut decore traditio infrangibilis Sigilli administretur*.

XII. Nec caret ratione quod qui ad Confirmationis Sacramentum accedunt indigeant aliquo quo sustententur, & leventur. Placet hanc audire ex D. Thoma. Hic igitur p. 3. q. 72. a. 10. in c. ita scribit: *Dicendum quod hoc Sacramentum exhibetur homini ad robur pugnæ spiritualis. Sicut autem aliquis de novo natus indiget instructore in his quæ pertinent ad conversationem vitæ secundum illud ad Hebræos 12. Patres quidem Carnis nostræ habuimus eruditores, & reverebamur eos. Ita illi qui assumuntur ad pugnam indigent eruditoribus, a quibus instruantur de his, quæ pertinent ad modum certaminis; & ideo in Bellis materialibus constituuntur Duces, & Centuriones, per quos alii gubernentur. Et propter hoc, etiam ille, qui accipit hoc Sacramentum ab alio tenetur, quasi per alium in pugna Spirituali erudiendus. Similiter quia per hoc Sacramentum confertur homini perfectio spiritualis ætatis, ideo ille, qui ad hoc Sacramentum accedit sustentatur, quasi spiritualiter imbecillis & puer*.

& puer. Ex hac Doctrina D. Thomæ constat, quod ille qui est mediator in hoc Sacramento, non habet Officium repræsentandi quasi extraneum, sicut est in baptismo, neque suscipiendi quasi instruendum, sed solum tenendi quasi infirmum.

XIII. In Confirmatione, non secus ac in Baptismo, non plures debent adhiberi ad suscipiendos infantes, sed tantum unus, aut una quod præcipit vetus Decretum Leonis Papæ relatum a Gratiano sub n. 102. dist. 4. de Consecr. *Non plures inquit*, Pontifex, *ad suscipiendum de Babtismo infantem accedant quam unus, sive vir, sive mulier. In Confirmatione quoque idipsum fiat*. Hujus prohibitionis rationem reddunt PP. Concilii Moguntini ultimi can. 19. quia: *Non raro*, inquiunt, *ex impedimentis Cognationum* spiritualium difficultatem, & pericula solent evenire, ad quæ cohibenda tum ipsi, tum postmodum Bonifacius VIII. in c. *quanquam non plures* de Cognat. Spirit. in 6. decreverunt ne cuiquam sive ex Sacro Fonte Levando, sive ad Sacram Confirmationem tenendo plures quam unum Patrinum liceret adhibere quod tandem etiam definivit Concil. Trident. Sess. xxiv. de Refor. cap. 2. addens insuper, ut Patrinus designaretur ab his quibus incumbit cura Baptismi, aut Confirmationis, & in eorumdem defectu a Parocho. Synodus Buscoducensis tam sub Metsio, quam Masio monet consulendum Parentibus, ut pro susceptoribus quantum fieri poterit, Consanguineos, aut Affines assumant, aut eos, qui in Sacris Ordinibus constituti sunt: *Ne multiplicentur*, inquit, *impedimenta Matrimonii*. Idem monent decreta Diœcesis Gandensis tit. 4. cap. 2. Synodus Mechlinensis Par. 2. tit. 4. cap. 2. declarat, eos qui in Baptismo Patrini esse non possunt, neque hic esse posse. Itaque Judæis, Infidelibus Hæreticis Ministerium hoc interdicitur, aliisque omnibus *quos lex divina a militaribus castris, ne ruina sint populis, vel Canonica auctoritas ab Ecclesiarum sequestrant liminibus, sed ejusmodi omnino eligendi sunt*, inquit Concilium Audomarense anni 1583. tit. 4. *cap. 5. qui ut spirituales Parentes, & possint, & velint eorum, quos ad Confirmationem obtulerint paternam curam gerere, eosque instruere quomodo adversus visibiles, & invisibiles salutis hostes sit dimicandum, certamdumque viriliter*. Habeatur itaque delectus, & ratio talis, qualis tanto muneri obeundo par esse possit. sit in primis homo Confirmatus, nam ut optime advertit D. Thomas l. s. c. in respon. ad 2. *licet Baptizatus sit effectus membrum Ecclesiæ, nondum tamen est adscriptus militiæ Christianæ. Et ideo Episcopo, tamquam Duci Exercitus per alium exhibetur jam Militiæ Cristianæ adscriptum, non enim debet alium ad Confirmationem tenere, qui nondum est confirmatus.* Sit major quatuordecim annis ex monito S. Caroli, licet DD. communiter tueantur Pueros cujuscumque ætatis posse esse susceptores legitimos & contrahere cognationem suscipiendo, modo habeant usum rationis, neque interesse, etiam si sint minores confirmato; cum a nullo jure statuatur, aut requiratur, ut sint majores. Decernit & idem S. Carolus in v. Concilio Mediolanensi, ut ne fœminis mares, nec vero contra maribus fœminæ Compatres in Confirmationis Sacramento adhibeantur, nisi id aliter necessitas aliquando postulet. Idem multo ante decreverat Nicænum Concilium can. 22. *Viri non teneant puellas, aut mulieres, nec mulieres teneant masculos, sed potius mulieres teneant puellas, & viri teneant masculos*. Idque contigisse narratur in vita S. Sebastiani, a quo una die suscepti sunt masculi omnes quoti fuerunt in 64. baptizatis a S. Polycarpo Presbytero; fœminarum autem matres Spirituales factæ sunt Beatrix, & Lucina. Modo vero plures quam duos eadem die in

Confirmatione tenere, nisi consentiat Episcopus, Pontificale Romanum vetat. Non ita vero possunt Episcopi dispensare, ut duo viri, vel duæ fœminæ simul suscipiant, cum super Conciliari (ut ajunt Doctores) dispositione, dispensandi facultatem non habeant, adduntque ita super hoc dubio quondam fuisse decisum, ut docent etiam fuisse resolutum, quod unus Procurator, qui sit viri, & alter, qui sit Procurator mulieris Susceptoris munus subire possit, sed non duo viri, nec duæ mulieres, unusquisque tamen proprio nomine, vir loco mulieris, & mulier loco viri. Addunt tandem de essentia Sacramenti non esse, hujusmodi Susceptores adhibere, peccare tamen, qui hunc Ecclesiæ ritum negligeret, quacumque moveretur causa, exstra casum necessitatis.

Post prolatam ab Episcopo formam Sacramenti, levem alapam infligit Episcopus in maxillam confirmati, ut confirmatus agnoscat se, tamquam fortem athletam paratum esse oportere, ut docet Catechismus Rom. p. 2. §. 20. ad omnia adversa invicto animo pro Christi nomine ferenda. Datur deinde illi pax, ut gratiæ cœlestis plenitudinem se fuisse consecutum intelligat, & pacem, quæ omnem sensum exuperat. De his ritibus agitur in quodam Vaticano Manuscripto annorum 400. & in altero Bibliothecæ Angelicæ annorum 500. demum fasciola linea frons Confirmati circumligatur, ne Chrisma defluat, & prosanationi pateat. Interdum in Confirmatione nomen immutatur, de qua mutatione Buscoducensis Synodus a Zegero-Bernardo Van-Espen laudata in suo jure Ecclesiastico universo p. 2. t. 3. cap. 3. n. 19. hanc rationem reddit: *ut qui hactenus non ad normam Christi Domini vitam instituit, jam abjecto nomine ejusmodi, depositoque veteri nomine, & antiqua socordia, rursusque novo, ac Sancto suscepto nomine virilem in Sancte agendo constantiam, perpetuo deinde præstet.*

XIV. Nihili vero facienda sunt Magdeburgensium, Kemnitii, aliorumq. Novatorum calumniæ, qui Cæremonias omnes, quas instituit, & observandas præscribit Ecclesia in hoc Sacramento mallent ommittere, quam examen Puerorum, Professionem fidei, & adhortationem. Neque hæc prætermitit Ecclesia, ut supra N. VII. demonstravimus, sed etiam vult reliqua omnia fieri, quæ præcedunt, quæ concomitantur, & subsequuntur tanti Sacramenti administrationem, nullum enim inconveniens, & nihil damnationis in iis esse potest, quæ a Christi sapientia diriguntur. Si crederent Evangelio Novatores, non lacerarent Ecclesiasticas Cæremonias; cum enim Dominus Matth. 18. dixerit: *ubi fuerint duo, vel tres cogregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, firmiter tenerent, ut docet D. Thomas l. c. a. 12. in cor. quod *Ordinationes Ecclesiæ diriguntur secundum Sapientiam Christi, & propter hoc certum esse debere Ritus, quos Ecclesia observat in hoc, & in aliis Sacramentis, esse convenientes.*



TRA-

TRACTATUS TERTIUS

DE EUCHARISTIA.

SAcramentum Euchristiæ perfici in ipsa Confecratione materiæ ad differentiam aliorum Sacramentorum, quæ perficiuntur in ejusdem materiæ applicatione ad hominem sanctificandum, docuit D. Tomas p. 3. q. 73. a. 1. ad 3. ex quo evidenter cognoscitur Eucharistiam duplicem habere respectum, alterum Sacramenti, & alterum Sacrificii. Nos itaque de alterutro agemus; unde fit

PARS PRIMA

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ

CAPUT PRIMUM.

DE NOMINE EUCHARISTIÆ ET DE ECCLESIASTICORUM AUCTORUM CONSENSU CIRCA ILLAM USQUE AD SÆCULUM XI.

QUam Latini *Gratiarum actionem* Græci *Eucharistiam* dixerunt, nomen derivatum, vel a ritu, quem Christus observavit, cum hoc Sacramentum instituit, gratias agendo Patri, vel quia hoc Sacramento, veluti medio efficacissimo utimur omnes in agendis Deo gratiis pro beneficiis acceptis, a quo non disentit Augustinus epistola ad Dardanum, & Chrisostomus homil. 25. in Matthæum: *Tremenda*, inquiens, *& salutaria illa Mysteria, quæ in Congregatione Ecclesiastica celebramus Eucharistia vocantur, quia multorum beneficiorum sunt recordatio, ipsumque caput Divinæ erga nos providentiæ ostendunt, nosque præparant, ut in omnibus gratias agamus*. Ab aliquibus Scriptoribus Ecclesiasticis vocatur *Pascha*, *Synaxis*, *Eulogia*. Alii vero *Liturgiam*, *Missam*, *Sacrificium Panis*, *& Vini dicunt*. Alii demum *Cœnam*, *Agapam*, *Communionem*, *Viaticum*, *Corpus Christi*, *Panem*, *Figuram Corporis*, *& Sanguinis Christi*, & *Sacramentum novi Testamenti* appellant. Quæ nuncupationes Eucharistiæ conveniunt propter diversos illos respectus, quos habet, vel quatenus Sacramentum est & Sacrificium simul, vel pro ut est simpliciter Sacrificium, vel pro ut tantummodo est Sacramentum. Non certe singula hæc nomina otiosa sunt, nam, vel exprimunt Mysticas significationes illarum rerum, quæ per Eucharistiam reppresentantur, vel inserviunt miris illis effectibus explicandis, quos ipsa Eucharistia operatur, sub quo nomine, cum latius, quam sub ceteris innotescat, hinc est quod hoc Eucharistiæ nomen communiter ab omnibus accipitur, & per illud Sacramentorum omnium

nium maximum fidelibus populis declaratur. Ab hoc itaque nos ipsi repetentes nostræ disputationis exordium, Deo agimus gratias, quod, per piissimam Matrem Ecclesiam, Hæreticorum erroribus profligatis, cordibus nostris lumen tantæ veritatis illuxerit, quam ore nunc profitemur, & deinde omni argumentorum genere propugnabimus contra Sacramentariorum familiam. Profitemur itaque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, non ut in signo, vel figura aut virtute, sed esse vere, realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinem una cum anima, & Divinitate Domini Nostri J. C. fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini, quam Conversionem Catholica Ecclesia *Transubstantiationem* appellat. Fatemur etiam sub altera tantum specie, & sub singulis cujusque speciei partibus separatione facta totum, atque integrum Christum contineri, verumque Sacramentum sumi. Sed & ut suus honor antiquis reddatur Scriptoribus, dicimus a primo Ecclesiæ Sæculo usque ad exitum IX. Ecclesiasticos omnes Auctores de Augustissimo Altaris Sacramento recte sensisse, & tum primum execrabilem errorem erupisse contra realem præsentiam Corporis Christi in Eucharistia circa finem IX. Sæculi cum Joannes Schotus docuit in libro, quem inscripsit de Eucharistia, non verum Corpus, non verum Sanguinem Domini esse in Sacramento Altaris, sed tantum memoriam veri Corporis, & Sanguinis. Excidit omnino pravus hic Jo. Schoti liber, quem Synodus Romana sub Nicolao II. anno 1059. proscripsit, ut illum jam anathematizaverat tum Vercellense, tum Parisiense Concilium A. 1050. sed error non excidit, imò præcipuum Patronum invenit Berengarium Andigavensem Archidiaconum, quem postea veluti Sacramentariorum Patrem plura Concilia condemnarunt post annum millesimum. His itaque prælibatis ponitur nostra Assertio.

§. Unicus. *Constans semper fuit apud Ecclesiæ PP. Eucharistiæ Fides.*

II. Id tamen negant Novatores, qui plurimum gloriantur se habere antesignanos Tertullianum, Origenem, Cyrillum Jerosolymitanum, Basilium, Theodoretum, Gelasium Papam, aliosque plures, & ab his Magistris se didicisse ea, quæ tradiderunt contra præsentiam realem Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia, & oscitanter hoc dicunt, & ambitiosius magis, quam quod unicum testimonium afferre possint, quo id evidentius confirment. Sed quoniam, Tertullianum (III. Sæculi Auctorem A. 217.) nominant, & locum ejusdem citant ex cap. 40. lib. 4. contra Marcionem, Tertulliani verba audiamus: *Acceptum panem*, inquit, *& distributum discipulis, Corpus, illum, suum facit: Hoc est Corpus Meum dicendo, idest, figura Corporis mei.* Hæc sunt verba Tertulliani ex loco c. quid inde contra Realem Corporis Christi præsentiam in Sacramento Altaris? Unicus qui a Novatoribus reperiatur in Tertulliano locus, quem impropria Verborum transpositio obscurum reddidit, bene poterit explicari, ut probetur nihil Tertullianum in hoc loco asseruisse, quod in pluribus aliis non dixerit, de reali præsentia Corporis Christi, quam ipse credidit. In libro itaque de Pudicitia hæc ait: *atque ita exinde opimitate Dominici Corporis vescitur* Eucharistia scilicet; & libro de Resurrectione, Carnis. *Caro Corpore, & Sanguine Domini vescitur, ut*

& ani-

& anima de Deo saginetur; & libr. 4. de Oratione c. 6. *Corpus ejus in Pane censetur*: item in lib. 2. ad Uxorem: *Non sciat maritus quid secreto ante omnem cibum gustet, & si sciverit Panem, non illum credit esse, qui sumitur*: & c. ultimo ejusdem libri de Oratione, inquit, *statio Solvenda est accepto Corpore Domini*. Ergo devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit, *an magis Deo obligat? Nonne solemnior erit statio tua, si & ad Aram Dei steteris? Accepto corpore Domini, & reservato utrumque salvum est, & participatio Mysterii, & executio Officii*. Non recenseo loca reliqua, ut consulam brevitati, sed interim explicat difficultatem Pamelius.

III. *Nihil hic de veritate Corporis Christi detrahitur, propterea quod tota hæc Oratio referatur, non ad navum Sacramentum Eucharistiæ, tanquam illud vocetur figura, sed ad Panem, de quo Jerem.* 11. *locus hic citatur, ea ratione, qua Panis oblatus, & comestus in Sacrificiis naturæ, & legis, jam tum figurabat conficiendum tempore Evangelii Christi Corpus ex materia, & sub specie Panis manducandum. De illa enim figura, quæ fuit olim sub Lege, non de illa quæ a Christo instituebatur Tertullianum loqui. patet ex eo, quod veterem figuram appellet, tum de Pane dicens: non intelligens veterem fuisse istam figuram Corporis Christi, tum de Calice paulo post: Ut autem, & Sanguinis veterem figuram in Vino recognoscas. Convenit autem hæc interpretatio cum totius hujus Libri (idest contra Marcionem) scopo, ubi non aliud conatur Tertullianus ostendere quam Concordiam veteris, & novi Testamenti, ex eo, quod veteris Testamenti figuræ, novi Testamenti veritate adimpleantur: Quid dum facit? Inter cetera, etiam Testimonium supradictum adfert Jerem.* 11. *Venite mittamus lignum in Panem ejus, idest sicuti explicat, tum in libro adversus Judæos c.* 10. & *lib.* 3. *adversus Marcionem c.* 19. *Crucem in Corpus ejus. Similiter etiam paullo post adfert Testimonium illud Genesis* 49. *Lavabit in Vino Stolam suam, & in Sanguine uvæ amictum suum. Atqui, ut probet Panem antiquitus veterem fuisse Dominici Corporis figuram adfert verba hæc Evangelistæ: acceptum Panem, & distributum discipulis suis Corpus suum illum fecit. Similiter uti probet Vino antiquitus figuratum Christi Sanguinem infra dicit: Ita & nunc Sanguinem suum in Vino Consecravit, qui tunc Vinum in Sanguine figuravit. Sicut autem ibi obscure loquitur, & quasi contrario sensu, pro eo, quod dicere debuerat, qui tunc Sanguinem in Vino figuravit: Ita & prius cum supradicta verba adjecit: Hoc est Corpus Meum dicendo, idest figura Corporis mei, etiam quasi contrario sensu loquitur, pro eo quod dicere debuerat convenienter suo instituto: Illud (Panem nempe) fecit Christus Corpus suum in nova lege dicendo. Hoc est Corpus meum, quod in veteri lege erat figura Corporis sui. Sic autem debere intelligi comprobatur ex verbis immediate subsequentibus: Figura autem non fuisset, cum alioqui dicere debuisset, esset, si in nova lege figuram Corporis sui agnosceret. Et vero se non loqui, de nova Corporis sui figura se, sed veteri patet manifeste ex illis verbis: Cur autem Panem Corpus suum appellat, & non magis peponem, quem Marcion Cordis loco habuit, non intelligens veterem istam figuram fuisse Corporis Christi: ut rursum subiiciens: Itaque illuminator antiquitatum, nempe Christus: quid tunc (nempe in veteri Testamento) voluerit significasse Panem, satis declaravit Corpus suum vocans Panem: indicat quod tunc panis significaret Corpus Christi, non vero quod nunc id significet. Simile est etiam illud. Ut autem, & Sanguinis veterem (non novam) figuram recognoscas. Et quod habet paulo post: At nunc (idest in novo Testamento) Sanguinem*

suum

suum in Vino Consecravit, qui tunc (idest veteri) Vinum in Sanguine figuravit: Denique similia sunt etiam verba dictis locis libro adversus Judæos, & lib. 3. adversus Marcionem, ubi locum hunc Jerem. c. 11. citat.

IV. His ex Pamelio adnotatis, modo additur non insitatum esse apud Tertullianum hunc scribendi modum. Exemplum habemus in cap. 29. libri, quem inscripsit *contra Praxeam Christus mortuus* est, idest, *unctus*: & in c. 11. lib. 4. contra Marcionem: *aperiam in Parabolam aurem meam*, idest *Similitudinem*. Sed in his locis, illa verba: *idest unctus, idest Similitudinem* appellant supra subjectum illarum Propositionum Christus (*idest unctus*) aperium Parabolam (*idest Similitudinem*) Ita a pari illa verba *idest figura Corporis Christi* addi debent supra subjectum hujus Propositionis: *Hoc est Corpus meum*; & ita in Propositione Tertulliani, nihil reperitur contra fidem veritatis Corporis Christi in Sacramento Altaris. Sed ut plenius tota Adversariorum difficultas exhauriatur, & invicte probetur nunquam Tertullianum asseruisse Eucharistiam figuram esse Corporis sui; oportet Tertullianum ipsum audire, quomodo figuram hanc explicet. Verba Tertulliani leguntur in c. penultimo lib. 5. epistolæ ad Philippenses, ubi postquam in Persona Marcionis objecisset: *plane de substantia Christi putant, & hic Marcionitæ Apostolum sibi suffragari, quod phantasma Carnis fuerit in Christo quam dicit, quod in effigie Dei constitutus non rapinam existimavit pariari Deo, sed exhausit semetipsum accepta effigie Servi, non veritate, & in similitudine hominis, non in homine, & figura inventus homo non substantia, idest non in carne*: ita respondet: *quasi* inquit *non* & *figura*, & *similitudo*, *& effigies substantiæ quoque accedant*. Belle autem quod & alibi Christum *Imaginem invisibilis Dei* appellat. Numquid ergo & hic, quia in effigie eum Dei collocat, æque non erit Deus Christus vere, si nec homo vere fuit in effigie hominis constitutus? Utrobique enim veritas deficiet si effigies, & figura Phantasmati vindicabitur. Verum ille qui totam adimit difficultatem est ipse Calvinus, qui ab explicandi modo superius allato non recedit; confitetur enim figuram, de qua Tertullianus loquitur, non cadere in vocem *Corporis*, sed in vocem *Panis*. Ita Claudius de Sanctes in Examine Doctrinæ Calvinianæ, & in Apologia adversus Bezam pag. 139. Nihil igitur obstat quin ex Tertulliano idem sit Veritas, seu substantia, & tamen Figura, sive effigies, aut similitudo dicatur. Parum etiam refert, quod laudatus Auctor loco c. contra Marcionem c. 14. scripserit: *panem quo ipsum Corpus suum repræsentat*; nam repræsentare apud Tertullianum idem est ac *præsentem facere*; ita in libro de Resurrectione Carnis c. 14. scribit *de totius hominis repræsentatione*, & cap. 17. *Carnem* etiam idcirco ait *præsentandam esse judicio*: & rursus in libro de Jejunio: *ipsa*, inquit, *repræsentatio totius nominis Chistiani magna veneratione celebratur*. Iterum: *in Spiritu invicem repræsentati*, & in libro de Oratione: *Regni Dominici repræsentationem postulasse*; quare nihil aliud sub illis verbis Tertullianus dicitur intellexisse, quam Christum Dominum suum Corpus præeuns exhibuisse sub speciebus panis.

V. Alter, quem in suas partes trahunt Novatores, est Origenes ejusdem III. Sæculi Auctor A. 212. jure, an injuria ex sequentibus verbis patet. Homilia 13. in Exodum hæc scribit Origenes: *Volo vos admonere Religionis vestræ exemplis. Nostis qui Divinis Mysteriis interesse consuevistis, quomodo cum suscipitis Corpus Domini, tum omni cautela, & veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne*

con-

consecrati muneris aliquid dilabatur, reos enim vos creditis, & recte creditis, si quid inde per negligentiam decidat. Quod si circa Corpus ejus conservandum utimini cautela, & merito utimini, quomodo putatis minoris esse piaculi Verbum Dei neglexisse quam corpus ejus? Et Homil. 7. in Numer. *Nunc* ait *in specie petra Christus est. Nunc enim os ad os loquitur per legem Deus. Antea in Enigmate, fuit Babtismus in nube, & in mari, nunc autem in specie Caro verbi Dei est verus cibus, sicut & ipse dicit. Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus.* In his duobus locis Origenes ostendit, se de Sacramento Eucharistiæ nihil aliud sensisse præter id, quod una Sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia. Quid ergo ad testimonia illa respondendum erit, quæ magnificentius jactant Hæretici tanquam infensa Sacramento Altaris? Primum repetunt ex Commentariis in Matthæum ubi inter cetera dicit *quod panis ille typicum, & symbolicum Christi Corpus est*. Secundum petunt ex Homil. 7. in Leviticum: *Ubi venerat*, inquit, *in hunc Mundum Salvator, ut pro peccatis nostris carnem suam offerret Hostiam Deo, hanc priusquam offerret inter dispensationum moras Vinum bibebat, denique dicebatur homo vorax, & Vini potator, Amicus Publicanorum, & Peccatorum, ubi vero tempus advenit Crucis suæ, accipiens inquit Calicem benedixit, & dedit Discipulis suis dicens: Accipite, & bibite ex hoc. Vos inquit bibite, quia non accesuri estis ad Altare (Aaroni, & Sacerdotibus traditum erat Præceptum ne ad Altare accessuri Vinum biberent) ipse autem tanquam accesurus ad Altare dicit de se: Amen dico vobis, quia non bibam de generatione vitis hujus usque quo bibam illud vobiscum novum in Regno Patris mei. Vinum ergo quod biberunt Apostoli non erat illius Sanguis, sed purum vinum* = Addunt etiam tertium testimonium ex Comment. in Jo. ubi loquens de Offella, quam dedit Judæ inquit illam *fuisse ejusdem generis cum ea quam dedit ceteris Apostolis dum diceret Accipite, & comedite, sed illis quidem ad salutem, Judæ vero ad condemnationem, ita ut post Offellam ingrederetur in eum Satanas; cum igitur Offella illa fuerit merus panis, ita solum panem Discipulis reliquis tradidit* = Demum proferunt locum petitum ex prologo in Cantica, ex quo eruunt Origenem docere Cibum hominis interioris spiritualem, & incorporeum esse panem, nempe vivum, qui de Cælo descendit, corporeum vero, & terrenum cibum esse hominis exterioris, scilicet Corporis, & propterea illum non sumi, & manducari ore corporis, ut istud, sed fide tantum apprehendi. Hæc sunt verba Origenis: *Est materialis hujus hominis, qui, & exterior appellatur cibus, potusque naturæ suæ cognatus, corporeus iste scilicet, & terrenus, similiter autem, & spiritualis hominis ipsius, qui & interior dicitur est proprius cibus, ut Panis ille vivus, qui de Cælo descendit, sed & potus ille est ex illa aqua, quam promittit Jesus dicens: Quicumque biberit ex hac aqua, quam ego do, non sitiet in æternum. Sic ergo per omnia similitudo quædam vocabulorum secundum utrumque hominem ponitur, rerum vero proprietas unicuique discreta versatur, & corruptibili corruptibilia præbentur, incorruptibili vero incorruptibilia proponuntur: Unde accidit, ut simpliciores quidam nescientes distinguere, ac secernere quæ sint, quæ in Scripturis divinis interiori homini, quæ vero exteriori deputanda sint, vocabulorum similitudinibus falsi, ad ineptas quasdam fabulas, & figmenta inania se contulerint, ut etiam post resurrectionem cibis corporalibus utendum crederent, potumque sumendum, non solum ex illa vite vera, & vivente in secula. verum & ex his vitibus ligni*. Hæc sunt palmaria quæ Heterodoxi congerunt loca ex Origene tanquam Caussæ suæ opportuna.

VI. Ceterum nihil ex illis inferri potest contra Catholicam opinionem, & miror Xistum Senensem Bibliot. lib. 6. annot. 66. suspicari potuisse depravatum ab Hæreticis, præcipue vero ab Erasmo, ut putant Genebrardus, & Petronius Origenianum textum. Non sine ratione *Typicum, & Symbolicum* Corpus Christi appellavit Origenes Panem Eucharisticum, quia ut hunc locum exponit Huetius, sub specie, & similitudine Panis delitescit, & cum Corpus Christi reipsa sit, Typo, & Symbolo Panis esse videatur, quod idem est, ac si Sacramentale dixisset, quia non nudum Christi contingimus Corpus, id sed Symbolis involutum. Veritatem interpretationis confirmant ejusdem Origenis verba in homil. 7. in *Leviticum: est*, inquit, *& in novo Testamento litera, quæ occidat eum, qui non spiritaliter, quæ dicuntur adverterit; si enim secundum literam sequaris hoc ipsum, quod dictum est. Nisi manducaveritis Carnem meam, & biberitis Sanguinem meum, occidit hæc litera, nam comedere secundum literam, illud est, ita comedere, ut esculenta comedere consuevimus. Hac ratione cum Christi caro neutiquam a nobis comedatur, non comeditur profecto secundum literam, sed Sacramentaliter*. Dici etiam potest 2. Eucaristicum Panem eatenus Origenem appellare Typicum, & Symbolicum, quatenus cum re ipsa sit Corpus Christi, aliarum rerum Typus est, & Symbolum, puta sui ipsius extra Sacramentum, ut fuit olim in Cruce, & ut est nunc in Cœlo; vel *Resurrectionis nostræ* juxta Nicænum Concilium; vel *unius illius corporis*, cuius ipse Salvator caput existit, cuique nos tanquam membra arctissima Fidei, Spei, & Charitatis connexione adstrictos esse voluit juxta Tridentinos Patres; vel *Fidei, & Promissionis* juxta Clementem Alexandrinum. Neque id est alienum ab aliis Origenis locutionibus. Sic in Commentariis supra Joannem ait: *Symbolice Joannem recubuisse in sinu Christi, ut Symbolum exprimeret propensi illius affectus, quem erga Christum gerebat, et Symbolice noctem fuisse, cum Jesum proditurus Judas exiit, quod nox illa Symbolum esset noctis alterius quæ Judæ animo incubabat*. Et in Commentariis supra Matthæum Summum Judæorum Sacerdotem *Symbolum* appellat, quod Symbolum esset veri Sacerdotis Christi: Sacrificia Mosaicæ legis *Symbola* appellat, quod Symbola erant Sacrificiorum, quæ fiunt pro peccatis &c. pari modo igitur cum Corpus Christi appellat *Symbolicum, & Typicum* non illic revera adesse Christi Corpus negat, sed præsens illic Christi Corpus Symbolum, & Typum vult rerum esse aliarum, scilicet sui ipsius extra Sacramentum, ut diximus, idque uberius patet ex proximis verbis, quibus superioribus inferiora connectit Origenes, inquiens, *multa autem de ipso Verbo dici possunt, quod Caro factum est, verusque cibus &c.* in quibus differit de Christi Corpore extra Sacramentum.

VII. Sed frustra etiam ex secundo Origenis loco præsidium caussæ suæ arcessere conantur Heterodoxi, nam *Vinum Aaronis: & Sacerdotum* Origenes accipit veluti umbram Vini Eucharistici Christi, & Apostolorum, utrumque simile in hoc, quod utroque abstinerent, qui accessuri erant ad Altare, ii vero, qui non essent accessuri ad Altare, utrumque biberent. Non omnimodam itaque comparationem assumpsit Origenes, sed satis illi fuit recte institui posse comparationem inter Vinum Aaronis, & Vinum, sive epotum a Christo in vitæ decursu cum Publicanis, & Peccatoribus, sive non potum, sed Discipulis traditum in ultima Cœna: Nam quamvis hoc, specie tantum esset Vinum, & revera Christi Sanguis, illud vero, & specie, & re Vi-

Vinum esset, de hoc non quæsivit, sed solum quæsivit Origenes explicare, quare Christus Vino abstinuerit accessurus ad Altare, & illud biberint Apostoli non accessuri, sumpto argumento ex veteri illo præcepto Levitici.

VIII. Quod tertio loco objicit Albertinus ex Offula Judæ a Jesu porrecta, facillime solvitur; sed tamen notare oportet, quod non notavit Cavillator subtilis, nimirum, quod quando argumentum petitur ab exemplis, plerumque in illis ea sunt attendenda, quorum caussa instituta est comparatio, & illa, per quæ res comparatæ inter se discrepant. Quæ ab Origene comparatio instituitur Offulæ Judæ oblatæ cum Pane Eucharistico, non assumitur ad explicandam utriusque panis naturam, sed ad declarandum ejus effectum, ac vim juvandi, vel nocendi pro sumentis arbitrio, & dispositione; quamquam uterque panis ab eodem Christo Domino esset distributus, propter quam rationem utrumque similem potuit dicere, quo ad vim illam, & efficientiam, non vero quo ad naturam. Alioquin, si quo ad omnia convenientia illa, ac similitudo intelligenda esset, sequeretur, ut opportune notat Huetius, eadem virtute pollere panem nostrum, quo quotidie vescimur, ac Offulam illam, cui vim singularem contactu suo Christus indidit, quia Offulam Judæ porrectam, pani illi, quo vitam sustinemus, dicimus esse similem, quod absurdum maximum est. Quod si demum Offulam Panem Eucharisticum fuisse dixerimus, nihil erit contrarium huic sententiæ, quam Cyrillus Alexandrinus in c. 6. Joan. & Annastasius Sinaita Oratione de Synaxi amplexi sunt, & tunc in effectu, & in natura similes erunt Panis Eucharisticus, & Offula Judæ porrecta.

IX. Tantum vero abest, ut ex ultimo loco inferre possint Novatores, quod ipsi putant, cum potius verba illa Origenis ipsos urgeant adversarios, eorumdemque opinionem pervertant, quod ut illis fiat perspicuum. Notandum est duplicem cibum, & duplicem esum esse hominis interioris, Sacramentalem scilicet, cum Christi corpus ore suscipimus, per fidem alterum, qua aprehendimus, & in corde retinemus hoc verbum, de quo Joannes c. 1. loquens inquit. *Verbum caro factum est*. De utroque hoc cibo nos admonet, & ad utrumque sumendum variis argumentis nos excitat ipse Joannes in c. 6. ubi longa enarratione de eo agens, ostendit primo, quomodo oporteat nos illum per fidem apprehendere, & mente retinere, *cibus* enim *mentis*, ut ait D. Gregorius homil. 13. in Evang. *est Sermo Dei*, deinde oportere nos eumdem ore comedere. A v. 31. ad 52. primum demonstrat, deinde usque ad v. 59. de Eucharistia agit. Si primus ille spiritualis eius intelligatur, ut certe sentit Origenes, quid inde emolumenti capient Heterodoxi? esus ille proprius est animæ cibus, & Verbum caro factum, quatenus fide aprehenditur, & comeditur, corporis proprius cibus esse non potest. Sin vero eius Sacramentalis hic significatur, jam contra ipsos, Heterodoxos est argumentum, cum cibum illum vocabulo tantum cum cibis reliquis convenire doceat Origenes, suam vero unumquemque proprietatem servare, illos corrumpi, hunc integrum manere, & quamvis corpore, ut alii panes, excipiatur, illi in alimentum corporis mutantur, corpus vero Christi soli interiori homini, animæ scilicet, alimentum præbet, & accidentia dumtaxat aluit corpus postquam fuerint in novam substantiam conversa,

X. Colligitur ex his, quam immane Origenis Sententia ab Hæretico-

rum discrepet. Panis Eucharisticus solo nomine communi pani assimilatur in sententia Origenis, Hæretici vero re ipsa non differre contendunt. Origenes solius animæ cibum esse fatetur, Hæretici corpus alere putant. Spiritualem, Mysticum, & Sacramentalem Panem, Eucharisticum vocat Origenes, e contra terrenum, & corporeum nostrum. Nullam discretionis differentiam inter illos esse Novatores arbitrantur.

XI. Non dissimili ratione insulsa cognoscuntur ea, quæ contra Cyrillum Jerosolymitanum (Auctorem IV. Sæculi A. 386.) figmenta congerit Rivetus lib. 1. Critici Sacri c. 8. D. Cyrillus in Cathechesi 5. scripsit: *Quemadmodum enim Panis, & Vinum Eucharistiæ ante Sacram Invocationem adorandæ Trinitatis Panis erat, & Vinum merum, peracta vero invocatione, Panis quidem fit Corpus Christi, Vinum autem Sanguis Christi: sic & cibi ejuscemodi pompæ Satanæ suapte quidem natura puri sunt, invocatione tamen Dæmonum impuri efficiuntur*. Ex his verbis Rivetus infert comparationem a Cyrillo assumptam indicare esse ejusdem generis ambas illas mutationes, cum aliunde evidens sit comparare Cyrillum mutationem, quam invocatio Dæmonum operatur in cibis cum ea, quam operatur invocatio Trinitatis in Pane & Vino, quantum ad aliqua solum, non quantum ad omnia; scilicet ob solam analogiam, quam continet hæc vox *mutatio*, quæ id exprimit, quod convenit Pani, & Vino Eucharistico, dum mutatur in Christi Corpus & Sanguinem, & id quod convenit cibis, qui Satanæ Pompis devoventur. Id quod Cyrillus sentiebat de substantiali mutatione Panis, & Vini in Christi Corpus, & Sanguinem Catechesi IV. cumulatissime docuit his verbis: *cum igitur Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane*: hoc est Corpus meum, *quis deinceps audeat dubitare? ac eodem quoque confirmante, & dicente*: hic est Sanguis meus, *quis inquam dubitet, & dicat non esse illius Sanguinem? Aquam aliquando mutavit in Vinum, quod est Sanguini propinquum in Cana Gallileæ sola voluntate, & non erit dignus, cui credamus, quod Vinum in Sanguinem transmutasset? Si enim ad Nuptias corporeas invitatus, stupendum Miraculum operatus est, an non multo magis Corpus, & Sanguinem suum Filiis Sponsi dedisse illum confitebimur?* Quod si Catechesi 5. *Gustamus enim*, inquit, *non Panem, aut Vinum, ut gustent jubentur, sed antitypum Corporis, & Sanguinis Christi* (figuram interpretatur Rivetus) Non certe tum ille, tum quicumque alius ex Patribus, qui vocem hanc usurpavit inanem & vacuam intellexit figuram, ut ex superioribus verbis Cyrilli patet, sed Corpus, & Sanguinem Christi re ipsa continentem. Antitypi, Sacramenti, & specierum nomina, pro Synonimis haberi possunt, unde illo sensu Cyrillus dixit dari Corpus Christi sub Antitypo, quo nos solemus dicere in Sacramento, vel sub speciebus Panis, & Vini. Hæc sunt ejus verba ex laudata Cateche. 4. *Quare omni cum certitudine Corpus, & Sanguinem Christi sumamus, nam sub typo Panis datur tibi Corpus, sub typo Vini datur Sanguis; ut sumpto Corpore, & Sanguine Christi efficiaris comparticeps Corporis, et Sanguinis. Sic Christiferi erimus, cum eius Corpus, et Sanguinem in membra nostra receperimus*. Hæc conciliari non posse cum inani interpretatione Riveti, vel puerulus quisque cognoscit. Desinat itaque vir audacissimus Cyrillum in suas partes trahere, temere addens Cyrillum in sua Catechesi 3. de Sacro Chrismate asserere: non esse nudum unguentum post Consecrationem, sicut ibidem dicit Panem Eucharisticum non esse post Consecrationem nudum

nudum Panem; favet enim hic loquendi modus, non Riveto, sed nobis, cum enim dixisset Cyrillus non esse nudum Panem, addidit, sed Corpus Christi: e contra vero cum dixisset de Chrismate non esse nudum unguentum, addidit esse Chrisma Christi, esse sanctificatum Oleum, & tamen in Riveti systemate dicere debuisset esse Spiritum S. sicuti si majorem in Eucharistia, quam in Chrismate non fieri mutationem sensisset, non dixisset Panem Eucharisticum esse Corpus Christi, sed solum esse Christi donum, sicuti non dixit Chrisma esse Spiritum Sanctum, sed vocavit Chrisma Christi per Spiritus S. præsentiam Divinitatis illius effectivum.

XII. Unicus vero Cyrillus non est qui Eucharistiam *Antitypa* vocet. Eustachius, & S. Doctor Basilius (ejusdem IV. Sæculi Auctor A. 369.) eadem voce usi sunt, intelligentes per illam explicare id, quod vice Typi, & figuræ substituitur. Corpus Christi in Eucharistia *Antitypa* dixit Damascenus lib. 4. de Fide Orthodoxa c. 14. *futurorum*, non quia non sint vere Corpus & Sanguis, sed quia per ipsa Divinitatis Christi nunc sumus consortes, tunc autem intellectuali ratione per solam visionem percipiemus. Et S. Chrysostomus, homilia 17. in Epistola ad Hebræos docuit Christi Corpus in Eucharistia *Antitypa* dici, quia *sui ipsius in Cruce oblati exemplar est*: *Hoc Sacrificium*, verba sunt S. Doctoris *Typus illius est, eumdem enim semper offerimus, non modo quidem alium, modo vero alium, sed semper eundem*. Et Andreas Cretensis Oratione in Ramis Palmarum: *immolatur, & sacrificatur*, inquit, in *Antitypis Symbolis*. Verum tamen est, quod S. Basilius, aliique Patres, qui vocarunt Eucharistiam *Antitypon*, hoc non post Consecrationem dixerunt, sed antequam oblatio ea consecraretur hoc vocabulum usurparunt. Authenticum hujus doctrinæ testimoninm exhibuit Epiphanius in VII. Synodo actione 6. *Attamen inquit ante Consecrationem Sanctificationis, quibusdam Patribus pie visum est antitypon, hoc est exemplar similis formæ nominare, quorum de numero Eustachius constans propugnator Orthodoxæ fidei, & Arianicæ insaniæ expugnator clarus; item Basilius eiusdem superstitionis averruncator . . . . Hic quidem exponens dictum illud in Proverbiis Salomonis*. Edite meum Panem; & bibite Vinum, quod miscui vobis, *hec, inquit; per Panem, & Vinum antitypa Membrorum corporalium Christi prædicat*. Ille vero *in præparatione Divinæ Anphoræ. Confidentes tuo sacro Altari appropinquamus, & proponentes Antitypa Sancti Corporis: & Sanguinis Christi tui te deprecamur, & invocamus &c.* Et quæ deinceps sequuntur Sententiam Patrum amplius confirmant, quod ante Sanctificationem *Antitypa* vocaverint, post Consecrationem autem Corpus Domini & Sanguinem Christi; & ita esse creduntur. Suam Catholicam opinionem S. Basilius explicat in homil. 2. de Baptis. quæs. 2.

XIII. Ut vero in unum veluti aspectum exponamus fundamenta, quibus singulas Heterodoxorum calumnias in Ecclesiæ Patres, qui floruerunt ante Sæculum IX. refellamus. Advertimus 1. proprium esse cujuscunque similitudinis, quæ assumitur a Patribus ad explicandam veritatem præsentiæ Corporis Christi in Eucharistia, ut non undequaque accurata sit, & perfecta, sed sufficere, si aliqua ex parte conveniat. Nullum simile esse idem. axioma est in Mathematicorum, Philosophorum, & Juristarum Scholis probatissimum: quare, ut rem explicemus exemplo, non istud fuit Consilium Theodoreti (Auctoris V. Sæculi A. 441.) cujus, auctoritate petita ex Dial. 1. qui *immutabilis* inscribitur

bitur Calviniani Ministri abutuntur: *Vinum sanctificatum* appellare Sanguinem Christi, eo modo quo Jacob Genes. cap. 49. *Sanguinem uvæ*, idest *Vinum*, Christi Sanguinem nuncupavit; ita ut similes sint hæ loquendi formulæ quantum ad omnia. Assumpsit Theodoretus in illis id, in quo poterant convenire, ceterum id, in quo differebant, non ignoravit. Age ergo videamus in quo conveniant. In hoc scilicet, quod ita olim Christus de se ipso dixerat: *Ego sum Vitis vera*, *Ego sum Panis vivus*, & Propheta Sanguinem Christi vocaverat *Sanguinem uvæ*, ut postea in Cœna *Symbola*, quæ vere erant Panis & Vinum vocavit suum Corpus, & Sanguinem. Sequitur ne ex his nuncupationibus, quod omnium memoratarum rerum naturæ inter se convenirent? Nullus dubito id affirmabit; sed differebant omnino & ubi Christus, dum se dixit esse Vitem veram, & Frumentum, per hæc nomina non se mutavit in Panem, & Vinum, scilicet non effecit, ut hæc sibi ex proprietate naturæ convenirent nomina; cum deinde in Cœna Panem & Vinum vocavit suum Corpus, & Sanguinem id effecit, ut re ipsa mutarentur in suum Corpus, & Sanguinem, scilicet effecit, ut reipsa Corpus suum, & suus Sanguis esset id, quod his nominibus nuncupaverat. At non ea mens Theodoreti fuit perpendere veritatem istarum propositionum: *Ego sum Vitis vera*: *Panis vitæ*: *Hoc est Corpus meum*: *Hic est Sanguis meus* singulas ad invicem comparando, sed illas induxit, tanquam valde opportunas, ut per illas explicaretur vaticinium Jacob: *lavavit in Vino stolam suam*, *& in Sanguine uvæ pallium suum*, & ut ostenderet Sanguinem uvæ esse verum Sanguinem Christi.

XIV. Advertimus secundo substantiæ nomen non semper apud antiquos Patres exprimere rem per se subsistentem, sed quandoque accidentia ipsa exprimit per quamdam analogiam, & omne id, quod a nihilo distinguitur. Hanc latissimam substantiæ acceptionem tradidit D. Augustinus Enarratio. 1. in Psalmum 68. ubi ait: *quod nulla substantia est, nihil omnino est. Substantia ergo aliquid esse est*. Hinc S. Petrus Chrysologus sermone 82. de Dotibus Corporis Christi gloriosi ait: *ut hoc sit mutasse substantiam, non mutasse personam*; quemadmodum antea D. Hilarius capite 10. in Matthæum de eisdem Dotibus Corporum Beatorum scripserat in *Resurrectione futurum, ut caro nostra refundatur in substantiam spiritalis animæ*, scilicet ut subtilitas, agilitas, impassibilitas cum corpore glorioso communicentur; & Tertullianus in lib. de Anima & sensu scripsit. *Aliud est substantia, aliud est natura substantiæ. Substantia est lapis, ferrum; duritia lapidis, & ferri, natura substantiæ*; & Augustinus loco supra cit. *per iniquitatem homo lapsus est, a substantia, in qua factus est*; ut postea scripsit Gelasius Papa in Epistola ad Episcopos Picenæ Provinciæ *substantiam hominis Peccato Originali fuisse depravatam*. Nihil itaque obest Catholicæ veritati quod Theodoretus in Dialogo 2. scripserit *Symbolorum naturam non mutari: Symbola non recedere a sua natura, & manere in priori substantia, & forma, & figura*; quemadmodum nullum emolumentum Caussæ Novatorum accidit, quamquam Gelasius Papa Auctor v. Sæculi A. 492. vel quisquis ille sit, qui de duabus in Christo naturis librum composuit contra Nestorium, & Eutychetem in eodem libro tradiderit substantiam Panis, & Vini in Eucharistia remanere. Hæc sunt illius verba: *Certe Sacramenta quæ sumpsimus, Corporis, & Sanguinis Christi Divina res est, propter quod, & per eadem Divinæ efficimur consortes naturæ, & tamen esse non desinit substantia, vel natura Panis, & Vini. Et certe ima-*

imago, & similitudo Corporis, & Sanguinis Christi in Actione Mysteriorum celebrantur. Satis ergo nobis evidenter ostenditur hoc nobis in ipso Christo Domino sentiendum, quod in ejus imagine profitemur, celebramus, & sumimus, ut sicut in hanc, scilicet in Divinam transeunt Spiritu Sancto perficiente substantiam, permanent tamen in suæ proprietate naturæ; Sic illud ipsum Mysterium principale, cujus nobis efficientiam, virtutemque veraciter repræsentant, ex quibus constat proprie permanentibus unum Christum, quia integrum, verumque permanere demonstrant. Nam quantum ad Theodoretum clare patet ex subsequentibus verbis: *& videri tangique possunt, sicut & prius*, Theodoretum in prioribus non appellare ad substantiam, quæ per se, & imediate nec videri, nec tangi potest, sed ad vera accidentia, & qualitates, quæ substantiæ, formæ. & naturæ nominibus insigniuntur. a quo loquendi modo non abhorruit Cardinalis Pullus parte 8. cap. 3. de Eucharistia, & Innocentius III. libro 3. Mysteriorum Missæ cap. 9. licet non dissimulet Cardinalis Petronius verbis Theodoreti potius hanc interpretationem convenire *Manet enim in prioris substantiæ, & forma, & figura*.

XV. Ut vero clarius Theodoreti mens aperiatur sciendum est Theodoretum in laudato loco Eutychianum urgere, qui sumpto argumento ab Eucharista contendebat ostendere humanitatem in Christo post unionem a Divinitate absortam esse, vel si non statim post unionem, certe post Resurrectionem Carnem Christi mutationem in Divinitatis naturam sortitam esse hac paritate: Sicut Symbola Dominici Corporis, & Sanguinis alia sunt ante Sacerdotis invocationem, post invocationem vero mutantur, & alia fiunt; ita Dominicum Corpus post Ascensionem in Divinam substantiam mutatum est; ut itaque Theodoretus hoc ineptissimum ratiocinium solveret ita respondit: *Retibus quæ ipse texuisti captus es. Neque enim symbola mystica post sanctificationem recedunt a sua natura, manent enim in priore substantia* (nisi melius cum Petronio = *in prioris substantiæ, & figura, & forma*) *& videri tangique possunt, sicut & prius: intelliguntur autem ea esse quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint, quæ creduntur. Confer igitur imaginem cum Archetypo, & videbis similitudinem. Illud enim corpus primum habet formam, circumscriptionem, & ut semel dicam Corporis substantiam: immortale autem post Resurrectionem, & immune a corruptione factum est &c*. Institutum ergo Theodoreti fuit comparationem ab Eutychiano petitam contrarium ejus probare, quod ille optabat, nec certe, melius quam ostendendo Symbola Panis, & Vini figuram servare, omnesque Panis, & Vini retinere proprietates, & in hac responsione nihil profecto cognoscitur, quod veritati præsentiæ corporis Christi in Eucharistia, & Transubstantiationi adversetur, quam constanter traditam fuisse a Theodoreto legitur in ejusdem Comentariis in cap. 11. Epistolæ ad Corinthios

XVI. Quantum vero ad Gelasium æque certum est ex supra notatis nihil aliud asserere voluisse, cum scripsit *non desinere substantiam, vel naturam Panis, & Vini*, quam non desinere naturales qualitates, sive illa quæ nos accidentia vocamus Panis, & Vini: quamquam etiam dici posset per nomen *substantiæ* intellexisse Gelasium alimentum, & facultatem nutriendi non desinere, quæ prius reperiebatur in Pane, & Vino, & propterea verba illa supra relata: *& tamen esse non desinit substantia, vel natura Panis, & Vini*; & illa: *in Divinam transeunt Spiritu Sancto perficiente substantiam*, nos recte interpretari posse, Sacramenta in Divinam substantiam, hoc est in Divinum

ali-

alimentum per virtutem Spiritus Sancti transire. Hanc explicationem suppeditat D. Augustinus in Sermone 5. de Natali Domini, & D. Ambrosius in cap. 8. libri de *iis qui mysteriis initiantur*: Ille Deiparam alloquens ait: *Lacta Maria Creatorem tuum, Lacta Panem Cœli, pretium mundi, postremo, ut Mater, temporalem illi ministra substantiam*. Hic vero de Eucharistia loquens *vitæ*, ait, *æternæ substantiam subministrat*, & lib. 3. de fide cap. 7. *Præterea*, inquit, ἐπιούσιος *Panis. quod ex Verbi substantia, substantiam virtutis manentis cordi, & animæ subministret*. Præter hæc nihil aliud docere potuit Gelasius, attento etiam contextu Sermonis. Agit ibi Gelasius de transitu Panis, & Vini in Divinam substantiam, non operatione naturæ, sed Spiritus Sancti hanc mutationem perficientis: ergo supponere debet id. quod desinit esse illud idem, quod antea erat, ut mutetur in id, quod antea non erat. Panis. & Vinum antea non erat Corpus, & Sanguis Christi, modo fiunt Corpus, & Sanguis Christi: Ergo desinunt esse Panem, & Vinum. Sed inquit Gelasius remanere substantiam, & naturam Panis, ergo ne repugnantia doceat, dicendum est, ibi per substantiam, & naturam Panis intelligere naturæ Panis, & Vini congenitas proprietates. Heterodoxum enim est dicere Sacramenta in Divinam transire substantiam, quia Divinæ substantiæ Mystica significatione junguntur, nam ex hoc explicandi modo sequeretur, Signa posse transire in naturam illarum rerum, quas significant, sic Chrisma transire in Spiritum Sanctum, Agnum Paschalem, & Christi singulas figuras, in Christum ipsum converti, quo nil audiri potest absurdius. Etiam ex fine Sermonis eruitur Catholica Gelasii Doctrina. In laudato loco Gelasius, non secus ac Theodoretus Nestorium, & Eutychetem impugnandum assumpserat, unde illi opus fuit ita loqui de Eucharistia, ut utriusque errores refelleret. Propterea totum argumentum Gelasii in eo est, ut probet in Eucharistia duas superesse naturas distinctas, ut easdem deinde ostenderet reperiri in Christo, Divinam scilicet, & Humanam, vere distinctas. Dicit itaque Sacramentum fieri reipsa unum in corpore Christi, quia natura interni Sacramenti, una substantia cum illo evadit, & naturalis nihilominus diversitas manet, quia natura externa Sacramenti a substantia Corporis Christi distincta superstes est, ita in Persona Christi fit unio Physica divinæ, & humanæ naturæ, manet tamen naturalis inter utrasque distinctio. Id certe innuunt postrema Gelasii verba supra relata. *Sic illud ipsum Mysterium principale* (scilicet Incarnatio de qua agebant Nestorius, & Eutyches) *cuius nobis efficentiam, virtutemque veraciter repræsentat* (idest Sacramenta, quæ sumpsimus Corporis, & Sanguinis Christi, scilicet Eucharistia) *ex quibus constat proprie permanentibus* (Scilicet duabus naturis, una externa, quæ sensibus percipitur, scilicet accidentia, altera interna, quæ intelligitur, & creditur scilicet Corpus, & Sanguis Christi) *unum Christum, quia integrum*) scilicet cum duabus naturis una visibili, & manifesta, nempe humana, altera invisibili, & occulta, nempe Divina) *utrumque permanere demonstrant*. Hanc explicationem aliquo modo insinuavit Auctor Sermonis de Cœna Domini apud S. Cyprianum. *Panis iste, quem Dominus Discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus omnipotentia verbi factus est Caro, & sicut in Persona Christi humanitas videbatur, & latebat Divinitas; ita Sacramento visibili infallibiliter Divina se infudit essentia*.

XVII. Inveniunt adhuc Novatores, quos in suas partes trahant, Facundum scilicet Hermianensem (Auctorem VI. Seculi A. 550.) & Anastasium Sina-

naitam. Celebrem Facundi locum objiciunt ex capite ultimo noni illorum librorum, quos scripsit pro defensione trium *Capitulorum*, quibus Nestoriani venenum suum diffundebant, & Acephali Eutychis defensores Synodum Chalcedonensem impugnabant, ubi Facundus ait: *Potest Sacramentum Adoptionis, idest Baptismus, Adoptio nuncupari, sicut Sacramentum Corporis, & Sanguinis ejus, quod est in Pane, & poculo Consecrato, Corpus ejus, & Sanguinem dicimus. Non quod proprie Corpus ejus sit Panis, & poculum Sanguis, sed quod in se Mysterium Corporis ejus Sanguinisque contineant. Hinc, & ipse Dominus benedictum Panem, & Calicem, quem Discipulis tradidit Corpus, & Sanguinem suum vocavit. Quo circa sicut Christi fideles Sacramentum Corporis, & Sanguinis ejus accipientes, Corpus, & Sanguinem Christi recte dicuntur accipere, sic & ipse Christus, Sacramentum Adoptionis filiorum cum suscepisset, potuit recte dici Adoptionem filiorum suscepisse*. Verum ex supra notatis fit obvius verus istorum verborum sensus, & Facundum ibi loqui de speciebus visibilibus Panis, & Vini, quæ per se spectatæ sunt Signa Corporis, & Sanguinis Christi vere, & reipsa continentia, sed non sunt verum Corpus, & verus Sanguis Christi. *Similitudo illa Panis*, inquit S. Anselmus in Tractatu de Sacramento Altaris cap. 1. *quæ in Altari Carnis se oculis ingerit, per se inspecta non est Corpus Domini*. Sed si uberior adhuc hujus loci expositio petatur, notari potest dupliciter nos posse sumere Christi Corpus, & Sanguinem: uno modo cum Corporis, & Sanguinis Christi substantiam ore accipimus, & in stomacum trajicimus: alio modo cum objectum externum recipimus, quod Corporis, & Sanguinis Christi figura est, idemque Corpus, & Sanguis Christi vocatur. Hunc modum secundum exprimunt verba Facundi Hermianensis non usitatum certe, & cohærentem familiari loquendi usui Ecclesiasticorum Auctorum, sed tamen ipsius instituto valde opportunum. Cum enim vellet Facundus ostendere Sacramenta, rei significatæ nomine appellari, dixit Sacramentum Adoptionis perfectæ, & Redemptionis consummatæ, quam in Cœlis futuram expectamus, posse appellari, Adoptionem illam Divinam, quam consequimur reipsa in hac vita per justitiam fidei, & per *Charitatem, quam dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, & simus*, ut scripsit in sua prima Epist. D. Joannes c. 3. & petit exemplum ab Eucharistia, & species visibiles quæ sensu subjiciuntur, Corpus, & Christi Sanguinem vocat. Sicut ergo importune quis ratiocinaretur ex modo loquendi Facundi, licet inusitato in hac vita acquiri non posse spiritum *Adoptionis Filiorum, in quo clamamus Abba Pater*, ita cavillosa esset illatio, Facundum negare nos suscipere veram substantiam Corporis, & Sanguinis Christi, quia dixit Sacramentum accipere Corporis, & Sanguinis Christi.

XVIII. Quid vero habent Novatores, ut in caussæ suæ Patronum velint Anastasium Sinaitam Auctorem VII. Sæculi a. 635.? Profecto opportune dicitur calumniantium Hæreticorum morem esse, ex dubiis, & obscuris, quæ certa, & manifesta sunt male interpretari. Ubinam scripsit Anastasius Eucharistiam esse meram figuram Corporis Christi, Virtutis ejus, & efficaciæ plenam, ut Albertinus, aliique Calvinistæ divenditant? In libro, quem Anastasius inscripsit *Viæ Dux* nos manducare asseruit Christi Corpus *in natura sua, & veritate* non dixit *in figura* plena virtutis ejus, & efficaciæ, ut dicere debuisset, si voluisset Novatoribus Patrocinari. Ulterius Naturam, qua Christi Corpus constat, dixit nos & *fide, & experientia* cognoscere. Quis vero ignorat expe-

rimentum haberi tantummodo in rebus quæ per suam præsentiam sensibus subjiciuntur. Hæc sunt Anastasii verba, quibus Eutychianos alloquitur in cap. 13. libri laudati *Dicant nobis illi, qui Christi Carnem innaspectabili Divinitatis Pelago commixtam, & assimilatam contendunt; unde adversariis Divinitatem Christi persuadere velint, nisi sola fide curiose inquirere non consueta? At vero naturam, qua Corpus constat, non modo novimus fide, sed ipsa experientia rerum, quas vidimus, & contrectavimus, illudque Corpus quotidie in natura sua, & veritate communicantes manducamus*. Sed clarius adhuc suam mentem aperit Anastasius in cap. 23. ubi vetat dicere Eucharistiam esse figuram Corporis Christi, aut aliud quid ejusdem gerens vices, ut Sacrificium Hirci quod Judæi offerebant, aut nudum Panem, qualis ostiatim venditur, sed esse ipsum Corpus, & Sanguinem Christi Filii Dei incarnati, & ex Sanctissima Deipara, & semper Virgine M. Nati. Eadem iterum, & tertio asserit in Tractatu dogmatico, ubi suam de Eucharistia fidem exponens: *vere ait esse Corpus, & Sanguinem Christi, quem nos fideles sumimus, non solam figuram*; ita ut Blondellus fateri non erubuerit Anastasium Sinaitam circa A. 636. prima jecisse fundamenta Doctrinæ, qua asseritur Christum esse corporaliter præsentem in Eucharistia: Cum enim ait tertii, & quarti Sæculi Patres Eucharistiam appellant Sacramentum, Signum, Imaginem, Antitypa, Figuram Corporis Christi, Anastasius negat eam esse Figuram, Imaginem, Antitypum. Non favet itaque Albertino Anastasius, sed & nullus alter Sæculi hujus Scriptor, neque sequentium, cum ex innumeris Scriptoribus, qui in Ecclesia floruerunt Sæculis VI. VII. & VIII. nullus impugnavit Anastasii Doctrinam. Singulare etiam fuit Scriptoribus VI. VII. & VIII. Sæculi per hæc Nomina *Signum, Figuram, Imaginem, Sacra Dona, Typum, Antitypa, Symbolum, Mysterium Corporis, & Sanguinis D.* raro Eucharistiam nuncupasse, ut omnis abesset æquivocatio ab illorum fide; videbantur enim illa nomina id non exprimere, quod præcipue de Eucharistia credebatur; ab illis vero prudentissime veteres Patres abstinuerunt, quod bonum esse crederent Mysterium Regis celare, ut ex Synodica Alexandrina docuit Athanasius, & non oportere ea non initiatis prodere, ne Ethnici ignorantes ea subsannarent, aut Cathecumeni curiosi facti scandalizarentur. *Neque decebat*, scribit S. Doctor Basilius de Spiritu S. c. 27. *horum Doctrinam publicitus circumferri scripto, quæ nec intueri fas erat non initiatis*. Hinc S. Epiphanius in *ancorato* agens de institutione Sacramenti, Disciplinam arcani servaturus, non est ausus verba Consecrationis proferre, neque Corpus Christi nominare; sic enim scripsit: *Surrexit in Cœna, & gratiis actis dixit. Hoc meum est hoc, atque videmus, quod æquale non est, neque simile non Imagini incarnatæ, non invisibili Divinitati, non lineamentis membrorum, illud enim rotundæ formæ est, & quod ad facultatem attinet, sensus expers, & voluit ex gratia dicere, hoc meum est hoc*. Et tamen ausus est ex eo loco Albertinus concludere: *apertissime Epiphanius innuit Panem subjectum esse, de quo Dominus Corpus suum esse nunciavit*. Ausu quidem temerario, cum inter ipsos Reformatos hæc opinio invaluerit, ex Disciplina Arcani plerosque Patres de Reali Corporis, & Sanguinis Christi præsentia obscurius locutos fuisse. Inter ceteros audiatur Tenzelius, qui in Disputatione sua Numero 1. *Non contendunt*, inquit, *contra Calvinianos fundamentum tribuere tenebras, quas ipsi ingerunt, cum quod piscari conantur ex silentio, aut obscura Patrum loquela negativum argumentum, ad ipsum veritatis Eucharisticæ Mysterium sit*

sit Janua, & Ostium. Verum de hac re videatur doctissimus Emanuel a Schelstrate in sua disputatione Apologetica de Disciplina Arcani.

XIX. Jam ex testimonio Blondelli Anastasius Sinaita novam de Eucharistia Doctrinam ab Avita fide, ab Apostolica Doctrina, ab Ecclesiæ sui temporis sensu alienam tradidit, ac propugnavit. Ex eodem Blondello hæc Anastasii Doctrina in singulas Orientis Sectas transiit, licet aliunde sibi invicem oppositas; sed quomodo ab Oriente in reliquas Occidentis Ecclesias hoc dogma delatum sit, & quomodo factum, ut nemine contradicente omnium Occidentalium Ecclesiarum Patres hanc Doctrinam hauserint, illi prorsus oppositam, quam antea profitebantur, viam non aperit. Claudius quidam apud Sacramentarios Gallos Evangelii Pseudo-Minister, & Matthæus La Roque Minister Vitriacus asseruit apud Occidentales Paschasium Radbertum Corbejensem Monacum (Auctorem IX. Sæculi A. 844.) dogma de præsentia reali Corporis Christi in Eucharistia primum tradidisse in libro *de Corpore, & Sanguine Domini*, quem scripsit A. 831. idemque dogma ab exitu IX. Sæculi ad initium usque XI. omnium hominum mentes in toto terrarum Orbe invasisse, faventibus X. Sæculi tenebris, ita ut in sequenti Sæculo, quamvis literatiores facti, hac tamen opinione una cum lacte imbuti, illam tamquam veram confidenter obtruderint. Igitur ex antecedentibus demonstratis, & ex confessione eorumdem Heterodoxorum constat id, quod ab initio hujus disputationis probandum statuimus circa statum hujus Controversiæ de præsentia Reali Corporis Christi in Eucharistia, ex mente omnium Ecclesiasticorum Scriptorum, qui ab Apostolorum temporibus usque ad exitum IX. & X. Christiani Sæculi floruerunt.

XX. Prætereundum tamen non est, audiri non posse sine maxima contumelia Christiani nominis Ministrorum Calvinianorum inane figmentum, Religiosum hominem toti orbi Catholico imponere potuisse, Doctrinam novam explicando, nec aliquem interim insurrexisse, qui illum argueret, coerceret, & confutaret, cum omnes sciant Joannis Schoti exitum, qui vix ex Heterodoxorum Confessione antiquatam de Sacramento Altaris opinionem restaurare aggressus est, quod statim ex Galliis in Angliam seccedere coactus A. 882. statim Hincmarum Rhemensem accerrimum impugnatorem habuit, & adversarios quotquot in Parisiensi Vercellensi, & Romana Synodo Patres convenerunt, qui hominem ipsum, & hominis sententiam proscripserunt. Neminem certe latere potest in quanta fuerit existimatione Paschasius apud Patres Parisiensis Synodi celebrati A. 846. & quam gratissimus Ludovico, Lothario, & Carolo Augustis, & quid de illo prædicaverint Engelmodus Svessionensis Episcopus, & S. Oddo Cluniacensis Abbas; dum ille Paschasium vocavit *Ecclesiæ columen, Religionis apicem Fidei fortissimum umbonem, & jubar; Virum denique, quem non deturpat mentita fidei simulatio, sed pia simplicitas, & virtus recti conscia exornat* Hic vero in libro 2. Collectionum cap. 30. & 31. post descripta aliqua loca ex illius libro de Corpore, & Sanguine Domini inquit: *Hac & alia multo plura Paschasius ex dictis Patrum ad reverentiam ipsius Mysterii commendandam, atque majestatem ejus demonstrandam conscripsit, quæ si quis licet sciolus legerit, tanta credo discet, ut de hoc Mysterio verum se eatenus cognovisse putet*. Hujusmodi verò honorum, & laudum species non sufficiunt, ne jure quis reprehendatur, eo ipso, quod novus Auctor auditur Doctrinæ, a qua per omnia retro Sæcula Ecclesia abstinuit. Di-

P 2 cen-

tendum igitur est, non id quod oscitanter in Paschasium infensissimus Berengarius asseruit, scilicet Paschasium ineptum, erraticum, & hæreticorum ducem fuisse, sed fuisse veritatis assertorem, & antiqui Dogmatis propugnatorem, nihilque aliud in suo libro docuisse præter ea, quæ jam luculentissime Pastores Ecclesiarum suis Populis explicaverant, & Ecclesiastici Auctores tradiderant, suamque opinionem de Reali præsentia Corporis Christi in Eucharistia convenire cum Doctrina, quam Patres in secunda Nicæna Synodo definiverunt, quam docuit S. Jo. Damascenus in libro 3. Orthodoxæ fidei cap. 14. Nicephorus in Sede Constantinopolitana Tharasii successor in Antirretico II. laudato a Leone Allatio in lib. 3. de Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis perpetua consensione c. 15. n. 21. & Theodorus Graptus in libro de inculpata Christianorum fide, Theodorus Abucara, & Nicolaus I. qui in Epistola 2. de Altari ita scripsit. *Panis qui super eam offertur Panis est quidem communis, sed quando ipse Sacramento Sacratus fuerit Corpus Christi in veritate fit, & dicitur. Sic & Vinum post Sanctificationem Spiritus, Sanguis Christi efficitur.* Ut prætereeam alios innumeros, Petrum Siculum, qui circa A. 870. florebat, Hincmarum, Anastasium Bibliothecarium, Walfridum Strabonem, Theodulphum Aurelianensem, Alcuinum, Remigium Antisiodorensem, Christianum Druthmarum, & demum Latinas Liturgias Septimi, Octavi, Noni, & Decimi Ecclesiæ Sæculi.

XXI. Nescio vero, quomodo Heterodoxi asserere potuerint totum X. Sæculum in tenebris latuisse si consuluissent annales Ecclesiasticos plurimos reperiissent Sanctissimos Episcopos, Abbates, & Principes in Italia, in Germania, in Regionibus Septentrionalibus in Anglia, in Hispania, in Gallia inter IX. & XI. Sæculum floruisse. Legissent plus quam centum celebrata Concilia, nec defuisse huic Sæculo Auctores, qui in iis, quæ reliquerunt de rebus Divinis, & Ecclesiasticis monumentis demonstraverint semper Ecclesiam credidisse Christi Corpus, & Sanguinem vere, & re ipsa in Sacramento contineri. Inter hos recensentur Auctores Congregationis Cluniacensis, Sancti Odo, Odilo, & Udarricus, quibus accedunt Rutherius Episcopus Veronensis in sua Epistola ad Patricium Sacerdotem, Osbertus in vita Dunstani Cantuariensis Archiepiscopi, Auctor vitæ Lucæ Junioris Anacoretæ, Uvillelmus Malmesburiensis in lib. 1. de Gestis Pontificum Angliæ, & Herigerus Abbas Laubiensis. Sub initium XI. Sæculi testimonia legissent gravissima Fulberti Carnotensis Episcopi, Hugonis Lingoniensis Deoduini Leodiensis, Durandi Troarnensis Abbatis, Lanfranchi, & Guidbundi Archiepiscopi Avversani, qui in libro 3. de Eucharistiæ Sacramento totius Ecclesiæ perpetuum consensum in fide præsentiæ Realis Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia his verbis contra Berengarianos protestatur. *Dum attendimus, quam favorabiliter ubique tanto tempore Mundus ista susceperit, quæ fuerit hactenus Catholica fides de Corpore Domini latere non potest. Tanti quippe temporis summi, docti, Sanctique Pontifices, eruditi, religiosique Abbates, Monachi, Clerici, universusque Populus Dei si contraria rectæ fidei ista cognoverant quare non damnaverunt, quare non destruxerunt, quare vel legi non prohibuerunt? Atqui ipsi ea legerunt, ipsi dilexerunt, ipsi ob ædificationem fidei legenda usque hodie tradiderunt. Omnes favere, nemo auditus est, nemo lectus est refragatus. Non igitur contra fidem rectam esse sentiebant. Eamdem igitur fidem De Corpore Domini omnes tenebant. Aut igitur istis omnibus Umbratici* no-

nostri correcti consentiant, aut istos omnes contra se testes irrefragabiles damnandos persentiant. Heterodoxorum itaque vesania ad Ecclesiam Christi non pertinens in æternum confusa conticescat.

CAPUT II.

DE REALI PRESENTIA CHRISTI IN SACRAMENTO ALTARIS.

§. I. ***Recensentur Opiniones Hæreticorum, & statuitur Doctrina Catholica circa naturam Sacramenti Eucharistiæ.***

ANte Joannem Schotum Erigenam nullum extitisse, qui negaret Realem præsentiam Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia hactenus demonstravimus; quod enim Ignatius in Epistola ad Smirnenses ex Theodoreti testimonio scripserit. *Eucharistias, & oblationes non admisisse Simonianos, Menandrianos, & eorumdem Sectatores* (*Nestorianos* addit Cyrillus) ad præsentem quæstionem non pertinet, eo quod Hæretici illi, Christi Domini Corpus non verum, sed Phantasticum assumpsisse arbitrabantur. Neque Iconomachorum sententia a secunda Nicæna Synodo condemnata, in qua dicebatur ex relatione Gregorii Episcopi, quod Christus Imaginem, materiam præcipuam, idest Panis substantiam præcepit offerri, ad nostram pertinet disputationem, cum non certe negata Realis præsentia Christi, sed alia fuerit hujus condemnationis occasio, scilicet non ipsa Iconomachorum de Eucharistia sententia, sed dumtaxat loquendi modus, propter consectaria, quæ ex illius vocis pravo intellectu contra cultum Sanctarum Imaginum inferebant. Demonstratum ulterius est a Schoto Erigena, hoc est ab A. 884. usque ad A. 1035. scilicet usque ad Berengarium nullum prodiisse, qui idem Dogma Solemniter impugnaret. Integra itaque erga Sacramentum Altaris fides stetit ab illius institutione per totum Sæculum x. Ex quo vero Berengarius prodiit, qui Eucharistiam merum esse Corporis Christi signum asseruit, *Fama*, ut scripsit Theoduinus Leodiensis Episcopus ad Henricum I. Regem Christianissimum, *supremos Galliæ fines prætergressa, totam Germaniam pervasit, & Christianorum fides circa Eucharistiam immutari cæpit*. Hujus immutationis Auctores varii variis temporibus eruperunt.

II. Anno 1119. Petrus de Bruis, ut refert Petrus Cluniacensis in Epistola ad Ebrodunensem Archiepiscopum non solum veritatem Corporis, & Sanguinis Domini quotidie, & continuo per Sacramentum in Ecclesia oblatum negavit, sed omnino illud nihil esse, neque Deo offerri debere decrevit. Atque hinc Error Petrobrussianorum, & Henricianorum A. 1146. qui asserebant, tantum in ultima Cœna Christum Corpus suum dedisse Discipulis sub specie Panis, deinceps autem purum esse figmentum, quod Sacerdotum ministerio dicitur, aut creditur.

III. Heberardus, qui labente Sæculo XII. Waldensium Hæresim impugnavit Waldensibus eundem errorem attribuit, sed Reinerus negavit, nam non nisi post XV. Sæculum scilicet A. 1536. Waldenses Sabaudi instigante Guil-

lelmo

lelmo Farello Genevensium Ministro Calvinianæ adhærentes Hæresi de Sacramento Altaris prave senserunt.

IV. Circa annum 1370. Wiclephus Berengarianam hæresim in Anglia suscitavit asserens, quod Eucharistia simul est Corpus Christi, & verus panis, illud in figura, hic in natura; item in eo Sacramento Corpus, & Sanguinem Christi esse realiter, & identice præsentia, & panis accidentia sine subjecto manere posse negabat. Illius libri in Bohemiam delati totum illud Regnum infecerunt. Ab his Jacobitæ hunc errorem hauserunt, a quo tamen semper abstinuit Joannes Hus, ut Cochlæus ostendit in historia Hussitarum. Hausit etiam ex hoc fonte Lutherus, qui in Epistola ad Argentinenses se valde propensum fuisse asserit in eam sententiam, quæ in Eucharistia nihil præter panem agnoscit, & se conatum totis viribus hoc assere, sed non potuisse Scripturis satisfacere, quæ contra objiciebantur: quare una cum substantia Panis docet esse in Eucharistia verum Corpus Christi.

V. Anno 1524. sepultam Sacramentariorum Hæresim excitavit Andreas Carlostadius qui contra Realem Christi præsentiam in Eucharistia librum edidit, in quo affirmat Christum cum dixit: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur:* pronomen *hoc* non in panem direxisse, sed in se ipsum, ut sit sensus: *Accipite, & comedite nam ego hoc Corpus meum sum vobis traditurus*. Exul e Saxonia Carlostadius in Helvetiam venit, ubi anno sequenti 1525. Huldricum Zuinglium in pago Doggiorum in Helvetia natum sui erroris sectatorem habuit, quem postea vulgavit in Responsione ad Confessionem Lutheri edita A. 1528. in qua sic legitur: *Credo quod in Sacra Eucharistia hoc est gratiarum Actionis Cœna verum Christi Corpus adsit fidei contemplatione &c. Sed quod Christi Corpus per essentiam, & realiter, hoc est Corpus ipsum naturale in Cœna, aut adsit, aut ore, dentibus nostris mandatur, quemadmodum Papistæ, & quidam qui ad ollas Egyptiacas respectant, perhibent, id vere non tantum negamus, sed errorem esse, qui verbo Dei adversatur constanter asseveramus.* Et in Confessione Fidei, quam ante obitum scripsit A. 1531. rursum hæc scribit: *Cogimur ergo velimus, nolimus agnoscere hæc verba: Hoc est Corpus meum &c. non naturaliter, ac pro verborum proprio sensu esse intelligenda, sed Symbolice, Sacramentaliter, denominative, aut μετωνυμικῶς hoc modo. Hoc est Corpus meum, idest: Hoc est Sacramentum Corporis mei, sive Hoc est Corpus meum Sacramentale, sive Mysticum, idest ejus quod vere assumpsi, mortique objeci Symbolum Sacramentale, & Vicarium.*

VI. Secutus est Zuinglii errorem Joannes OEcolampadius Ordinis S. Birgittæ Apostata, sed aliter illum exposuit in libro de genuina verborum Domini *Hoc est Corpus meum* juxta vetustissimos Auctores expositione; Explicat enim hæc verba: *Hoc est Corpus meum* per hæc alia *hoc est figura Corporis mei*. Joannes OEcolampadius asseclas habuit Henricum Bullingerum Bernardum Ochinum, Petrum Martyrem, & Bucerum.

VII. Hic ut pervenit in Angliam A. 1549. inter alias hæreses docuit Corpus, & Sanguinem Christi substantialiter in ea præsentia non esse extra usum Sacramenti, quod jam scripserat Melanctonus in Confessione doctrinæ Saxonicarum Ecclesiarum scripta A. 1541. ut Synodo Tridentinæ exhiberetur his verbis: *Docentes etiam homines, Sacramenta esse actiones divinitus institutas, & extra usum institutum, res ipsas non habere rationem Sacramenti, sed in usu instituto in hac communione vere, & substantialiter adesse Christum, & ve-*

& vere exhiberi sumentibus Corpus, & Sanguinem Christi, nec in ipso usu ore Corporis manducari, sed contemplatione fidei percipi, quod ita explicaverat Zuinglius anno & l. c. cit. hoc est, quod ii, qui gratias agunt Domino pro beneficio nobis in Filio suo collato agnoscunt illum veram carnem assumpsisse, vere in illa passum esse, vere nostra peccata Sanguine suo abluisse, & sic omnem rem per Christum gestam illis fidei contemplatione velut præsentem fieri. Sed docuerat jam Bucerus in Articulo 18. suæ Confessionis fidei, Christum iis qui vere sint e suis Discipulis verum suum Corpus, ac verum suum Sanguinem, quibus in vitam æternam alantur in Cœna porrigere; & intra addiderat credere se, quod cum Pane detur verum Christi Corpus, sed ut bene audiretur a Luthero in conventu Wittembergensi his propositionibus ab eodem propositis se subscripsit; scilicet *Fidem, & Doctrinam de hoc Sacramento hanc esse quod sentiant in eo ex institutione, & opere Domini pro ut verba Christi sonant, verum Corpus, & verum Sanguinem suum cum visibilibus signis Pane, & Vino exhiberi, dari, & summi*; se credere etiam *per Ecclesiæ Ministrum Corpus, & Sanguinem Christi omnibus sumentibus offerri, neque tantum sumi a dignis corde, & ore ad salutem, sed etiam ab indignis ad judicium*. Hoc vero non senserat Bucerus in Anglia, qui tuebatur impios, idest qui fidem non habent, solum Panem, & Vinum, non Christi Corpus, & Sanguinem sumere.

VIII. Circa eadem tempora floruit Jo. Calvinus Novioduni Veromanduorum A. 1509. natus, qui a Bucero didicit de industria obscure proponere suam de Eucharistia opinionem. Hic itaque aliquando asseruit Transubstantiationem esse figmentum, Catholicos Eucharistiam adorantes Idololatriam committere, dona pro datore colere, ex Sancto ejus Sacramento execrabile idolum facere; negavit Eucharistiam esse asservandam, circumferendam, & extra usum ac manducationem Sacramentum esse. Hanc manducationem non aliam esse quam fidei docuit, & verba institutionis: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus* esse accipienda figurate, ut esse panis, & vinum dicantur, id quod significant. Abstulit omnis localis præsentiæ imaginationem Symbola Cœnæ tantum esse in terra, Corpus autem Christi tantum esse in Cœlo, nec aliter quam mente, & fidei intelligentia quærendum. Hæc docuit Calvinus in Consensu de re Sacramentaria cum Tigurinis, & ex Calvini mente docuit Beza in summa doctrinæ de re Sacramentaria quæst. 6. Alia vero Calvinus tradidit lib. 4. Instit. cap. 17. §. 11. ibi enim docuit *In Cœna Mysterio per Symbola Panis, & Vini Christum vere nobis exhiberi, adeoque Corpus, & Sanguinem ejus, in quibus omnem obedientiam pro comparanda nobis justitia adimplevit, quo scilicet primum in unum Corpus cum ipso coalescamus; deinde participes substantiæ ejus facti, in bonorum omnium communicatione virtutem quoque sentiamus*. Eadem scripsit in caput 26. Matthæi. *Vere in Cœna datur nobis Corpus Christi, ut sit animis nostris in cibum salutarem, hoc est substantia Corporis Christi pascuntur animæ nostræ, ut vere unum efficiamur cum eo*. Idem fusius explicat in libro de Cœna Domini, & additis etiam Exemplis confirmat *Exemplum* inquit *in re simili valde proprium habemus, cum vellet Dominus Spiritum suum in Baptismo Christi apparere eum sub Columbæ figura repræsentavit. Joannes Baptista Historiam illam recitans, Spiritum S. descendentem se vidisse ait: Si propius attendamus comperiemus ipsum nihil præter Columbam vidisse. Nam Sancti Spiritus essentia invisibilis est; cum tamen sci-*

ret

ret visionem illam inanem figuram non esse, sed Spiritus S. præsentiæ signum certissimum, affirmare non dubitat se illum vidisse, quod eo modo quo ipse ferre poterat, fuerit repræsentatus. Ita in communione, quam in Christi Corpore, & Sanguine habemus, dicendum est: Mysterium spirituale esse, quod nec oculis conspici, nec ingenio humano comprehendi potest. Figuris igitur, & signis, quæ sub oculorum sensum cadunt, ut naturæ nostræ imbecillitas requirit ostenditur: ita tamen ut non sit figura nuda, & simplex, sed veritati suæ, & substantiæ conjuncta. Merito igitur, Panis appellatur Corpus cum id non modo repræsentet, verum etiam nobis offerat. Itaque facile concedemus Corporis Christi nomen ad Panem transferri, quod ejus Sacramentum, & figura sit. Sed hoc adjungimus Sacramenta Domini ullo modo a substantia, & veritate sua separari oportere. Ea quidem ne confundantur, distinguere non tantum convenit, sed etiam omnino necessarium est: sed ita dividere, ut alterum sine altero constituatur, absurdissimum. Cum ergo signum visibile conspicimus quid repræsentet, & a quo nobis donatum sit cogitandum est. Panis enim datur, ut Corporis Christi sit figura, eumque jubemur comedere. Datur inquam a Deo, qui veritas certa, & immutabilis est. Quod si Deus nec fallere, nec mentiri potest, consequens est ipsum omnia, quæ illio significat reipsa implere, ac præstare. Necesse est igitur nos in Cœna vere Corpus, & Sanguinem Christi recipere, cum utriusque Communionem nobis Dominus repræsentet. Hinc non patitur Lutheranos nolle venerari Christi Corpus in Eucharistia, si sit in ea reipsa præsens: quare illos arguit in libro de vera participatione Corporis, & Sanguinis Christi adversus Hesbusium: *Negari non potest quin adorandus sit Christus in Pane, vel sub Pane; nam certe ubicumque est, fraudari eum fas non erit suo honore, & cultu. Quid ergo magis præposterum quam locari in Pane, & illic non adorari?* Verum secum ipse reputans Calvinus huic magnificæ Confessioni adversari plurimum ea, quibus se subscripsit in fine Consensus cum Pastoribus Tigurinis: quod videlicet Christi Corpus nusquam sit, nisi in certo, ac determinato loco Cœli, proinde tanto intervallo illud abesse a Pane, & Vino in Cœna, quanto abest Terra ab altissimis Cœlis, viam, qua se ab hac difficultate expediret invenit, & novum explicandi modum excogitavit hanc præsentiam Christi Domini in Eucharistia, quem exposuit in suis Institutionibus l. c. §. 10. inquiens: *Etsi autem incredibile videatur in tanta locorum distantia penetrare ad nos Christi carnem, ut nobis sit in cibum, meminerimus quantum supra sensus omnes nostros emineat arcana Spiritus S. virtus, & quam stultum sit ejus immensitatem modo nostro velle metiri. Quod ergo mens nostra non comprehendit concipiat fides, Spiritum vere unire, quæ locis disjuncta sunt. Jam Sacram illam Carnis, & Sanguinis sui communicationem, qua vitam suam in nos transfundit Christus, non secus ac si Ossa, & medullas penetraret in Cœna etiam testatur, & obsignat: & quidem non objecto inani, & vacuo signo, sed efficaciam Spiritus sui illuc proferens, qua impleat, quod promittit.* Qui horum verborum sit sensus explicat §. 12. *Vinculum ergo istius conjunctionis est Spiritus Christi, cujus nexu copulamur, & quidem veluti Canalis, per quem quidquid Christus ipse, & est, & habet ad nos derivatur. Nam si Solem conspicimus radiis in terram emicantem, ad generandos, fovendos, vegetandos ejus fœtus, suam quodammodo substantiam ad eam trajicere, cur inferior Spiritus Christi esset irradiatio ad Communionem Carnis, & Sanguinis ejus in nos traducendam?* Sed hæc explicandi ratio non sufficit, & abunde constat Calvinum simulate scripsisse verum

rum Christi Corpus esse in Eucharistia, cum efficaciter ipse voluerit, ut scripsit in Defensione 2. contra Westphalum exhiberi in Cœna Christi Corpus non naturaliter, sed secundum virtutem, & non secundum substantiam: juxta quem modum Christi Corpus in Cœlo tantum esse ait, in Sacramento repræsentative, & figurative: non substantiam Carnis, & Sanguinis Christi in nos derivare, sed nos illum tantum fide manducare. Apertissime legitur hæc illius sententia in §. 32. *Fide vero*, inquit in l. c. *nos ista, quam enarravimus Corporis participatione, non minus late affluenterque pascimur, quam qui ipsum Christum e Cœlo detrahunt. Ingenue interea confiteor mixturam Carnis Christi cum anima nostra, vel transfusionem, qualis ab ipsis docetur, me repudiare, quia nobis sufficit Christum e Carnis suæ substantia vitam in animas nostras spirare: imò propriam in nos vitam diffundere, quamvis in nos non ingrediatur ipsa Christi Caro*. Hanc fuisse genuinam Calvini sententiam colligitur ex solemni Fidei Confessione, quam Præsulibus, & Theologis A. 1561. Poissiaci congregatis Ministri Calviniani proposuerunt, in cujus articulo 36. hæc leguntur: *affirmamus Sanctam Cœnam Domini esse nobis testimonium nostræ cum Domino nostro J. C. unitionis, quoniam non est dumtaxat mortuus semel, & excitatus a mortuis pro nobis, sed etiam vere nos pascit, & nutrit Carne sua, & Sanguine, ut unum cum ipso facti, vitam cum ipso communem habeamus. Quamvis enim nunc sit in Cœlis ibidem etiam mansurus donec veniat Mundum judicaturus, credimus tamen eum arcana, & incomprehensibili Spiritus sui virtute nos nutrire, & vivificare sui Corporis, & Sanguinis substantia per fidem apprehensa. Dicimus autem hoc Spiritualiter fieri, non ut efficacia, & veritatis loco imaginationem, aut cogitationem supponamus, sed potius quoniam hoc mysterium nostræ cum Christo coalitionis tam sublime est, ut omnes nostros sensus, totumque adeo ordinem naturæ superet. Denique, quoniam cum sit Divinum ac Cœleste, nonnisi fide percipi, & apprehendi potest*. Ad jactantiam itaque Calvinus lib. 4. Institut. c. 17. §. 32. scripsit: *de modo si quis me interroget: fateri non pudebit sublimius esse arcanum, quam, ut vel meo ingenio comprehendi, vel enarrari verbis queat. Quis enim non facillime capiat Fide apprehendi posse Christum imò, & totam Trinitatem? Nullusque, qui veluti Spiritus Sancti miraculum prædicabit*, quod in §. 10. citati capitis Calvinus dixerat: *in tanta locorum distantia Christum ad nos penetrare, nos enim sumus; qui fide ad Christum ascendimus, & efficimus, ut objective in nobis sit, quemadmodum in nobis est omne id, de quo actu cogitamus*. Ex quo fundamento, ut vere potuit, Calvinus inferre l. c. §. 33. & 34. impios non percipere Christi Corpus, sed Symbola hoc ratiocinio, quo Beza loco s. cit. quæst. 13. usus est: *sicut Symbola accipiuntur solo ore Corporis, ita Corpus Christi solo ore Fidei: cum ergo non habeant impii os Fidei, non percipiunt nisi Symbola Corporis Domini*; ita nobis licebit inferre in hypothesi Calviniana, esse omnino idem credere in Christum, & manducare Christum, si verum esse debet quod Calvinus §. 32. dicit: *fidem esse, qua pascitur Christi Corpore*; cum fides non aliter manducet quam credendo, ut in superiori capite ad notavimus N. IX.

IX. Anno a Calvini obitu septimo scilicet A. 1571. Calvinistæ Galli Rupellæ Synodum habuerunt, in qua damnarunt eos, qui non recipiunt *Substantiæ* vocabulum quæ res, cum offensioni esset Tigurinis Sacramentariis anno sequenti 1572. Nemausi magno Ministrorum concursu alteram Synodum convocarunt, in qua Scriptum illud Rupellanæ Synodi sic emendarunt, ut pro

his verbis: Synodus rejicit *eorum opinionem, qui nomen Substantiæ nolunt recipere eo sensu, quo in prædicto* 36. *Confessionis Articulo continetur*, hæc alia substituerint: *sine ullo prorsus exterarum Ecclesiarum præjudicio, quæ certis de Caussis Substantiæ vocabulum non usurpant, vocabulum quidem Substantiæ, retinet, sed eo demum sensu quo in prædicto* 36. *Articulo continetur &c.* Hunc sensum explicavit iterum Beza in Epistola hoc eodem anno scripta hujus Synodi nomine ad Tigurinos Ministros die 17. Maji his verbis: *Rupellana Synodus summo omnium consensu eorum sententiam, qui voculam illam ex Liturgia, & Confessione sublatam volebant, rejecit, tribus potissimum de Caussis. Primum enim judicavimus, prout & nunc judicamus: si quæritur quidnam per Communionem adipiscamur, dicendum esse, non tantum merita, & fructus mortis Domini, verum etiam in primis ipsum Dominum, qui est fons istorum bonorum a nobis Spiritualiter per fidem percipi, id quod Substantiæ nomine in nostra Confessione, & Liturgia significatum volumus. Deinde cum duplex nobis scopulus vitandus esset, unus quidem eorum, qui nos tanquam Christum ipsum e Cœna tollentes accusant, alter autem illorum, qui metuunt, ne posita Substantiæ communicatione, realis etiam præsentia, & corporalis ille communicationis modus stabiliri videatur: utrique malo sic occurri commodissime posse existimavimus, si illis quidem retento Substantiæ nomine [quo nihil aliud quam Christus ipse intelligitur] os occludere pergeremus; istorum vero timori mederemur, addita ea interpretatione, quæ & omnem ambiguitatem vocis tolleret, & mere spiritualem, ac mysticum esse istum ipsius Christi nobiscum consociationis modum demonstraret .... His igitur rationibus subnixa Rupellana Synodus retenta Confessionis* Art. 36. *nullos certe damnavit (quos credidisse videmini) sed eorum dumtaxat opinionem rejecit, qui eam vocem nollent eo sensu admittere, quo illic usurpatur. &c.* Ex hac Bezæ Epistola uberius confirmatur, quod Calviniana doctrina de Sacramento Eucharistiæ nihil aliud continet, quam magnifica verba, quæ minime id significant, quod Calvinistæ iis significatum voluere. Patet ulterius tantummodo velle Calvinianos fideles fieri participes Cœnæ Domini, cum illum per actum fidei sibi præsentem efficiunt, ad quos actus fidei cum excitantur in eorum Corda, Spiritus Sanctus in illis operatur. Magnam etiam efficaciam concedunt Symbolis Eucharisticis, & in eorum Æcumenica Synodo Dordrectana anathema dicunt iis, qui ausi fuerint hanc efficaciam rejicere a Symbolis Eucharisticis, sed nullum afferunt ad hoc probandum efficax argumentum, nisi fortasse ex verbis institutionis vellent ita argumentari: Hoc, sive Panis, est figura Corporis Christi: ergo Christi Corporis gratiam, & continet, & confert. Utrum vero figuræ, rei quam adumbrant virtutem contineant, etiam qui in Thelogia hospes est judicabit. Duo tantummodo supersunt illis Scripturæ loca, ex quibus id possent probare. Primum suppeditat Apostolus in sua Epistola ad Cor. cap. 10. Alterum D. Joannes in c. 6. sed neutrum Calvinianis favere potest, quia utroque abutuntur; nam Joannem non de Eucharistia, sed de Incarnatione agere, Lutherus, & Calvinus docent. Metaphoram contineri in verbis Apostoli tradunt OEcolampadius, & Zuinglius, vel quod Apostolus ponat communicationem in Signo Corporis Christi, seu Pane, quo adumbratur naturale Christi Corpus, vel quod illam ponat in Signo, quo mysticum Christi Corpus, seu fidelium societas sub uno capite Christo repræsentatur.

X. Antitrinitariorum Parens Michael Servetus, & Faustus Socinus, a quo dein-

deinde Sociniani propagati sunt Sæculo decimo sexto Sacramentariorum opinionibus se subscripsere. Servetus dixit *Eucharistiam esse dumtaxat Symbolum, & signum Corporis Christi*; Socinus vero suam blasphæmiam prolixius explicavit in libro de usu, & fine Cœnæ Domini contra Niemojevium: *In sumptione illa Panis, & Vini, quæ fit in Cæna Domini nihil præter ipsum Panem, & Vinum a credentibus*, inquit, *sive non credentibus accipi nec corporaliter, nec spiritualiter*. Cæremoniam esse, non Sacramentum: nec alium ejus finem esse, quam mortis Domini annunciationem, & commemorationem. Abusum esse, Cœnæ Domini credere illam nobis aliquid conferre beneficii, vel gratiam Dei, vel nos ejusdem certiores facere. Nam quod ad externa attinet, quæ nos confirmare possunt in veritate divina nulla esse alia quam aquam, hoc est innocentiam, Sanguinem hoc est mortem truculentam, & Spiritum hoc est miracula Jesu Christi Apostolorum, & aliorum credentium. Quod ad interna nihil nos confirmare posse in gratia Dei quam Spiritum Dei.

XI. Joannes Volkelius Socinianus cum animadverteret plura a Calvinistis magnifice promitti fidelibus per Sacramentum Eucharistiæ, quæ revera nec illorum sententia docet, nec argumenta probant, negavit I. Eucharistiam esse figuram efficacem II. per hanc fieri præsens Corpus Christi, & esse sigillum gratiæ. III. addidit suæ negationis fundamentum, quod non solum id in Christi verbis nequaquam continetur, sed & cum sanæ mentis ratione pugnat. Docuit ulterius pronomen *hoc*, & verbum substantivum *est* indigere explicatione, nam cum nulla sit relatio inter Panem, & Corpus Christi, pronomen *hoc* sumi non potest pro Pane, unde assumi debet ut per illud explicentur actiones omnes, quas Christus egit, & observavit in Cœna, dum Eucharistiam instituit, scilicet, divisionem, distributionem, & manducationem. *Hoc* inquit Volkelius; idest *fractio Panis, distributio, manducatio*. Verbum *est* interpretatur *significat*, & ita superiora verba his posterioribus conjungit *est, significat Corpus meum*, non absolute quidem sumptum, sed prout affigendum est Cruci, quod innuunt reliqua verba a Christo prolata: *Hoc facite in meam commemorationem*; idest cum ritum a me institutum peragetis, præcipio ut mortem, quam passurus sum ponatis vobis ob oculos, quod ipse D. Paulus scripsit ad Cor. *quotiescumque enim manducabitis Panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat*.

XII. In iis, quas hactenus exposuimus Sacramentariorum opinionibus, non opus est, quod veteris Doctrinæ vestigium aliquod inquiramus, cum omne quod traditum est Novitatem redoleat. Videamus ergo an tuta, & propria veritatis nota huic novitati communis sit, qua Orthodoxæ Doctrinæ omnes solent mutuo sociari. Ast ipsum nomen Novitatis plurimum displicet Irenæo lib. 3. contra hæres. c. 3. Tertulliano de Præscrition. Hæreticorum c. 15. & lib. 1. contra Marcionem c. 2. Epiphanio in Anacephal. & Vincentio Lirinensi in suo libro de profana hæreseos novitate: & sibi displicuisse ipsas vocum novitates in sua 1. ad Timoth. c. 6. ostendit Apostolus, dum inculcat Timotheo, ut Depositum custodiat, scilicet sanam Doctrinam, quam sæpe commendat, & quam sub hoc nomine intelligi vult ex proximis verbis: *devitans profanas vocum novitates*, quas novitates falsas, & vanas opponit traditæ Doctrinæ. Non est opportunum proferre veritatis characteres, & proprias notas, ut hæ ostendantur minime convenire Sacramentariorum opinionibus, quod nemo unus ignorat.

XIII. Satis est animadvertere nullam unquam in scenam prodiisse Sacramentariorum hæresim ad cujus ruinam Viros doctissimos periculosis Ecclesiæ temporibus Deus non excitaverit. Adelmannus Brixiensis Episcopus, Hugo Lingonensis, Lanfrancus Cantuariensis Guitmundus Averianus, & Durandus Abbas Troarnensis in Neustria Berengarium jam viventem suis Operibus perstrinxerunt, Undecim Concilia suam hæresim condemnarunt, Romanum, & Vercellense A. 1050. sub Leone IX. Brionense & Parisiense; ejusdem anni Florentinum & Turonense A. 1055. sub Victore II. Aliud Romanum A. 1059. sub Nicolao II. Rotomagense A. 1063. Pictaviense A. 1705. & duo reliqua Romana A. 1075. & 1076. sub Gregor. VII. Eodem anno, quo Petrus de Bruis errores suos in Provincia Arelatensi, aliisque finitimis disseminavit Petrus venerabilis Cluniacensis Abbas in Epistola ad Archiepiscopos Arelatensem, & Ebundunensem data hos errores confutavit, & Tolosanum Concilium sub Calixto II. damnavit. Hanc Sectam propagavit Henricus Monacus Apostata A. 1140. & mox ad illam expugnandam, & exterminandam Tertius Eugenius commisit onus Alberico Ostiensi Episcopo, quem suum Legatum misit in Gallias.

XIV. Quot non sunt coacta Concilia ut Wicklefi errores anathemate configerentur. Londinense A. 1382. Oxoniense A. 1408. Romanum A. 1413. & Constantiense A. 1415. lata sententia declaravit Joannem Wicklefum fuisse notorium hæreticum pertinacem ac in hæresi decessisse: imò Regia etiam auctoritas in exterminationem Wicklefianæ hæresis incubuit nam Richardus II. Angliæ, Rex A. 1388. solemni edicto Libros, & Scripta omnia Jo. Wicklefi ignibus tradere jussit, servari, legi, vendique prohibuit, & damnatos Wicklefi errores propugnari sub pœna Carceris. Richardum II. imitati sunt Henricus hujus nominis IV. & V. ex testimonio Henrici de Knigton lib. 5. de eventibus Angliæ, & Nicolai Harpsfeldii in Historia Wicklefiana cap. 17.

Decimo quinto denique Sæculo Carlostadii, aliorumque Novatorum hæreses vix prodierunt, quod illas damnavit Ecclesia, quæ inter execrandos errores recensuit effugia omnia ab Heterodoxis inventa, ut explicarent Dogma præsentiæ realis Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia, ut ipsis videbatur, non vero ut illud semper docuit, & tenuit universalis Ecclesia. Dum Concilium Tridentinum in can. 4. Sess. XIII. definivit: *Si quis dixerit peracta Consecratione in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse Corpus, & Sanguinem D. N. J. C. sed tantum in usu dum sumitur, non autem ante, vel post, & in Hostiis, seu Particulis Consecratis, quæ post Communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini, Anathema sit*, patet evidentissime id quod universalis Ecclesia sentit de reali præsentia Christi Domini in Sacramento Altaris: qua de re dicimus

§. II. *Vanum esse deliramentum Novatorum, quo contendunt Sacramentum Eucharistiæ consistere in usu dumtaxat, aut in actione transeunte, quando in re permanente consistit.*

XV. Atque ut tollatur commune illud Adversariorum effugium, quo ex similitudine aliorum Sacramentorum Novæ Legis, præcipue vero Baptismi, & Confirmationis, contendunt posse probare, quod quemadmodum hæc Sacramenta, quæ materiam habent, in usu ejusdem materiæ perficiuntur, videlicet in ablutione, & in Chrismatis consignatione; ita etiam Sacramentum Eucha-

charistiæ eodem modo perfici debeat, adverto cum D. Thoma p. 3. q. 73. a. 1. ad 3. *quod Sacramentum dicitur ex eo, quod continet aliquod Sacrum. Potest autem, aliquid esse Sacrum dupliciter, scilicet absolute, & in Ordine ad aliud. Hæc autem est differentia inter Eucharistiam, & alia Sacramenta habentia materiam sensibilem, quod Eucharistia continet aliquid Sacrum absolute, scilicet ipsum Corpus Christi, aqua vero Baptismi continet aliquid Sacrum, in Ordine ad aliud, scilicet virtutem ad Sanctificandum. Et eadem ratio est de Chrismate, & similibus, & ideo Sacramentum Eucharistiæ perficitur in ipsa consecratione materiæ, Alia vero Sacramenta perficiuntur in applicatione materiæ ad hominem Sanctificandum. Et ex hoc etiam consequitur alia differentia: Nam in Sacramento Eucharistiæ, id quod est res, & Sacramentum, est in ipsa materia, id autem, quod est res tantum, est in suscipiente, scilicet gratia, quæ confertur. In Baptismo autem utrumque est in suscipiente, scilicet, & Character, qui est res, & Sacramentum, & gratia remissionis peccatorum, quæ est res tantum. Et eadem ratio est de aliis Sacramentis, ubi igitur hæc Sacramenta in usu materiæ perficiuntur, Eucharistiæ Sacramentum in re permanente consistit*. Neque certe aliud innuunt verba Christi Domini Matthæi c. 26. *Cœnantibus autem eis accepit Jesus Panem, & benedixit, ac fregit deditque Discipulis suis, & ait accipite, & comedite, hoc est Corpus meum &c.* Marci c. 4. & *manducantibus illis accepit Jesus Panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait. Sumite: hoc est Corpus meum.* Et Lucæ c. 22. *Et accepto Pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens. Hoc est Corpus meum*: nisi quod sub Symbolis illius Panis erat verum suum Corpus antequam hæc Symbola Apostoli comederent. Non inficiamur, quod inspecta transpositione verborum in Evangelistarum narratione, umbraticum quoddam argumentum petere inde possint Heterodoxi, ut tueantur, vel Christum Dominum illa verba protulisse, quando actu Apostoli datum illis Panem comedebant, & Vinum bibebant, quod Illyricus asserere ausus est; vel verba illa verificari non posse, nisi post impletum Divinum mandatum de Pane accipiendo, illumque comedendo, quod scripsit Calvinus in lib. 4. Instit. c. 17. §. 37. ita ut Apostolis accipientibus, & manducantibus, in illo usu, & non prius, Panis ille factus sit Corpus Christi Verum, aut opportet, quod pervertatur harum Scripturarum sensus, aut necesse est, quod captiosa fallatur astutia. Innocentius III. Archidiaconus ad caput timore, Durandus lib. 4. Divinorum Officiorum cap. 41. Erasmus in annotationibus in caput 14. Marci & Catharinus in tractatu de verbis Consecrationis censent Christum Panem Consecrasse arcana benedictione, & illud in Corpus suum transmutasse, sicque transmutatum distribuisse Apostolis, dicendo: *hoc est Corpus meum. Id accepit Christus*, inquit D. Ambrosius, lib. 4. de Sacram. c. 4. & de his, qui Mysteriis initiantur c. 9. *quod natura formaverat, id vero Apostolis distribuit, quod benedictio consecrarat. Major autem est benedictionis vis, quam naturæ, quia benedictione etiam ipsa natura mutatur, quod ministri in Cana Galileæ in hydrias infuderunt aqua erat, sed, quod ex iisdem hydriis in Calices fudere Vinum erat*. Novatorum argumenta pene inutilia illis manent, si Innocentii III. Catharini, & Ambrosii opinionem sequamur.

XVI. Sed his opus non est, ut confutetur Illyricus. Res, quæ in Evangelio narratur ipsa per sese imperitum illum fuisse Scripturarum interpretem probat, quin etiam invitum fateri cogit adhuc superesse Sacramentum post il-

illius usum. Vult Illyricus a nobis accipi Verba Evangelica pro ut leguntur, id illi ultro concedimus, verum explicet ipse, id quod scribit D. Marcus c. 4. *& accepto Calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis: His est Sanguis meus novi testamenti*. Quodnam est vinum illud, quod Christus suum Sanguinem fecit cum ait: *hic est Sanguis meus?* Certe non illud quod biberunt, quia post Actionem bibendi dictum est: *Hic est Sanguis meus*, ergo aut Christus in Cœna Vinum non consecravit, quod nullus audet asserere, aut aliquid superfuisse Apostolis consecrati Vini Illyricus affirmabit. Quia vero hoc est suis Principiis contrarium, fateri debet, non esse attendendam transpositionem, qualis legitur in verbis Evangelicis, sed legitimum sensum eorundem verborum, & intentionem agentis Christi Domini, qui, ut scirent Apostoli, quare illis offerret Panem illum ad comedendum, & Vinum ad bibendum; testatus est, Panem illum, & Vinum esse revera suum Corpus, & Sanguinem. *Hoc est enim Corpus meum*: rursumque fateri Illyricus cogitur, Panem, & Vinum fuisse Sacramentum ante usum ejusdem, quod luculentissime inferunt, tum hæc verba, quæ sequuntur in cap. 22. Lucæ, in cap. 11. primæ ad Cor. *Hic est Calix novum testamentum in Sanguine meo*, quæ verba respiciunt Sanguinem, qui erat in Calice, antequam esset in ore sumentium; tum illa quæ in cap. 10. ejusdem epistolæ ad Cor. scribit Apostolus: *Panis, quem frangimus nonne communicatio Corporis Domini est? & Calix, cui benedicimus, nonne Communicatio Sanguinis Domini est?* & demum illud quod legitur in Canone Concilii primi Nicæni de Divina Mensa, quem Canonem sub his verbis exhibet Gelasius Cyzicenus: *Iterum etiam hic in Divina Mensa, ne humiliter intenti simus ad propositum Panem, & poculum, sed attollentes mentem fide intelligamus situm in Sacra illa Mensa Agnum illum Dei tollentem peccata mundi incruentum a Sacerdotibus immolatum &c.* ut prætercam plurima Patrum testimonia, Optati Milevitani libro 6. contra Parmenianum, Chrysostomi homil. 24. in primo c. ad Corint. Cyrilli Jerosolym. 5. Mystag. & Augustini Concione 1. & 2. in psalm. 33. Ex quibus certe ipse Calvinus intelligit se infelicissime verba Evangelistarum explicare, fingendo in illis Christum Dominum simul conjunxisse præceptum, cujus hæc est conditio, ut impleatur post effectum Actionis imperatæ, atque ita, ne in Sacramento quidem Apostoli manducassent Corpus, & bibissent Sanguinem Domini, quod est contra Calvini principia, in quibus, ut supra vidimus, vult bonos sumere ore Corporali Sacramentum, & simul ore fidei ipsum verum Domini Corpus; & impios, ore solum Corporali, Sacramentum sumere quamvis de his dicat Apostolus: *quod judicium sibi manducant, quia non dijudicant Corpus Domini*, ut supra dixerat: *quicunque manducaverit Panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini*. Constat igitur Verba institutionis non favere sententiæ Heterodoxorum, ubi servetur ordo rerum gestarum, etiamsi aliqua per anticipationem a S. Marco sint scripta: quam regulam, si etiam observasset Albertinus in verbis Matthæi c. 26. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec bibam illud vobiscum novum in Regno Patris mei* agnovisset ad rem non esse argumentum, quod ex his verbis componit: Si Corpus, & Sanguis realiter, & substantialiter erant in Eucharistia sub Accedentibus Panis, & Vini quando Dominus illam celebravit, Corpus suum ipse accepisset, edisset, & Sanguinem suum bibisset, quod cum fieri non potuisse probet S. Cyrillus, qui ait *nibil sui ipsius est*

par-

particeps, concludit neque per verba a Christo Domino prolata adfuisse in Cœna Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi. Non suo Ordine posuit hæc verba Matthæus, nam illa posuit ad finem Cœnæ, quando prolata fuisse in principio aperte S. Lucas narrat cap. 22. Quare hic Calix non est Eucharisticus. De Paschate loquebatur Dominus, qui propterea subinde meminit futuri alterius, & Cœlestis Convivii, quod commune erit omnibus Beatis, nec post hoc Convivium Eucharisticum Christus manducavit, & bibit solito more, & ad Corporis sustentationem, nam inter Resurrectionem, & Ascensionem tantum uti voluit cibo ad Corporis veritatem probandam. Sic itaque Propositum Christi Domini describit S. Lucas *cum facta esset hora discubuit, & XII. Apostoli cum eo, & ait illis &c. Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum atequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in Regno Dei; & accepto Calice gratias egit, & dixit: Accipite, & dividite inter vos; Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec Regnum Dei veniat*. Post hæc prosequitur narrationem, & exordium Cœnæ Eucharisticæ inquiens: *Et accepto Pane gratias egit &c.* Igitur verba Matthæi, quæ rem eandem exponunt a D. Luca narratam, non sunt intelligenda in hoc sensu, ut exprimant Calicem, in quo Christus Sanguinem suum dedit, sed illum, qui in Cœna Agni Paschalis a Patre familias inter discumbentes distribui solebat.

XVII. Sed quamvis ad Sacramentum hæc verba referrentur quis prohibet, quod Christus suum Corpus sumpserit, & suum Sanguinem biberit, quod pluribus ex Theologis non displicet? Absurdum ne inde ullum sequetur? Hoc est quod Albertius veretur, non intelligens, quomodo idem respectu ejusdem simul possit esse agens, & patiens, intra se, & extra se, simul Corpus visibile, & invisibile. Verum quis Dei opera absurda esse affirmabit, eo ipso, quod hæc opera Deus ipse voluerit? Non est petendum a Fontibus Philosophorum id, quod Deus possit efficere. *Quod nos videndo capere non possumus*, inquit Augustinus, *hæc credendo intelligimus. Nihil in Divinis effectibus* scribit D. Hilarius lib. 3. de Trinitate *humanæ mentis opinione tractandum est, neque de Creatore suo Opificii ipsius materia decernat. Cum enim recognita stultitiæ nostræ intelligentia imperitiam naturalis in nobis imprudentiæ senserimus, tum per Divinæ sapientiæ prudentiam, ad Dei sapientiam imbuimur, cum fine modo virtutes Dei, ac potestatem metiamur, cum naturæ Dominum non intra naturales leges cohibeamus, cum hoc solum de Deo bene credi intelligimus, ad quod de se credendum ipse sibi nobiscum, & testis, & auctor existit. Quid igitur ad hoc respondebimus, quod Corpus suum esse dixit, quod dixit esse suum Sanguinem? Non aliud, nisi, qui dixit in principio fiat lux, & facta est lux de nihilo, illum potuisse dicendo de Pane: hoc est Corpus meum ita fieri efficere, & qui tacita virtute aquam vertit in Vinum, efficacius potuisse (si quid tamen efficacius de Deo dici debet) sonante vocaliter eadem virtute, Vinum ipsum in Sanguine suo transferre*. Mirabile quidem est, quomodo idem sui ipsius particeps, suique ipsius cibus esse valeat, & intra se simul, ac extra se totus esse possit. Ex hoc tamen nullum Albertini argumento robur accedit. Multa potest Deus efficere, quam nos ipsi mente concipere, & quæ nos non possumus intelligere; & hujusmodi generis sunt ea, in quibus tota ratio facti est potentia facientis. Demonstrent Heterodoxi, atque explicent parva ista inferiora, & tunc cum Augustino illis credemus

mus posse se investigare superiora. Christus potuit utrumque efficere, & esse sub speciebus Panis, & Vini in Cœna, & hoc effecit; quemadmodum si voluit potuit suo se Corpore cibari, quod tunc fecisse, non improbabiliter ab aliquibus sustinetur. Nulla itaque humana ratio, nulla nos difficultas deterreat, sed quod ab initio statuimus, tanquam luculentissime demonstratum, summa constantia tueamur, Panem scilicet, & Vinum statim post verba Consecrationis a Christo prolata, & ante illius usum fuisse in Cœna Carnem, & Sanguinem Salvatoris, & Eucharistiæ Sacramentum non in re transeunte, sed in re permanente consistere.

XVIII. Videtur tamen huic permanentiæ repugnare ipsum Domini Factum: obstare videntur Pontificum Statuta, ipsa Disciplina veteris Ecclesiæ, & recentiora Conciliorum Decreta. Domini Factum exponens Cyrillus in caput 7. Levitici homil. 5. inquit: *Dominus Panem, quem Discipulis dabat, non distulit, nec differri jussit in crastinum*. Eandem regulam servari jussit S. Pontifex Clemens, in cujus rei argumentum extat apud Reginonem lib. 1. de Ecclesiast. Disciplinis cap. 195. sub nomine S. Clementis Papæ hic canon. *Certe tanta in Altari holocausta offerantur, quanta Populo sufficere debeant; quod si remanserint, in crastinum non reserventur, sed cum timore, & tremore Clericorum diligentia consumantur*. In more quarundam Ecclesiarum Sacramenti Reliquias igne consumendi Esichius tradidit lib. 2. in Levit. c. 8. idque suo Decreto Concilium Arelatense sancivit apud Ivonem p. 2. c. 59. & in usu fuisse docet Algerus lib. 2. cap. 1. Quinam vero Constantinopolitanæ Ecclesiæ mos fuerit, declarat Evagrius lib. 4. Hist. Eccles. c. 36. *Vetus est*, inquit, *Constantinopoli consuetudo, ut quoties ex Sacris partibus immaculati Corporis Christi Dei nostri magnus numerus superfuerit, Pueri impuberes ex eis, qui Grammaticorum Scholas frequentant evocentur, qui eas manducent. Cum his adfuit aliquando Puer Hebræus, & cum ceteris Sacrorum Mysteriorum particeps effectus est. Quod cum Pater didicisset, furore, ac rabie succensus, in Clibanum ardentem, in quo Vitrum formare solebat, Puerum conjecit, qui triduo in igne Deo protegente illæsus permansit, donec a Matre eductus e Fornaci, ipse cum Matre Baptismum suscepit. Pater Cruci affixus est*. Nicephorus Callistus lib. 17. hist. Eccl. c. 25. idem Miraculum refert, additque *se cum Puer admodum esset supernumerarius cum aliis interfuisse, & reliquias Sacramentorum suscepisse*. Hic floruit Sæculo XIV. Miraculum contigit dejecto Anthimo e Throno Constantinopolitano, eique Menna viro Orthodoxo substituto, scilicet Sæculo VIII. ex quo colligitur hunc morem in urbe Regia octo Sæculorum spatio perstitisse. Eandem consuetudinem postea in Galliis invexerunt Patres Concilii II. Matisconensis, ut constat ex canone 6. quem in hanc rem ediderunt. *Quæcunque reliquiæ Sacrificiorum post peractam Missam in Sacrario superfederint quarta, vel sexta feria innocentes Pueri ab illo cujus interest ad Ecclesiam adducantur, & indicto eis jejunio easdem reliquias conspersas Vino percipiant*. In Ecclesiis Hierosolymitanis, ex testimonio Humberti Cardinalis in responsione adversus Græcos, *si quis ex Sancta, & venerabili Eucharistia superfuerit, nec incendunt, nec in foveam mittunt, sed in Pixidem mundam recondunt, & sequenti die communicant ex ea populum*. Concilium I. Nicænum *non communicare ex ea Populum* decrevit, *sed eo honorari Sacerdotes in sequenti die, mane antequam communicent, & si residuum multum fuerit, partiri illud inter se, & unumquemque suam sumere portionem unica tantum*

tum vice permodum unius boli. Verum quamcumque etiam breviſſimam Sacramenti aſſervationem, quocunque prætexu factam prohibuerunt Concilium Cæſarauguſtanum canone 3. & Toletanum 1. can. 14. nam ut bene advertit Gabriel Biel in ſua lectione 36. in Canonem Miſſæ: *Poſtquam Chriſtus Dominus Corpus ſuum conſecravit, non ſiſtebat in Conſecratione, neque dedit Diſcipulis, ut ipſum honorifice conſervarent, ſed dedit in ſui uſum dicens: Accipite, & manducate*, quem laudabilem morem florere adhuc apud Abyſſinos narratur, & optandum eſſet, quod idem ubique ab omnibus cuſtodiretur.

XIX. Quam frivola, & inania ſint hæc Novatorum argumenta in primis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monumenta perſuadent. Omnium antiquiſſimum eruitur ex lib. 8. Conſtitutionum capite 13. aliis 20. ubi D. Clemens peracta Communione jubet quod ſupereſt de Corpore Domini reponi a Diaconis cum debita reverentia in Paſtophorio, ſcilicet, ut explicat Hjeronymus in Commentario ſuper Iſajam cap. 22. in Tabernaculo, ſeu Thalamo, ubi Templi Præpoſitus habitat. Extat & hujus rei inſigne documentum apud D. Cyrillum Alexandrinum in Epiſtola ad Calaſyrium, qua Antropomorphitas accerrime inſectatur, qui dicebant Euchariſtiam non eſſe in ſequentem diem ſervandam. Hujus moris Euchariſtiæ ſervandæ aliud documentum laudat citatus Hjeronymus in Epiſtola ad Ruſticum, ubi narrat S. Exuperium Toloſanum Epiſcopum ob voluntariam inopiam Chriſti Corpus in Caniſtro conſueviſſe ſervare. Victor Epiſcopus lib. 1. Africanæ perſecutionis de Divinis quoque Sacramentis in Eccleſia aſſervatis agit, cum Valerianum Epiſcopum viriliter dimicaſſe ait, ne ipſa traderet: *qua de cauſa ab impio Rege Geiſerico foras Civitatem ſingularis juſſus eſt pelli, addito præcepto, ne quis eum in Domo, ut agro permitteret habitare*. Huc ſpectat illud etiam quod Optatus Milevitanus narrat lib. 2. de Euchariſtia inaudito ſcelere Canibus a Donatiſtis tradita, qui Canes non ſine ſigno Divini judicii accenſi rabie ipſos Dominos ſuos, quaſi Latrones Sancti Corporis reos, dente vindice, tanquam ignotos, & inimicos laniaverunt.

XX. Verum non ſolum Chriſti Corpus ſub Panis ſpeciebus, ſed etiam primis Eccleſiæ temporibus, quando adhuc Laici communicabant ſub utraque ſpecie, uſum invaluiſſe ſervandi ipſum Chriſti Sanguinem ſub Vini ſpeciebus, eruitur ex D. Chryſoſtomi Epiſtola ad Innocentium I. *Ingreſſis*, inquit, *militibus in ſacrarium, ubi ſacra erant appoſita, Sanctiſſimum Chriſti Sanguinem in militum veſtes effuſum fuiſſe*, & clare probat canon 9. Concilii Rhemenſis, quartus Concilii Turon. II. & Decretum Julii I. in Epiſtola ad Epiſcopos per Ægyptum miſſa, & canon. 3. Bracarenſis apud Gratianum in cap. *cum omne* de Conſecr. diſt. 2.

XXI. Pro eodem antiquiſſimo more comprobando faciunt documenta illa, quæ locum indicant ubi in Eccleſiis Euchariſtia ſervabatur. Recondebatur hæc in Columbis aureis, & argenteis ſuper Altari appenſis, item in Turriculis, ſeu Turribus pretioſis. De primis multa narrantur in vita S. Baſilii Amphilochio adſcripta, eaſdem olim ſublatas a Severo Hæretico conqueſti ſunt Monachi, & Clerici Antiocheni, oblato ſecundæ Nicænæ Synodo ſupplici libello in Actione 5. ut refert Claudius Eſpencæus in lib. 2. de adorat. Euchar. cap. 5. De Turriculis agit Gregorius Turon. in lib. de Gloria Martyrum cap. 86. quarum unam e manibus impuri Diaconi elapſam refert, ſeque in Altari collocaſſe, ita ut, eam Diaconus nunquam aſſequi potuerit.

Tandem cœpit servari Corpus Domini in Pixide, ut hodie custoditur. Quinimò, ut peculiarem locum haberet Eucharistia in Altari Concilium II. Turon. A. 570. ut vult Binius, vel A. 567. ut probat Sirmondus, de hac re Canonem edidit, quo cavetur, ut Corpus Domini in Altari non Imaginario ordine, sed sub Crucis titulo componatur, videlicet, ut quidam interpretantur, non in eodem cum reliquis Imaginibus loco in Altari, vel ut interpretatur Mabillonius, tum in Tractatu de Azimo cap. 8. tum in lib. 1. de Liturgia Gallicana cap. 9. non in parietibus, aut in Sacristiis, in quibus aut cælatæ, aut depictæ habebantur Imagines, qui mos est Græcorum ex Leone Allatio in Epistola ad Jo. Morinum de recentioribus Græcorum Templis, sed sub Cruce in loco dignori ponatur, quem ritum nonnulli sunt, qui multo ante hoc Concilium indicatum voluerunt a S. Paulino Nolano in sua Epistola 12. ad Severum.

XXII. Facit etiam contra ipsos Heterodoxos id, quod in Annalibus Ecclesiasticis scribitur de more tempore Persecutionum servandi Eucharistiam in privatis Domibus, ut quia quotidie primis fidelibus vitæ periculum imminebat, quotidie seipsos possent Sacra Communione ad certamen præparare. De hoc agit Tertullianus in lib. 2. ad Uxorem cap. 5. & in lib. de Orat. cap. 14. Cyprianus lib. de Spectaculis, & libro de Lapsis, ubi hæc scribit: *Cum quædam mulier arcam suam in qua Domini Sanctum fuit manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere*. Agunt de eodem more Gregorius Nazianzenus, Basilius, Hieronymus Epistola 50. ad Pammachium, & Augustinus lib. 3. contra Julianum n. 164. scribens *cum quidam Alcatius clausis oculis natus esset a Religiosa Matre sanatus fuit applicato Cataplasmate ex Eucharistia, quam Domi asservabat*.

XXII. His accedit antiquissimus usus Ecclesiæ mittendi Eucharistiam ad absentes, de quo loquitur Justinus in Apologia 2. *Diaconi*, inquit, *distribuunt unicuique præsenti, & ad absentes perferunt*, Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 6. cap. 44. Palladius in Historia Lausiaca cap. 9. & 52. Justinianus Novella 123. de Episcopis, & Monachis cap. 41. & Irenæus Martyr. in Epistola ad Victorem Papam relata ab Eusebio lib. 5. Histor. cap. 24. testis est a Summis Pontificibus Victoris prædecessoribus diversarum Ecclesiarum Presbyteris, seu Episcopis transmissam Eucharistiam in signum videlicet mutuæ Communionis.

XXIV. Facit postremo contra ipsos Novatores alter Ecclesiæ usus pluribus Sanctis Viris olim frequentatissimus secum in itenere Sacram Eucharistiam deferendi, sed nostris temporibus solo Romano Pontifici reservatus, cum extra Urbem longum iter agit, quanquam referat Gabriel Sinaita in Epistola ad Bartoldum Niusium inter Allatii Symmicta, etiamnum apud Maronitas eundem usum vigere. Scribit de hoc usu D. Ambrosius Oratione in Funere Satyri Fratris sui, Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 36. Hieronymus in fine Epistolæ 4. ad Rusticum, Petrus Arcudius lib. 3. de Sacramentis cap. 59. & Beda in Martyrol. die 15. Augusti refert Tharsicium Martyrem, cum deferret secum Eucharistiam, & incidisset in Gentiles, maluisse sibi vitam eripi, quam Eucharistiam, quæ a manibus Gentilium evolavit. Quare nescio quomodo Heterodoxi possint tot invictissima testimonia parvi pendere, & silentio præterire, ut criminosam opinionem tueantur, negando Eucharistiam esse rem permanentem.

XXV. Sed

XXV. Sed quia nimium confidunt in factis ab eisdem narratis, age modo singula hæc ad trutinam revocemus. Præceptum itaque putatur a Christo Domino datum de non servandis in crastiuum Sacramenti Reliquiis. Optaretur quod Kemnitius ostenderet, in quibus verbis hoc præceptum contineatur. Fortasse contineri putat in his verbis *accipite, & comedite*. Verum non videt Hæreticus homo quod hæc verba id exprimunt, quod oportebat tunc Discipulos facere, non id quod postea facturi fuissent; nam hoc expressit in sequentibus verbis: *quotiescunque manducabitis Panem hunc, & Calicem bibetis mortem Domini annunciabitis donec veniat*. Non egit tunc Christus de utilitate, vel de necessitate servandæ Eucharistiæ; nec tantam materiam consecravit in Cœna, ut post Cœnam aliquid ex illa superfuisset. Fregit Panem ut distribueret discumbentibus, non ut servaret absentibus. Si igitur Christus nec præcepit, nec prohibuit Panem hunc servare in crastinum, quare hoc prohibebit inimicus Christi, & Carnis, & Sanguinis Salvatoris? Plura alia non jussit Christus in Cœna, quæ postea per Apostolos disposuit, etiam circa Sacramentum Eucharistiæ, ut scribit Augustinus Epistola 118. Quare non a facto Christi Domini, sed ab usu, & traditione Ecclesiæ intelligendum est, num debuerit postea asservari Eucharistia, non ab Auctoritate Cyrilli, aut melius Origenis, qui illud non scripsit, ut indicaret Præceptum Domini de non asservando Sacramento, sed ut doceret, quod volebat, scilicet placere Deo Sacrificium recens, & novum, ac spirituale non vetus, usus est exemplo Domini, qui Eucharistiam a se consecratam continuo jussit manducari. Non dubitarem tamen fateri laudata ex Cyrillo, aut Origene verba, non fuisse, & Origenis, & Cyrilli; Non Origenis, quia Ruffinus, qui homiliam vertit, ex qua petuntur, testatur se plura adjecisse, & sustulisse: Confirmat meam fidem Espencæus in lib. 2. de Adoratione Eucharistiæ cap. 9. Non Cyrilli, quia jam supra audivimus Cyrillum Alexandrinum redarguere hunc primum Antropomorphitarum nascentem errorem, hæc sunt illius verba loco supra cit. *Porro aliquos etiam esse audio, qui Mysticam Benedictionem nihil ad satisfactionem proficere dicant: si quid ex ea fiat reliquum in aliam diem: insaniunt vero, qui hæc asserunt, nec enim alteratur Christus, nec Sanctum ejus corpus immutatur, sed Benedictionis vis, & facultas, & vivificans gratia perpetuo in ipso existit*. Usum vero, & traditionem Ecclesiæ in asservanda Eucharistia, vel pro Infirmorum Communione, vel ut ad Monacos, & ad Moniales deferretur, vel pro illis diebus in quibus non sacrificabatur, vel ut Presbyteri, & Diaconi per 40. dies a die suæ Ordinationis ex ea communicarent, ut scribunt Fulbertus Carnot. Epistola ad Finardum, & Albinus Flaccus de Divinis Officiis titulo *qualiter Episcopus Ordinetur in Curia*, plurima Concilia demonstrant. Turon. II. can. 3. & 4. Vormatiense can. 5. Bituricen. can. 2. Oxoniense can. 16. Colon. III. part. 7. cap. 16. Augustense can. 18. Capitularia Heraldi Episc. Turon. can. 56. Ravenatense II. tempore Clementis V. rubrica 7. Salseburgense tempore Martini V. cap. 28. & postremum omnium Tridentinum in quo Sessione XIII. cap. 6. hæc leguntur: *Consuetudo asservandi in Sacrario Sanctam Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam Sæculum etiam Nicæni Concilii agnoverit*.

XX. Sed his non obstantibus volumus cum Adversariis liberaliter agere, & concedere, quod aliquando Ecclesia prohibuerit Eucharistiam asservari, quod videntur innuere Verba S. Clementis: ergo ne id prohibitum fuit quia

Chriſtus non crederetur permanens in Sacramento in ejusdem reliquiis poſt uſum Euchariſtiæ? Non ſine ſumma, aut ignorantia, aut inſania, id affirmabitur. Periculum inſtantium perſecutionum, ne Sacramento ab inimicis Chriſti irrogaretur injuria, Eccleſiarum Præſules aliquando, & non ſemel impulit, ut ſuis Decretis graviſſimo huic ſcandalo occurrerent, prohibendo Reliquias Sacramenti ſervare, & præcipiendo, ut potius infantibus jejuniis traderentur, aut igni abſumerentur. Aliam etiam cauſam aſſignat S. Clemens in proxime ſequentibus verbis, quæ in citata ſecunda Epiſtola leguntur. *Tribus gradibus commiſſa ſunt Sacramenta Divinorum ſecretorum, Presbytero, Diacono, & Miniſtro, qui cum timore, & tremore Reliquias fragmentorum Corporis Dominici cuſtodire debent, ne qua putredo in Sacrario inveniatur, ne cum negligenter agitur, portioni Corporis Domini gravis inferatur injuria.* Ceterum: tum ex his verbis, quemadmodum ex ſuperioribus conſtat tempore S. Clementis in Eccleſia conſueviſſe Sancta aſſervari, & conſueviſſe deinceps uſque ad noſtra tempora, ut ex memoratis in argumento Kemnitii caſibus ipſe Kemnitius diſſimulare non poteſt, ut neque ipſe Calvinus diſſimulavit lib. 4. c. 17. §. 39.

XXVII. Ex hoc vero, quod a nonnullis Eccleſiis proviſum fuerit, ut certis in hæbdomada diebus, quarta nimirum, vel ſexta Feria, Pueri jejuni convenirent ad abſumendas Reliquias Euchariſticas, in aliquibus aliis, ut vel Populus, vel Sacerdotes inſequenti die a celebrata Euchariſtia communicarent ex eo, quod ſuperfuiſſet, efficacius argumentum eruitur Fidei, & Opinionis Eccleſiæ, quod non ſolum uſus tempore, ſed etiam ante, & poſt uſum in Sacramento Chriſti Corpus ſuperſit. Nec alia debet eſſe fides Calvini, Kemnitii Albertini, & Sacramentariorum omnium opinio, hoc ipſo, quod fateri velint perſeverare Corpus Chriſti in Sacramento toto tempore quod intercedit inter diſtributionem, & manducationem. Hoc enim poſito quis non videt ſi communicandi ſint plures, per plures temporis morulas permanere debere Corpus Chriſti ſub ſpeciebus Sacramentalibus? Si itaque permanet toto hoc tempore, etiam per integram diem, per hebdomadam, & amplius permanebit, quoadusque Species Euchariſticæ non conſumantur, vel totaliter alterentur.

XXVIII. Quod vero Concilium Cæſarauguſtanum can. 3. definiverit; *Euchariſtiæ gratiam ſi quis probatur acceptam in Eccleſia non ſumpſiſſe, anathema ſit in perpetuum*, & Concilium Toletanum I. can. 14. ſtatuerit quod *ſi quis autem acceptam a Sacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit, velut Sacrilegus propellatur*, neceſſe fuit quod hæc Concilia ita decernerent; nam paulatim abuſus irrepſerant, & fraudes multæ, & ſacrilegia; idque primum in Hiſpania conſtitutum fuit propter Priſcilianiſtas, & alios infideles, qui ne detegerentur in Eccleſiis non communicaſſe, Sacrum Domini Corpus ſecum deferebant, tum polluebant, & profanabant: Deinde iterum in Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 20. ne videlicet aliqui tanto Sacramento abuterentur ad Veneficia. Si extra uſum Cœnæ non adeſſet Sacramentum: & Corpus Domini non permaneret ſub ſpeciebus Panis, & Vini, cuilibet poſſet permitti Panis hic ſanctificatus abſque periculo ſacrilegii, quia eſſet merus Panis. Confirmatur itaque etiam ex his prohibitionibus veritas illa, contra quam, tam acriter pugnant, qui a Romana Eccleſia avverſi ſunt, ut velint religioſiſſimos homines, & Catholicos Scriptores Gabrielem Biel, & Cardinalem Humbertum, qui fortiſſime Sacramentariorum hæreſibus reſtiterunt, una

cum

cum illis sentire. Sed præclarissimos Auctores horum latratus non lædunt, cum omnes sciant Gabrielem Biel de primario fructu, & usu Eucharistiæ in citato ab Hæreticis loco differere, ibique docere magis Eucharistiam prodesse dum sumitur, quam dum in Pixide conservatur: Et Humbertum, non contra Sacramenti asservationem disputare in libro adversus Nicetam, sed Græcos reprehendere, qui per totam Quadragesimam exceptis Sabbatis, & Dominicis, ac S. Annunciationis Festo a Sacrificio abstinent, Missam Præsanctificatorum celebrare contenti, qui tamen hac in re Laodicenæ inhærent Synodo, cujus can. 49. ita habet. *Non convenit in Quadragesima Panem offerre, nisi forte solis Sabbatis, & Dominicæ diebus*, addit Concilium in Trullo can. 52. *& S. Annunciationis die*.

XXIX. Qui tandem reponitur Abyssinorum usus, non probat adversariorum sententiam, nisi prius ostendantur Gentes hæ in fide Eucharistiæ desciviffe a Catholica opinione, verum etiam si Gentem hanc a Romana, & Græca Ecclesia scissam ingemiscat Catholicus orbis, constantissime tamen eadem semper servavit de Eucharistia Doctrinam, quam, & Romani, & Græci intactam semper retinuerunt; ut patet ex illarum Liturgijs, quarum altera Apostolis, Dioscoro Alexandrino tribuitur altera. Primam Renaudotius publici juris fecit in suo primo Tomo Liturgiarum, edidit alteram Wansleb. Legitur in prima hæc Oratio supra Patenam. *Domine Deus noster J. C. &c. extende nunc manum tuam super hanc Patenam, benedic, sanctifica, & purifica illam, ut in ea perficiatur Corpus tuum Sanctum*, super Calicem his similia proferuntur. Additur Oratio super Cochleari quo Sanguis Domini ministratur, & petitur illius sanctificatio ad administrandum *Corpus, & Sanguinem, Unigeniti Filii tui*, &c. Sequitur Oratio oblationis mysticæ: *Princeps J. C. &c. ostende faciem tuam super hunc Panem: & super hoc Altare spiritnale tuum, benedic, sanctifica, & purifica illos, & transmuta hunc Panem, ut fiat Corpus tuum purum, & quod mistum est in hoc Calice Sanguis tuus pretiosus, &c.* Sacerdos Consecraturus Panem pro his verbis *hoc est Corpus meum* dicit, *hic Panis est Corpus meum*. Populus respondet *Amen. Amen. Amen. Credimus, & certi sumus. Laudamus te Domine Deus noster. Hoc est vere, & ita credimus, Corpus tuum*. Post consecrationem Calicis cum his verbis *Hic est Calix &c.* Populus respondet *Amen vere est Sanguis tuus. Credimus*.

XXX. Quid ad hæc Calvinus? quid Kemnitius? Quid omnis Protestantium turba, quæ audit veram Abyssinorum fidem de reali præsentia Corporis, & Sanguinis Domini in Sacramento Altaris? & nihil hic audiunt expressum de illorum opinione circa susceptam a Verbo Dei humanam Carnem, aut imaginarium, aut figuratum Corpus, & Sanguinem, sed fatentur certissimam conversionem Panis in Corpus Christi, & Conversionem Vini in suum Sanguinem ante ejusdem Corporis, & Sanguinis sumptionem, dum dicunt: *Hoc est vere Corpus tuum, vere est Sanguis tuus. Credimus*? Sed ut nullus relinquatur Cavillationibus Heterodoxorum locus, opportunum est Liturgiam prosequi a fractione Panis consecrati usque ad Communionem tum Sacerdotis, tum Adstantium. Cum Sacerdos pervenerit ad fractionem, Subdiaconus simul cum Populo dicit: *Exercitus Angelorum Salvatoris Mundi sunt coram te, & cingunt Corpus, & Sanguinem Domini, & Salvatoris Nostri J. C.* deinde: *Accedamus ante faciem ejus, & cum fide Christum veneremur*. Postquam Sacerdos dixerit formulam consuetam *Sancta Sanctis*, in manu tenens Dona con-

fe-

secrata, eaque Populo ostendens, suo, ac Populi nomine hanc confessionem emittit: *Corpus Sanctum, Pretiosum, vivum, & verum Domini, & Salvatoris Nostri J.C. quod datur ad remissionem peccatorum, & vitam aeternam suscipientibus illud cum fide. Amen: Sanguis Sanctus pretiosus, vivificans, & verus Domini, & Salvatoris nostri Jesu Christi, qui datur &c. Amen. Hoc est Corpus, & Sanguis Emanuelis in rei veritate. Amen, Amen, Amen. Credo. Credo ex nunc, & usque in saeculum Amen. Hoc est Corpus, & Sanguis Domini &c.* Dum Sacerdos Communionem Populo distribuit dicit: *Hic est Panis vitae, qui de Caelo descendit, vere pretiosum Corpus Emanuel Dei nostri Amen.* Et qui recipit dicit *Amen*, idest ita Credo. Addit Sacerdos. *Hic est Calix vitae, qui descendit de Caelo, qui est pretiosus Sanguinis Christi*, & qui accipit dicit *Amen*. Luculentius testimonium fidei Abyssinorum is modo inquirat necesse est, qui ingenio suo abutitur, ut veritatem ipsam in pravum sensum interpretetur, sed id a nobis non postulet, quibus compertum est Abyssinos in hoc articulo a Catholico dogmate non discrepare. Quod itaque ipsi improbent Eucharistiam asservare, intelligendum est in illa quantitate, quae superabbundet, cum apud eos, non solum Clerici, sed Laici omnes bis in hebdomada Eucharistiam percipiant non vero in illa, quae semper in promptu esse debet ad communicandos infirmos, quod scimus etiam a variis Conciliis imperatum fuisse, ut supra notavimus. Apud ipsos Abyssinos Viaticum Moribundis praeberi sub unica specie Panis Lucas Holstenius ad Nihusium scribit ex certa, & fida Sacerdotis Abyssini relatione.

XXXI. Ne vero in hac controversia quid ambiguum relinquatur adverto primo Sacramentum Eucharistiae ira explicatum, esse Signum, tum sensibile, tum rei Sacrae Sanctificantis, idest internae, atque invisibilis spiritualis nutritionis, quae duo requiruntur ad naturam Sacramenti, ut consideranti patet,

XXXII. Adverto II. Institutum fuisse hoc Sacramentum a Christo Domino & ab ipso per Ministrum quotidie fieri Ritibus, & Caeremoniis ab ipso Christo D. institutis, & ab Ecclesia approbatis. Patet id ex Concilio Trid. Sess. XIII. cap. 2. & Sess. XXII. cap. 2. & 5.

XXXIII. Adverto 3. etiam in hoc Sacramento, quemadmodum in aliis accedere Elementum ad Verbum, scilicet res, & verba concurrere, ut inquit D. Augustinus, licet postea confecto Sacramento nihil horum remaneat, nam haec duo solum manent in illis Sacramentis, quae in Actione consistunt, sive ut ajunt, quorum idem est fieri, & esse, cum in his Elementum, & Verbum sint principia utriusque actus: Non vero in hoc Sacramento, in quo fieri, & esse sunt aliud; quare, dum hoc Sacramentum efficitur, Elementum, & Verba concurrunt, sed dum effectum est, non amplius Elementum manet, nisi quo ad externas species, Symbola, vel Accidentia, & Verbum manet, quo ad virtutem. Ex quo sequitur Omnia Sacramenta Novae Legis pertinere ad idem genus, sed non esse ejusdem speciei, quae tamen differentia est tantummodo materialis, nec pertinens ad rationem formalem Sacramenti: Quare, quiquid ex Scripturis objici posset, ut probaretur Sacramentum hoc consistere non in re permanente, sed in usu facile solveretur respondendo Scripturam respicere in locis illis usum Sacramenti, non vero essentiam, nisi in illis casibus, in quibus usus, non distinguitur ab essentia, qui casus est in reliquis Sacramentis, postquam Eucharistiam exceperimus.

CAPUT III.

C A P U T III.

DE MATERIA SACRAMENTI EUCHARISTIAE.

§. I. *Eucharistiæ materia necessaria est Panis, & Vinum.*

EX recitatis in superiori Capite Verbis Evangelicis patet Christum Eucharistiam celebrasse in Pane, & Vino, ita ut non nisi temere quis dubitare possit Panem, & Vinum esse necessariam Eucharistiæ materiam. Epiphanius certe hæresi 26. commemorat Gnosticos qui a Carpocrate nati sunt consuevisse *ex fœtu informi abortione projecto nefarium sacrificium, & epulum offerre, ac parare*. S. Jrenæus lib. 1. c. 31. Eusebius lib. 4. Histor. Ecclesiasticæ c. 27. Theodoretus in lib. 1. Hæretic. fabularum una cum Epiphanio hæresi 46. 47. referunt Encratitas *meram aquam ad Mysteria sua adhibuisse* unde, & *Hydroparastratæ* vocati sunt, & Pepuzianos Montanistarum genus in suis Mysteriis *offerre Panem, & caseum* vocatos propterea *Artotyritas*, sed hæc deliramenta cum suis Auctoribus perierunt, nec ipsi Heterodoxi in hoc discrepant a Romanis Theologis, & ab universalis Ecclesiæ consensione. Non raro tamen accidit, quod ex Vini penuria, cum aqua, vel aliis potuum generibus Missarum celebrarentur Sacramenta, id in Actis S. Wolfangi Ratisbonensis Archiepiscopi cap. 24. narratur, & in Navigatione Josephi Indi in Novo Orbe c. 154. legitur: *Indos apud Caranganoram agentes uvas passas immergere aqua, ac demum succum exprimere, eoque vice Vini* uti. De quibusdam aliis etiam scribitur, *lac pro* Divinis Sacrificiis dedicasse, & de aliquibus, non expressum Vinum in Sacramento Dominici Calicis obtulisse, sed oblatis uvis Populos communicasse: Quare oportuit quod his abusibus occurreret Concilium Braccarense III. A. 675. Quod præstitit in cap. *cum omne crimen* 1. ubi repulsis omnibus opinionibus superstitiosis, jusserunt Patres, quod Panis tantum, & Vinum aqua permixtum in Sacrificio offerrentur, non secus ac antea definiverant Patres in Chartaginensi III. Synodo congregati A. 397. can. 24. *In Sacramentis Corporis, & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est Panis, & Vinum aqua mixtum. Nec amplius in Sacrificiis offeratur, quam de Uvis, & Frumentis*, & PP. Concilii Aurelian. IV. A. 545. postea can. 4. statuerunt quod *nullus in oblationibus Sacri Calicis, nisi quod ex fructu vineæ speratur, & hoc aqua mixtum offerre præsumat, quia sacrilegium judicatur aliud offerri, quam quod in mandatis sacratissimus Salvator instituit*. Nec alia docuit Eugenius IV. in sua instructione ad Armenos cum scripsit *Eucharistiæ Sacramenti materia est Panis triticeus, & Vinum de vite, cui ante Consecrationem aqua modicissima admisceri debet*. Quid sit Panis triticeus, quid Vinum de vite, petendum ex vulgari æstimatione, & judicio est. Sub hoc nomine non venit Panis ex spelta, aut ex farre, licet nonnulli id aliquando crediderint propter similem figuram grano tritici, quos ita insectatur D. Thom. in IV. Sentent. Dist. 11. q. 2. a. 2. in responsione ad 3. argumentum primæ quæstionis. *Quidam dicunt quod de spelta potest confici Corpus Christi propter similitudinem, quam habet ad triticum. Sed sicut pates intuenti, quantum ad figuram plus appropinquat* hor-

hordeum ad similitudinem tritici, quam spelta remoto cortice ab utroque, quamvis in colore plus spelta conveniat, sed inter alia omnia hujusmodi plus convenit maxime in figura far cum tritico, & similiter in colore; unde ex identitate figuræ non potest haberi quod aliquod istorum sit ejusdem speciei cum grano tritici, sed identitatis speciei. Potest ex alio experimentum accipi. Generans, enim, & genitum conveniunt de necessitate in specie, sed non de necessitate in accidentibus; quin imò accidentia variantur ex causis extrinsecis. unde cum ex grano tritici ubicunque seminetur nunquam nascatur spelta, vel far, aut hordeum, vel aliquid hujusmodi, constat quod omnino ista differunt specie a tritico. Totus itaque est D. Thomas, ut probet non esse materiam Sacramenti Eucharistiæ Spelta, & Far, veruntamen, propter rationem, qua suum argumentum concludit, putat, quod si ex siligine Panis fiat, posse hunc Panem esse materiam hujus Sacramenti, *quia scilicet siligo nascitur a grano tritici seminato in malis terris, propter debilitatem virtutis generativæ, ratione cujus est quædam dissimilitudo generantis ad genitum, solum quantum ad accidentia, non vero quantum ad speciem.* Ita D. Thom. part. 3. q. 74. a. 3. ad 2. Excluduntur etiam a materia hujus Sacramenti Amidum, seu Amylum, quod fit ex tritico corrupto, nam ut Soto notavit, ejus materia, non tantum est tritici Farina, quam lac ex eo expressum, neque quicumqne alter Panis, qui substituitur in defectum Panis usualis, quive Panis simpliciter dici non solet potest in Sacris Mysteriis offerri, & tandem si Farinæ admisceatur aqua rosacea, vel quicunque alius liquor, quam vera aqua, non posse ex ea confici Sacramentum docet laudatus S. Doctor l. c. art. 7. ad 3. quia non est verus Panis. Horum omnium potissima ratio est Christi institutio, qui Pane communi usus est, cum Eucharistiam instituit. Quanquam hæc certa sint, & possit etiam hujus institutionis reddi ratio triplex prima ex effectu, quia talis Panis melius nutrimentum præstat. 2. ex usu Sacramenti, quia Panis triticeus communius in usum cibi venit. 3. ex re contenta, quæ est Christus Dominus, qui Joannis 12. se grano frumenti comparavit; obstare nihilominus videtur idem Evangelista in cap. 6. ubi referens Eucharistiæ figuram in Christi miraculo de quinque Panibus scribit hos fuisse hordeaceos: igitur Panis hordeaceus erat Panis usualis Hebræorum, itaque etiam Panis hordeaceus fuit, & esse debet materia hujus Sacramenti, eo etiam opportunior, quo aptior videtur, & magis consona Dominicæ Passioni, utpotequi est asperior.

II. Tantum vero abest, ut ex his qualitatibus Panis hordeacei inferri debeat illum esse convenientem materiam Sacramenti, quod potius S. Thomas loco cit. a. 3. ad 1. ex eisdem qualitatibus censeat oportere oppositum sustineri. *Panis hordeaceus competit ad significandum duritiem veteris legis, propter duritiem Panis. Hordei medulla* scribit Augustinus in lib. 83. quæstionum q. 61. *quæ tenacissima palea tegitur, vel ipsam legem significat, quæ ita data est, ut in ea vitale animæ alimentum corporalibus Sacramentis obtegeretur, vel ipsum Populum nondum expoliatum carnali desiderio, quod tanquam palea cordi ejus inhærebat. Hoc autem Sacramentum pertinet ad suave jugum Christi, & ad veritatem jam manifestatam, & ad Populum Spiritualem: Unde non est materia conveniens hujus Sacramenti Panis hordeaceus.* Ex hoc vero quod aliquando potuerit in usu esse hordeaceus Panis apud Hebræos præcipue vero apud Apostolos, ad quos pertinuisse hos quinque Panes, docet Chrysostomus homil. 49. aliis 50. in Matt. & hom. 42. aliis 41. in Joan.

Cyril-

Cyrillus lib 3. in Joan. Leontius, Theophilactus, Albertus Magnus, Barradius, aliique, *ut hinc discamus, qui deliciis summi dediti, quis cibus esset tam mirabilium virorum, quam tenuis, cujus generis, ipsosque in mensa frugalitate, & conditione imitemur*, non sequitur quod illo semper uterentur Apostoli, & quod hic esset usualis Panis Hebræorum, nisi fortasse pauperiorum, & deficiente Anona, nam certius constat Palestinam optimis abundare frumentis, triticique Regionem esse feracissimam. Verum etiam si hordeaceus Panis fuisset quotidianus cibus Apostolorum; ergo ne, & futurus erat cibus usualis eorumdem in solemnioribus Cœnis, quibus interfuerunt cum Christo Domino, & in illa Cœna præsertim, quam ejusdem Christi Domini mandato Discipuli paraverunt, ut comederent Pascha? Temporis solemnitas, Christi Domini desiderium, ut hoc Pascha manducaret cum Discipulis suis: opportuna illarum rerum, quibus ad Cœnam indigere poterant Apostoli, præparatio, nos ad credendum impellunt inter cetera, etiam Vinum, & Panem optimum elegisse juxta Hebræorum consuetudinem, & propterea Typum illum Eucharistiæ instituendæ a Christo Domino expressum in Miraculosa quinque Panum multiplicatione, non respexisse qualitatem Panis consecrandi, sed prodigiosam illam futuram transubstantiationem in Christi Corpus, ut scilicet, sic in ultima Cœna Christus Dominus instituturus Eucharistiam, benedicens Panem eum in Corpus suum transmutasset, quemadmodum Mensam in Deserto paraturus, quinque hominum millibus absque Parvulis, & Mulieribus, quinque Panes hordeaceos eadem sua Benedictione multiplicaverat.

III. Nihil vero prohibet, sive multum, sive parum materiæ Panis in sacris Mysteriis offeratur. Male audiuntur, qui credunt consecrari non posse tantam materiæ quantitatem, quæ a fidelibus non consumatur, aut adeo exiguam, ut vix esset sensibilis. Si in hoc ab aliquibus erratum est, quod existimarent Sacerdotem consecrare non posse immensam quantitatem Panis, aut Vini, puta totum Panem, qui venditur in foro, aut totum Vinum, quod est in dolio, illorum errorem corrigit D. Thomas l. c. a. 2. in corp. hoc fundamento: *quia in omnibus habentibus materiam ratio determinationis materiæ sumitur ex ordine ad finem. Finis autem hujus Sacramenti est usus fidelium; unde oportet quod quantitas materiæ hujus Sacramenti determinetur per comparationem ad usum fidelium. Non autem potest esse quod determinetur per comparationem ad usum fidelium, qui nunc occurrunt, alioquin Sacerdos paucos Parochianos habens non posset consecrare multas hostias. Unde relinquitur quod materia hujus Sacramenti determinetur per comparationem ad usum fidelium absolute, numerus autem fidelium est indeterminatus: Unde non potest dici, quod quantitas materiæ hujus Sacramenti sit determinata*. Peccabit tamen Sacerdos in casu, quod ex illius culpa Eucharistiæ Sacramentum reverenter a fidelibus sumi non posset, aut periculum esset, quod in sacra Pixide species Sacramentales corrumperentur, cui periculo jam consuluerunt varia Concilia a nobis supra relata: quemadmodum peccabit, si intendat consecrare propter aliquem malum finem, ut irrideat, vel veneficia faciat, sed tamen propter potestatem sibi datam perficiet Sacramentum, quod perficitur in consecratione materiæ ad differentiam Sacramenti Baptismi, quod perficitur in usu materiæ, & ideo per formam Baptismi non plus de aqua sanctificatur, quam quantum venit in usum.

IV. Quod vero a quibusdam additur de valida consecratione insensibilis quantitatis materiæ, id sibi persuasum habent propter verba Concilii Tridentini relata in Canone 3. Sessio. XIII. *Si quis negaverit in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus separatione facta totum Christum contineri, Anathema sit*. Ex quibus verbis ita argumentantur. Singulæ cujusque speciei partes, si tota species fuerit consecrata, separatione facta totum Christum continent, ergo singulæ cujusque speciei partes possunt Christum continere, sed per solam consecrationem hæc potentia reducitur ad actum: ergo singulæ cujusque speciei partes non consecratæ possunt consecrari, cum illud idem requiratur ad conservandam in materia formam, quod requirebatur quando hæc forma in materia non erat, ut in ipsam introduceretur. His tamen non obstantibus principalis propositio falsa est. Hanc falsitatem probat natura ipsius Sacramenti, quæ exigit, ut sit signum sensibile, quæ conditio deficit hoc ipso, quod eligitur pars materiæ insensibilis, ut consecretur. Concilium Tridentinum non loquitur de hujusmodi minimis particulis, quæ ex repetitis divisionibus insensibiles evadunt, hoc enim ipso, quod eò procederet hæc divisio, ut ad partes insensibiles perveniret, non displiceret responsio D. Thomæ, quæ habetur l. c. q. 76. a. 3. ad 1. *quandiu quantitas manet indivisa actu, neque substantia alicujus rei est pluries sub dimensionibus propriis, neque Corpus Christi sub dimensionibus Panis, sed toties in quot partes dividitur*. Divisio, quæ extenditur ad partes insensibiles rem ipsam resolvit in atomos, quæ licet non amittant naturam corporis, & corporis proprietates, figuram, magnitudinem, & pondus, ammittunt tamen naturam cujuslibet specie Corporis, præcipue, si Atomi principia omnium corporum haberi debeant; quare in his insensibilibus partibus, & indivisibilibus, non est amplius natura speciei Panis, & ita, neque sub illis insensibilibus partibus, potest contineri Corpus Christi. Quod si conditionem partium illarum, de quibus loquitur Concilium Tridentinum velimus extendere ad ipsas insensibiles partes, concedi poterit, etiam in istis remanere Corpus Christi, sed negamus id sufficere ad hoc, ut ex non consecratis Panis portionibus, ~~susceptæ hujusmodi~~ insensibiles partes possint consecrari; Et quod additur ad probationem ~~oppositæ opinionis~~ nullo modo admittimus, cum certi simus formas posse conservari in subjectis, etiam ~~si illis,~~ quibus antea non carebant, subsidiis priventur, sed minime posse introduci, si his ansulis, & adminiculis destituantur. Sic hominis Anima separata a corpore non valet Baptismi, Confirmationis, & Ordinis characterem suscipere, illum tamen retinet si humano corpori conjuncta Baptismum suscepit, Confirmationem, & Ordinem. Concludimus ergo Consecrationem non valere, si materia Panis, & Vini insensibilis assumitur; quemadmodum non valeret in casu, quod sensibilis assumeretur, sed vel determinata, vel præsens non esset, saltem moraliter, cum proferretur Consecrationis forma, quia in hac suppositione verum non esset id, quod per talem formam enunciaretur, nec sufficit, quod Sacerdos per cogitationem suo intellectui materiam illam præsentem reddere possit, quod aliquis Theologus (Johannes Majoris) docuit, contendens pronomen hoc rem demonstrare, quæ vel sensui, vel intellectui sub disjunctione sit præsens, quod quam sit absurdum, patet ex consequentia, quæ inferri posset, ut scilicet Sacerdos Florentiæ possit consecra-

crare hostiam, existentem Romæ, Mediolani, & in ultimis Mundi Regionibus.

§. II. *Valet Consecratio sive Panis sit Azimus, sive Fermentatus.*

V. Non ita vero irrita haberi debet Consecratio, si Panis offeratur, qui sit vel Azimus, vel Fermentatus, quanquam certum sit Christum Dominum in ultima Cœna, non alio Pane quam Azimo usum fuisse, & nullo invictissimo argumento probetur legalis Cœnæ dies, quem aliqui dixerunt ipsum anticipasse. Panem Azimum, & Fermentatum legitimam Sacramenti materiam Florentina Synodus pronunciavit, Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis ritum approbans, utrique enim nihil deest, ut verus Panis appellari debeat, & id semper ante Florentinum Concilium crediderunt omnes usque ad A. 1053. Sed quia Michael Cerularius in datis hoc anno, Suo, & Leonis Acridensis Archiepiscopi nomine literis ad Joannem Tranensem in Apulia Episcopum, reprehendit usum Azimorum in Ecclesia Latina, eundemque errorem gravissimum appellat, contenditque in Azimis Eucharistiæ Sacramentum non confici, quia materia sunt illegitima, & solum Fermentatum esse verum Panem asserit, qui comedentem nutrit, & animat, Azimum vero esse lutum, & lapidem, & quasi corpus sine anima, scilicet facultate nutriendi vacuum; & quia rursum in alia Epistola, quam A. 1054. scripsit ad Petrum Antiochenum Patriarcham Latinos urget, conviciis impetit veluti Sacrificii execrabilis auctores, *Azimitas* in contemptum appellat, & tamquam Hæreticos, & Judæis in usu Azimorum communicantes, detestatur, & anathematizat, opportunum est inquirere (cum præsertim nec ipsi Græcorum Auctores inter se consentiant, ut refert Archudius lib. 3. de Sacramentis c. 6. & ut scribit Combeficius in notis ad Tractatum de Hæresi Jacobitarum Tom. 2. Actuarii Bibliot. Patrum, & ut constat ex testimonio Joannis Episcopi Citri scribentis Constantino Archiepiscopo Dyrrachiensi lib. 5. Juris Greco-Romani, & ex Thuriani Philosophi Epistola ad Sacerdotes apud Allatium ad Historiam Concilii Florent. Exercit. 24.) quo Pane usa sit in Sacrificio vetus Ecclesia, Azimo ne, an Fermentato, an utroque indiscriminatim? Usum hunc inquirimus temporibus Apostolorum, deinde ab illorum dormitione usque ad Cerularii tempora, scilicet usque ad XI. Ecclesiæ sæculum. Tandem ab hoc sæculo usque ad nostrum.

VI. Nemo tam hospes est in sacris Literis, quem prætereat in cap. 2. Actorum legi, tria illa hominum millia, qui recipientes sermonem Petri ipsa die Pentecostes baptizati sunt, fuisse perseverantes in Doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis Panis, & orationibus: neminem etiam latet eodem cap. 2. reperi credentes reliquos quotidie perdurasse unanimiter in Templo, & frangentes circa domos Panem sumpsisse cibum cum exultatione, & simplicitate cordis collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem; & rursum cap. 20. S. Lucam narrare Paulum a Philippis venisse Troadem vigintiquinque dierum itinere post dies Azimorum, & una Sabbati illum convenisse, ad frangendum Panem, nimirum Eucharisticum, ut explicat Augustinus Epistola 86. ad Casulanum: *Eadem nocte*, inquit, *fracturus Panem sicut frangitur in Sacramento Corporis Christi, produxit sermonem usque ad medium noctis, ut post Sacramenta celebra-*

 ta,

ta, rursus congregatos alloqueretur. Porro hujusmodi Panes non fuisse Azimos, sed Fermentatos in multis probatur. Usus Hebræorum erat, ut a Fermentato abstinerent semel in anno. Exodi 12. Israelitico Populo a Deo per Moysen hæc lex imponitur. *Primo mense, quartadecima die mensis ad vesperam comedetis Azima usque ad diem vigesimamprimam ejusdem mensis ad vesperam. Septem diebus Fermentum non invenietur in domibus vestris, qui comederit Fermentatum peribit anima ejus de cœtu Israel tam de advenis, quam de indigenis terræ, omne Fermentatum non comedetis in cunctis habitaculis vestris, edetis Azima*. Reliquo igitur anni tempore Fermentato Pane vescebantur Hebræi. Quem itaque Panem Azimum invenire non poterant apud Hebræos Apostoli post Pentecosten, (cujus temporis ipsa Sacrificia ex Divina dispensatione offerebantur in Panibus primitiarum de duabus decimis similæ Fermentatæ, ut Levitici c. 23. narratur) incredibile est, quod tunc cum magis verbi Dei prædicationi, Scripturarum explicationi, & suorum Fratrum conversioni erant intenti, ipsi pararent, contra Judaicos ritus, quos primis illis temporibus religiosissime custodiebant, ne aliis Generis sui scandalo essent, & offendiculo. Neque in opus hoc, & ministerium intendere poterant Apostoli, cum huc, & illuc dispersi, & persecutionum impetu acti, ad alienigenas, & Ethnicos diversabantur, & penes illos clanculo morabantur, ut verbum fidei diseminarent, scientes maxime Judæorum Religionem, Azimos, Ritus, & Cæremonias summopere Gentes abominari, detestari, & Christum Dominum illis præcepisse, quod secum nihil in via deferrent, & ut cibis vescerentur, quos invenissent, & illis apponerentur: Ita se gessisse Apostolum Paulum Troade commorantem Actorum cap. 21. Sanctus Lucas commemorat. Tandem quomodo fieri potuisset, ut tot Azima adfuissent Apostolis distribuenda prodigiosæ multitudini credentium, qui magis in dies augebantur, qui noctu ad ipsos Apostolos confluebant summo mane in Domos suas reversuri? Momenta hæc sunt, quæ viros sapientissimos impulerunt, ut crederent, non continuo, sed oblata tantummodo temporum, & locorum opportunitate Apostolos in Azimo Pane sacra Mysteria celebrasse, & sæpe in Pane Fermentato Eucharistiam confecisse. *Puto*, scribit Anselmus Havelburgensis c. 14. libri 3. Dialogorum ex sententia Nechitis Nicomediensis Archiepiscopi *Apostolos Christi in Consecratione Corporis Domini juxta ritum, quem tunc nascente Ecclesia observabant, nunc Azimo, nunc Fermentato usos fuisse. Ipsi namque diversas Provincias evangelizando peragrantes, cum ad aliquam Christianam Ecclesiam declinassent, & Sacrificium Sanctum Domino ad Communionem fratrum offerre vellent, bene credendum videtur, quod nec Fermentatum, nec Azimum nimis studiose, vel etiam ut ita dicere audeam, nimis curiose quæsierunt, sed quidquid ad manus veniebatur, sive hoc, sive illud, indifferenter, cum devotione offerebant;* quod etiam Ernulphus Roffensis Episcopus tradidit in Epistola ad Lambertum de variis quæstionibus edita Tomo 2. Spicilegii Lucæ Dacherii ostendens, non semper eosdem ritus cœpisse, & cucurrisse in Ecclesia: *Patet attestantibus Scripturis Sacramenta Altaris, quæ jejuni modo accipimus Discipulos Domini cœnatos accepisse. Patet etiam quod sumimus de mensa lapidea, ac sacrata, illos sumpsisse de mensa lignea, non secundum morem Ecclesiæ sacrata, aut fortasse nulla: Ibi Panes quotidianos comederunt, de genimine vitis biberunt, nos in forma nummi Panem accipimus,*

mus, Vinum aqua mixtum potamus. Neminem ergo dubitare licet tanti vim Sacramenti multis ac longe diversis modis in præsentis Ecclesiæ temporibus celebrari, quos in primordio non accepit, quod etiam in Scriptis suis reliquit Barlaamus Hieracensis Episcopus in Epistola ad Græcos: *Apostoli eadem nobis tradentes Mysteria, non distinxerunt sive Fermentatum, sive Azimum. Sed neque ipse Salvator noster distinxit*, ut S. Anselmus in Epistola ad Walterannum differit, *cum se, & Carnem suam Panem vocavit, non ait, Azimum, vel Fermentatum, quia uterque pariter Panis est, Azimum vero benedixit forsitan, non quia res, quæ fiebat, hoc exigebat, sed quoniam Cœna, in qua hoc factum est, hoc exigebat &c.*

VII. Superiora Ernulphi verba non bene audit Christianus Lupus Tom. 3. Scholiorum in Decreta, & Canones Conciliorum in Dissertat. de Actis S. Leonis Papæ IX. cap. 10. quare illa referens ait: *Loquitur ex communi sui temporis sensu, adeoque Ecclesia tunc non censebat Azimum esse traditionem Apostolicam*. Crederem sapientissimum virum plus suæ opinioni attribuere, quam quod ex æquo illi concedi possit. Hoc enim ipso quod certum esset Azimum esse traditionem Apostolicam, Panis Azimus haberetur materia necessaria, & essentialis, & Panis Fermentatus evaderet inepta materia, & omnimodo dubia Sacramenti Eucharistiæ, & Ecclesia nunquam permisisset, & fineret in Fermentato Orientales Sacerdotes consecrare, cum certum sit non esse penes Ecclesiam jus immutandi Sacramentorum materias, hoc ipso quod a Christo sunt institutæ, & ab Apostolis traditæ. Non censet ergo Ecclesia Azimum esse traditionem Apostolicam in hoc sensu, ut ab Apostolis in Ecclesiam sit derivatum præceptum consecrandi in Azimo, sed in hoc sensu, quod traditum est Apostolos data temporis opportunitate, sæpe in Azimo consecrasse. Neque ille, qui vulgo traditur Canon Apostolorum, quem Cotelerus in notis ad Clementem pag. 327. in ordine tertium sic legit: *Nihil aliud in Sacrificio præter id quod Dominus statuit offeratur*, continet hanc Apostolicam traditionem, vel accipi debet tanquam Apostolorum præceptum, quod Azimorum usum præscribat, primo quia documentum appochryphum est, secundo quia a verbis Canonis non definitur natura rei, quæ offerri debet, sed in genere prohibetur illa, quam non licet offerre, & quam nos supra indicavimus. Sed jam ad usum Ecclesiæ post tempora Apostolorum.

VIII. Inter Ecclesiasticos Scriptores consentiens est una omnium sententia in primis Ecclesiæ Sæculis, Christianos Panem a Sacerdote consecrandum, obtulisse. Agit de hoc more S. Cyprianus in libro de Opere, & Eleemosinis, Mulierem increpans, *quæ cum locuples, & dives esset, Dominicum celebrare se credebat, quæ in Dominicum sine Sacrificio veniebat, quæ partem de Sacrificio, quod pauper obtulerat, sumebat*. Agit Augustinus in Sermone 215. de tempore, & in Epistola 122. ad Victorianum, dolens pro quibusdam Virginibus captivis, quæ nec possent ferre oblationem ad Altare Dei, vel invenire ibi Sacerdotem per quem offerrent. Agit Eligius Noviomensis in Tract. de rectitudine Catholicæ Conversationis inter Opera S. August. Tom. 9. agit Sacramentarium Gregorii Magni, ubi hunc morem Pontifex describens: *Offeruntur*, inquit, *a Populo oblationes, & Vinum, ex quibus in Altari ponuntur, ut sacrentur*. Agit demum Theo-

Theofili Alexandrini Canon 7. quo statuitur quod illa *quæ in Sacrificii rationem fideles offerunt, post ea quæ in Sanctum usum consumuntur, Clerici dividant*. Insignia sunt etiam nobis relicta oblationum exempla per Magnum Theodosium Ambrosio, & per Valentem celebrante Basilio, quæ in lib. 4. & 5. cap. 17 Eccles. hist. a Theodoreto narrantur, & nulli novum occurrit, Sanctissimos Antistites suis studiis fuisse intentos, ne mos hujusmodi antiquaretur, cujus rei argumentum suppeditatur in Canone 4. Concilii II. Matisconensis. *Residentibus nobis in sacro Concilio*, inquiunt Matisconenses PP. *cognovimus quosdam Christianos, relicto fratrum cœtu, a mandato Dei aliquibus locis deviasse; ita ut nullus eorum legitimo obsecundationis parere velit officio Deitatis, dum Sacris Altaribus nullam admovent hostiam. Propterea decernimus, ut omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus offeratur, tam Panis quam Vini, ut per has immolationes, & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel, vel ceteris juste offerentibus, promereantur esse consortes*. Easdem oblationes respiciunt Decreta Concilii Gangrensis c. 7. & 8. Vasensis I. apud Sirmondum c. 4. Arelatensis II. c. 28. Aurelianensis I. cap. 14. & Nanetensis Can. 9. Vetustissimus iste mos, quem invaluisse in Ecclesia ulterius collegimus ex formulis oblationum, quibus in Missæ Sacrificio Ecclesia Græca utebatur; *Tua de tuis offerimus tibi Domine*, & Ecclesia Latina: *Offerimus præclaræ Majestati Tuæ de tuis donis, ac datis*, & ex verbis, quibus Sacerdos suum, Populique Sacrificium in Missa commemorat, certe probat Panem a fidelibus oblatum, nonnisi communem fuisse, scilicet Fermentatum, qui in omnium manibus versaretur, singulisque, etiam persecutionum tempore in promptu esset, non vero Panem Azimum, quem ubique parare, ubique conficere, ubique semper habere fideles non potuissent, cum in carceribus detinerentur, aut occulti in cryptis latitarent, & Sacrum facere ex occasione, & sacram Synaxim suscipere tenerentur. Præterea cum usus etiam illorum temporum sineret, ut laici fideles in suas domos Eucharistiam secum deferrent, quæ illorum necessitatibus præsto esset, sustineri poterit illam confectam fuisse in Pane Fermentato, ne si forte ab uxoribus, & servis christianis abscondita illam Domini, & Mariti infideles invenissent, ludibriis, contumeliis, & conculcationibus exponeretur; Gentiles vero in perquirendis, perscrutandisque moribus, & Christianorum ritibus fuisse sollicitos, & maxime intentos quis ignorat? Eosdem jam fuisse subodoratos Christianorum antelucanos cœtus ad canendum cuidam Christo Deo, eorumdemque congressus ad capiendum cibos ex multis testimoniis scribit Plinius ad Trajanum, nuntians ei id, quod de Christianorum moribus audiverat. *Affirmabant* inquit Epistola 97. libri X. *hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo dicere, secum invicem, seque Sacramento, non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent, quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursusque coeundi ad capiendum cibum promiscuum tamen, & innoxium*. Postrema hæc Plinii verba plurimum favent Fermentato, non vero Azimis, cum Panis Azimus, nec promiscuus, nec innoxius cibus appellaretur. *Non innoxius* nam Fermentatum Panem utiliorem Plinius appellat lib. 22.

Na-

Natur. histor. c. 24. n. 68. e contra verò, qui fermento caret libro 1. de alimentorum facultatibus c. 2. nemini accomodum docet Galenus a quo non dissentit Senertus lib. 4. Instit. Medicarum par. 1. c. 3. dicens; *Ingens discrimen est inter Panem Fermentatum, & Azimum, Fermento enim crassiores partes attenuantur, & viscidæ rarefiunt, leviores redduntur, & aereæ naturæ non nihil concipiunt, coctionique omnino redduntur aptiores. Azimus vero Panis ponderosus est, crassus, glutinosus, atque omnino difficulter concoquitur, & crudis humoribus aptissimam præbet materiam.* Non *Promiscuus* vocari potest Azimus Panis, quia hic apud nullas gentes communis erat, neque ipsis Hebræis, quibus sub hoc nomine Panis semper exhibebatur Panis Fermentatus, nisi Azimum intelligendum esse, vel tempus, vel res ipsa narrata postularet. Eò vero Luculentius demonstratur promiscuum & innoxium Plinii cibum fuisse Panem Fermentatum, quod Tertullianus ad Uxorem scribens in lib. 2. c. 5. sic illam monet: *Nesciat Maritus quid secrete ante omnem cibum gustes, & si sciverit Panem, non illum credit esse qui dicitur*; sed quare non credit? Quia a communi diversum non videt, quia illum Panem credit, qui promiscue in cibum usurpatur. Ita credidit Saracenus ille, quem Theodorus Abacara Cariæ Episcopus opusc. 22. sic loquentem inducit: *Ex una farina duobus Panibus confectis unum in cibum communem relinquimus, alterum in particulas partitum populis distribuitis, & nominatis Christi Corpus*: ita credidit illa Mulier, cui Mysteria Communionis traditurus S. Pontifex Gregorius Magnus inquiens *Corpus Domini Nostri J. C. conservet animam tuam* illa risit, quod panem, quem propriis manibus se confecisse cognoverat, & ipsi Pontifici obtulerat audiit Corpus Dominicum perhiberi, ut narrat Joannes Diaconus in vita Gregorii Magni lib. 2. c. 41. ita plerique alii credidissent, quos ne ita crederent S. Ambrosius monuit in lib. 4. de Sacr. c. 4. *tu forte dicis meus Panis est usitatus, sed panis iste, Panis est ante verba Sacramentorum, ubi accesserit Consecratio, de Pane fit Caro Christi*: tum S. Pontifex Nicolaus in Epist. 2. de Altari ita scribens: *Panis, qui super eum offertur, Panis est quidem communis, sed quando ipse Sacramento sacratus fuerit, Corpus Christi in veritate fit, & dicitur*. Opportune certe S. Ambrosius infirmos in fide, quomodo fortes fierent tradidit, & miraculoso eventu S. Papa Gregorius imperitæ Mulieri demonstravit Sacramenti veritatem, & S. Martyr Justinus prope finem Apolog. 2. de Sacrificio Missæ, Irenæus lib. 4. c. 34. Gregor. Nyssenus Orat. in Baptismum Christi, Cyrillus Jerosol. Cath. Mystag. 3. & Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 109. suis testimoniis idem argumentum confirmarunt; sed adhuc tamen aliis fundamentis Conclusio, de qua agitur indiget demonstrari.

IX. Hic non afferam Auctoritatem Origenis, qui in caput 1. S. Matthæi de fermento Parisæorum differens scribit *An non, & aliquando fermentum offertur super Altare?* cum certum non sit Origenem in illo loco locutum fuisse de Novi Testamenti Sacrificio. Romanos Pontifices audire potius expedit, & ab illis suorum temporum Ecclesiarum usum inquirere, in qua materia Eucharistiam consecrarent. Damasus in vita Melchiadis apud Ivonem parte II. Decreti cap. 63. inquit: *Melchiades fecit, ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.* Liber Pontificalis apud eundem Ivonem ibidem *in illis verbis: Siritius constituit*

tuit, ut nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi Consecratum Episcopi loci designati susciperet, declaratum, quod nominatur Fermentum, & ut Manichæi non participarent cum fidelibus communionem, quia ore pollato non liceret Sanctum Corpus Domini convexari, & ut conversus de Manichæis non communicaret usque ad ultimum diem, quo Viaticum acciperet. Innocentius primus Epistola 1. ad Decentium cap. 5. ita scribit. *De Fermento, quod die Dominico per titulos mittimus superflue nos consulere voluisti cum omnes Ecclesiæ nostræ intra Civitatem sint constitutæ, quarum Presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco Fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se a nostra communione maxime illa die non judicent separatos, quod per Parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt Sacramenta, nec nos per Cœmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus, ut & Presbyteri eorum conficiendorum jus habeant, atque licentiam.* Hujusmodi testimonia, etiamsi nullum aliud adesset documentum, Fermentatum apud Latinos in Sacrificio inauditum non fuisse confirmant; & non nisi præconceptæ opinionis amore quis abreptus potest, aut illorum vim dissimulare, aut potius quam ad Eucharistiam, ad Eulogias traducere. *Fermentum* illud Eucharistiam fuisse non *Eulogias*, amplissime probant illa verba Melchiadis *Oblationes consecratæ*: illa verba Siricii: *nisi consecratum Episcopi, quod nominatur Fermentum*; & illa Innocentii: *non longe portanda sunt Sacramenta*; nam *Eulogiis* Consecrationis nomen aptari nequit, nisi quando pro ipsa Eucharistia accipiuntur, quod a Cyrillo Alexandrino factum legimus in Epistola ad Nestorium, ubi *Accedimus*, inquit, *ad mysticas Eulogias, & sanctificamur participes, facti Sacræ Carnis, & pretiosi Sanguinis omnium nostrum Salvatoris Christi*. Nec quidquam prohibet illas longe deferri. Morem vero ad absentes mittendæ Eucharistiæ fuisse antiquissimum, nulli novum esse debet, & de hoc egimus in superiori Capite, idque Pontifices præstabant in Ecclesiis Urbis in signum unitatis, & mutuæ communionis, eumdemque morem confirmat in Lausiaca Historia Palladius Episcopus Helenopolitanus, & Auctor de Ecclesiasticis Officiis apud Alcuinum Flaccum hunc usum invenit in noviter Consecratis Episcopis a Pontifice, quibus ad Communicandum Pontifex Consecrator porrigebat formatam, atque Sacram oblationem, quam accipientes communicabant super Altare, cetera vero reservabant sibi usque ad 40. dies; sed S. Innocentius non longe portanda esse Sacramenta addit, ob factum casum in S. Tharsitio, quem loco supra citato narravimus. Si qui vero allegoriam in his Pontificum Statutis fingunt, non penitus illorum dictum refugimus, dummodo in modo allegoriam explicandi conveniamus. Certe non negamus in iis Decretis obscure agi de Eucharistia, ut divinari quasi oportuerit an per Fermentum Corporis, & Sanguinis Christi Sacramenta intelligerentur. Potuissent summi Pontifices claris verbis decernere Eucharistiam, quia Fermenti instar fidelium unionem fovet, ex consecratu Episcopi ad absentes Presbyteros transmitti debere. Verum nihil horum nec Melchiades, nec Syricius dicunt. Quare igitur sub Fermenti nomine totum Sacramentum comprehendunt? Quia ipsemet Populus nullum aliud, quam Fermenti nomen Sacris Donis tribuebat, quod sciret ex oblato Fermento peragi Sacrum Mysterium. Fermentum tenet Petrus Episcopus Urbevetanus in suis Scholiis ad Statutum Melchiadis, idem confirmat Cardinalis Bona lib. 1. rerum Liturg. cap. 23.

cap. 23. Latini Latinii explicationem improbans, & explicationem Antonii Augustini, quam legit in responsione ad Epistolam ejusdem Latini. Neque videt in alio sensu, quam pro Pane fermentato intelligi oportere illa verba Melchiadis, & Syricii Anselmus Havelburgensis, licet ipse, ut difficultatem dissimulet, postea in lib. 3. Dialog. pro Eulogiis laudata Melchiadis, & Syricii decreta accipienda esse scribat, & non pro Hostia fermentata. Immerito tamen, & non sine imperiti hominis nota; quasi ignorare se fateatur Eulogias aliquando distributas fuisse in Pane Azimo, ut probat Lupus Tom. 4. Scholiorum in Dissertat. de Actis S. Leonis IX. c. 9. & fuisse morem Veteris Ecclesiæ non conficere Sacramenta nisi in particula desumpta ex eisdem oblatis, quarum quæ supererant Consecrationi in particulas discecabantur, & in fine Missæ iis distribuebantur, qui ob aliquod impedimentum non poterant, aut non erant parati communicare, quod referunt Theodorus Balsamon in can. 2. Concil. Antioch. Simeon Thessalon. lib. de Divino Templo Gemma animæ lib. 1. c. 67. Durandus in Rational. lib. 4. c. 53. & cui alludit id, quod scribit Tertullianus lib. de exhortatione Castitatis cap. 7. cum omnes Sacerdotes esse dicit, non quod omnes consecrarent Christi Corpus, & Sanguinem, ut Anonymus explicavit, quem Petavius confutat in Diatriba de Potestate consecrandi, sed quia omnes, ut mos erat illorum temporum Panem, & Vinum ad Altare Dei offerebant, & has oblationes S. Pontifex Clemens appellabat holocausta Altaris, Eucharistiæ Sacrificium, Mysticum Sacrificium, Consecrationes, & oblationes Corporis, & Sanguinis Domini, & S. Dionysius mysticas hostias, & Sanctus Xistus II. Sacrificia hostiæ puræ, & Immaculatæ, & S. Sylvester incruentas oblationes, & Sacrificium. Cum itaque nihil sibi prodesse responsum hoc Havelburgensis intelligat, ex alio principio Melchiadis, & Syricii Auctoritatem aggreditur, & loco cit. cap. 16. ita Nechiti rescribit: *Si Auctoritatem Apostolicæ Sedis consideras in duobus, eamdem Auctoritatem scias prævalere in pluribus. Præterea sicut tu nosti, Synodus Synodum solvit, aliquando considerata meliori ratione, aliquando necessitate, aliquando utilitate, aliquando temporum qualitate, & hoc totum fit juxta discretionem Præsidentium, quos tunc, vel nunc Deus suæ Ecclesiæ præesse voluit, quibus, & claves discretionis, & potestatis in omne opus Divinum commisit, salvo semper, & immoto Catholicæ fidei fundamento.*

X. Sed quam sunt inter se dissitæ Ecclesiasticorum Scriptorum opiniones! Havelburgensis putat totam controversiam hanc dirimi in Synodis, & Demetrius Chomatenus Bulgariæ Archiepiscopus scribens Constantino Archiepiscopo Dyrrhachiensi lib. 5. Juris Græco Romani: *Latinorum*, inquit, *Azimorum nullus canon meminit, quippequod posterius, ut probabile est, eorum mos Romana Ecclesiæ se insinuaverit.* Addit Havelburgensis Apostolicæ Sedis Auctoritatem prævalere in pluribus, & certum est nihil per octo priora Sæcula a Romanis Pontificibus fuisse decretum contra usum Fermentati. Quod olim aliqui asserant Alexandrum primum Papam statuisse, ut Hostia Romanæ Ecclesiæ de Azimo esset, idque dicant testimonio Barlaami Episcopi in Epistola ad Græcos, & Radulphi Tungrensis libro de Canonum observantia propositione 23. asserunt illud, quod in antiquis S. Alexandri Actis non invenitur, nec cujus testimonium authenticum per integra undecim sæcula proferri potuit. Quod si id revera fuisset decisum, vel a S. P. Alexandro, vel ut alii putant, a VI. Synodo Generali, nunquam mos consecrandi in Fermentato in Ecclesia

Latina perseveraſſet ſaltem uſque ad tempora S. Gregorii, qui ut Simeon Teſſalonicenſis ſcribit libro de Templo, & Miſſa apud Goar in Euchologio pag. 214. hujus fermentati Panis uſum in Sacrificio adhuc tunc viguiſſe non negat. Scio aliam S. Gregorii ſententiam referre S. Thomam in 3. p. q. 74. a. 4. ubi ex ejus Regeſto ſic ait: *Solet nonnullos movere, quod in Eccleſia nonnulli offerunt Panes Azimos, alii Fermentatos. Eccleſia namque Romana offert Azimos Panes, propterea quod Dominus ſine ulla commixtione ſuſcepit Carnem. Aliæ vero Eccleſiæ offerunt Fermentum pro eo quod Verbum Patris indutum eſt Carnem, & eſt verus Deus, & verus Homo. Nam, & Fermentum commiſcetur Farinæ. Sed tamen tam Azimum, quam Fermentatum, dum ſumimus, unum Corpus Domini Salvatoris noſtri efficimur.* Scio eamdem ſententiam licet aliis verbis citare Auctorem Anonymum in Biblioth. PP. par. 1. Tom. 4. tanquam deſumptam ex ejuſdem Dialogis: verum neque me latet hæc verba neque in Gregorii Magni Epiſtolis, neque in Dialogis, nec in aliis ejuſdem Operibus inveniri; unde tanquam ſpuria rejici a ſeverioribus Criticis, qui demum illa invenerunt apud Gregorium VII. qui XI. Sæculo floruit. Quemadmodum etiam non latet in Actis VI. Synodi nullam Sancitam legem adverſus Azima, ut ſcribit Nicetas, qui certe alludit ad Canonem 11. Trullanum, quo Judæorum Azima proſcripta ſunt. Patres vero Concilii XVI. Toletani A. 693. illuſtre documentum exhibent uſus Fermentati in Hiſpania, ſic enim ſtatuunt can. 6. *Ad conventus noſtri agnitionem delatum eſt, quod in quibuſdam Hiſpaniarum partibus quidam Sacerdotum, partim neſcientia impliciti, partim temerario auſu provocati, non Panes mundos, & ſtudio præparatos ſupra Menſam Domini in Sacrificio offerant, ſed paſſim quomodo unumquemque, aut neceſſitas impulerit, aut voluntas coegerit de Panibus ſuis uſibus præparatis cruſtulam in rotunditatem auferant, eamque ſuper Altare cum Vino, & Aqua pro Sacro libamine offerant. Quod factum nequaquam in Sacræ Auctoritatis Hiſtoria uſpiam geſtum perpenditur &c. Unde temeritatis ejus, atque neſcientiæ cupientes terminum ponere, id unanimitatis noſtræ delegit conventus, ut non aliter Panis in Altari Domini Sacerdotali Benedictione Sanctificandus proponatur, niſi integer, & nitidus, qui ex ſtudio fuerit præparatus, neque grande aliquid, ſed modica tantum oblata, ſecundum quod Eccleſiaſtica conſuetudo retentat, cujus reliquiæ, aut ad conſervandum modico loculo abſque aliqua injuria conſerventur, aut ſi ad conſumendum fuerit neceſſarium, non ventrem illius, qui ſumpſerit gravi farciminis onere premat, ſed animam alimonia ſpirituali reficiat.* Neque ipſi Adverſarii poſſunt aliter quam nos ſentire pro uſu Fermentati in Hiſpaniarum Eccleſiis, & ita fatetur Lupus loco cit. cap. 8. facile enim eſt objicere veteres Mozarabes Azimis uſos fuiſſe, aut centum annis poſt hoc Concilium omnes Hiſpanos cum aliis Latinis in Azimo conveniſſe. Ita vero factum fuiſſe quis demonſtrabit omnimode? Unus eſt Jacobus Vitriacus Auctor Sæculi XIII. qui Mozarabicum illum ritum unice teſtatur, quemadmodum ſingularis eſt Teſtis Alcuinus, qui IX. Sæculo ineunte defunctus eſt, qui Latinis, & Hiſpanis eundem uſum attribuit, quanquam contra noſtram opinionem non faciant hujuſmodi innovationes, cum non fateamur in omnibus Eccleſiis Latinis, & ſemper uſum Fermentati viguiſſe, ſed cum Gerſone in Tractatu de Communione ſub utraque ſpecie, & Antonio Godeau Epiſcopo Vencienſi lib. 1. Hiſtor. Eccleſiæ §. 10. pag. 151. in aliquibus, & per aliquot Sæcula, ſaltem uſque ad Sæculum IX. Neque ullum afferri poſſe teſtimonium quod

quod perpetuæ, & in omnibus Ecclesiis Occidentalibus usitatæ Azimorum consuetudini clare, & legitime suffragetur, sive consulatur Cyprianus in sua Epistola 63. sive audiatur Augustinus in Sermone 83. de diversis. sive Isidorus Hispalensis in Epistola ad Redemptum Archidiaconum, sive Lucius Mediolanensis Episcopus, & quilibet alter ex PP. cum aliqua horum PP. testimonia ex suppositititiis operibus afferantur, ut est illud quod petitur tum ex Epistola Isidori, quam recentioris ævi commentum esse agnoscunt omnes, cum agunt de controversia inter Græcos, & Latinos pro Azimo, & Fermentato, quæ Sæculo tantum XI. exorta est, tum illud quod petitur ex Dacii Episcopi Mediolanensis Chronico MS. ut Viri eruditi observarunt; quod etiam dicunt de hoc titulo: *Oblatio Panis Azimi cum Patena*, qu præfigitur Ambrosianæ Missæ oblationi, quam ex Codice MS. edidit Pamelius in Liturgicis. Cetera vero PP. testimonia per alias eorumdem Patrum Auctoritates explicantur, ex quibus colligitur laudatos Patres in illis id docuisse, non quod pertinet ad definiendum, vel Fermentatum esse materiam Sacramenti, sed quod spectat ad explicandum mysticam significationem illius materiæ, quæ exprimit, quomodo nos Christo uniamur unitate inseparabili, sicut aqua Vino, Farina aquæ copulatur, a qua re Fermenti commemoratio prorsus aliena est. Mystica etiam sunt quæ Paschasius Ratbertus Abbas in libro de Corpore, & Sanguine Domini cap. 20. de Pane Eucharistico scribit. Ennumerans partes, quibus constat Farinæ tantum, & aquæ, & coctionis, & quæ scribit tractatu II. de Paschate Gaudentius Brixiensis Episcopus, unde illorum Auctoritates nullo modo pertrahi possunt ad probandum Azimi usum in Sacrificio Sæculis illis, quibus floruerunt, viguisse in Ecclesia. Quoniam igitur in Ecclesia Latina Panis Fermentatus, & oblatus, & consecratus est, & aliquando Azimus, ut Alexander Alensis part. 4. de Sacram. Eucharistiæ q. 10. membro 4. a. 1. S. Thomas in 4. Senten. Distinc. 11. q. 2. a. 2. q. 3. S. Bonaventura in 4. Senten. a. 2. q. 1. Scotus ibidem q. 6. Durandus q. 4. aliique plures testantur: abstinemus tum ab opinione Sirmondi, qui in sua Disquisitione de Azimo, usum Fermentati contingentis, & amplius annis in Ecclesia Solemnem fuisse ait, recepta autem Azima medio illo intervallo, quod a Schismate Photii sub Pontificatu Nicolai I. usque ad turbas Michaelis Cerularii sedente Leone IX. effluxit: tum ab Opinione Jo. Mabiloni in præfatione Sæculi III. Benedictini in Dissertatione singulari de Pane Eucharistiæ Azimo, & Fermentato, qui Sirmundo contrariam opinionum tuetur, consentiente Christiano Lupo loco supra citato.

XI. In definienda vera ætate, qua usus, vel Fermenti, vel Azimi inceperit in utraque Ecclesia, tum Orientali, tum Occidentali dicimus usum Fermentati in Ecclesia Græca perpetuum fuisse. In Ecclesia vero Latina vivente Photio dicimus aliquas Ecclesias Azimum Panem obtulisse. Id in Anglia, & in Gallia circa hæc tempora contigisse ex Epistola 69. Alcuini ad Lugdunenses fortasse eruitur. Dixi *fortasse*, quia ex illius verbis, non clare eruitur; ita enim scribit in citata Epistola, errores quosdam redarguens in Hispania disseminatos: *Audivimus aliquos in illis partibus adfirmare Salem esse in Sacrificium Corporis Christi mittendum, quam consuetudinem, nec universalis observat Ecclesia nec Romana custodit Auctoritas*: & Paulo post: *Panis, qui in Corpus Christi consecratur absque Fermento ullius alterius infectionis debet esse mundissimus, & aqua absque omni sorde purissima, & Vinum absque omni commi-*

 xtio-

xtione alterius liquoris nisi aquæ purgatissimum. Ex Aqua, & Farina Panis fit, qui Consecratur in Corpus Christi. Qui hæc legit judicet, an hoc testimonium possit nulla exceptionem submoveri. Circa eadem tempora in Ecclesia Moguntina eundem morem fuisse introductum potest colligi ex testimonio Rabani Mauri, quod legitur in lib. 1. de Instit. Cleric. cap. 31. *Panem infermentatum, & Vinum aqua mixtum in Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi Sanctificari oportet. Quod autem Panis Sacrificii sine Fermento esse oporteat testatur liber Leviticus, ubi commemoratur Dominum per Moysem filiis Israer ita præcipisse. Omnis Oblatio, quæ offertur Domino absque Fermento fiat.* Aliter certe leguntur ex testimonio Card. Bonæ hæc Rabani verba in MS. Codice Biblioth. Vaticanæ n. 1149. non in libro 1. citato sed in 3. Ceterum, quia Mabilonius testatur se consuluisse duo Exemplaria Biblioth. Reg. quæ cum editis omnino conveniunt, ideo ultro concedit laudatus Bona illis verbis Rabanum fortasse peculiarem morem suæ Ecclesiæ Moguntinæ expressisse, negat tamen ullum extare Christi præceptum, quo teneatur Ecclesia in Azimo Consecrare; & quod addit ex Levitico, non est ad rem, siquidem illa Lex Azimorum usum Judaicum, & Cæremonialem continet, qui promulgato Evangelio abrogatus, & ab Ecclesia vetitus est. Narratiumculam de Pane Azimo, primo quidem omnium Nationum unanimi consensu usitato, deinde in detestationem Ebionitarum exploso, demum extincta Secta a solis Latinis rursum recepto, tamquam absurdam, & incredibilem respuimus. Nullum in tota antiquitate per mille annos hujus historiolæ vestigium extat. Nullus narrat, unde prodierit. Illam referunt veteres Scholastici Auctores, ab aliis ex recentioribus traditur, sed eruditi omnes modo illam rejiciunt: S. Epiphanius Hæresi 30. Ebionitarum errorem in Sacris Mysteriis celebrandis commemorat, veterem legem Evangelio consociantium, nullibi vero docet; Latinam Ecclesiam Azimis Fermentum propter hoc substituisse. Docet Epiphanius Ebionitas Mysteria in Azimis celebrasse ad imitationem Ecclesiæ, & Sanctorum, sed ex hoc non potest probari Ecclesiam Ebionitarum tempore in Azimis consecrasse. Si hoc verum esset quia ad alteram Mysterii partem solam aquam adhibebant Ebionitæ ad imitationem Sanctorum, etiam Ecclesiam solam Aquam tunc adhibuisse credendum esset, quod quam maximum sit surdum nemo non videt. Ergo Imitatio Sanctorum ad ipsa solum Mysteria, non ad eorum materiam referenda est.

Dixi *vivente Photio aliquas Ecclesias usum Azimorum introduxisse, non vero ritum fuisse universalem*; nam inter cetera, quæ Latinis objecit, ut ipse ajebat *gravissima crimina* per quæ in eorum ritibus, & disciplina a moribus Græcorum discrepabant, hoc non immiscuit, ut acerbissime post duo Secula Michael Cerularius Photii successor, ea de causa invectus est in Latinos, eosdem *Hæreticos Azimitas* nuncupans: Videtur itaque dicendum, quod ritus Azimorum in Ecclesia Latina inter hæc tempora Photii, & Cerularii propagari cœperit, & universalis fieri. Ceterum vanum est, vel decretum, vel legem inquirere, quæ aut Azimum, aut Fermentatum præcipiat, cum nulla inveniatur, & quidquid invenitur, legitur in definitione Synodi Florentinæ, ubi sic legitur: *Sacerdotes in Altari ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet, juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.* Præceptum de Consecrando Azimo Pane, aut fermentato merus est ritus, qui ad Disciplinam spectat, nihilque complectitur, quod fidei,

aut

aut moribus oppositum sit, quod scripsit etiam S. Pontifex Leo IX. in sua Epistola, qua confutat alteram Michaelis Cerularii, & Leonis Archidami: & propterea illos monet a tanta amentia resciscere, & Latinos vere Catholicos cessare subsannando *Azimitas* vocare, & Ecclesias illis denegare, si velint pacem, & portionem cum Petro habere, unde quia merus cultus, & ritus est cum intra, & extra Romam plurima Græcorum reperiantur Monasteria, sive Ecclesiæ, nulla eorum adhuc perturbatur, vel prohibetur a Paterna traditione, sive sua consuetudine, quin potius, suadetur, & admonetur eam observare.

XII. Ab hac tamen Traditione, & Consuetudine Armeni VI. sæculo (Quidquid per errorem scribat Otho Frisingensis lib. 7. suæ Historiæ cap. 32. Armenos uti fermentato) & Maronitæ sæculo XI. recesserunt, ut colligitur ex acerrimis Græcorum querelis contra hos Populos, & ex accuratissimis Scriptoribus erudimur, licet de vero Auctore hujus mutationis, & caussa, adhuc certetur. Armenos hunc ritum accepisse a Magno Gregorio, qui cognomento Illuminator dicitur, & Armenorum primus Antistes, aliqui scripserunt. Caussam mutationis, quamquam illam non probent, describunt tamen tum Demetrius Cyzicenus in Tractatu de Hæresi Jacobitarum Charzitzariorum, qui sunt Armeni, quem edidit Combeficius, tum Nicephorus Callistus lib. 18. Histor. Eccles. cap. 54. Veteres eorum Doctores Magnæ Armeniæ Gregorium illum Antistitem ritus ejuscemodi eis per manus tradidisse calumniose jactant, maxime vero oblationem Azimam, & absque Aqua poculum, propterea quod in mystica illa cœna Azimum etiam Sacrificium, & Vinum solum fuerit, quarum rerum nullam Apostolica Ecclesia admittit, veterem traditionem legitime servans. Aliam caussam exponit Isaac Catholicus prima in eos invectiva cap. 7. dicens *Panem Azimum Judæorum more offerentes, nulla unione commistum unius naturæ Mysterium faciunt in signum divisionis a Catholica Ecclesia, & in symbolum hæresis Eutychianæ*. Eamdem caussam exponit Clemens Galanus in libro 1. Conciliationis Eccles. Armenæ cum Romana c. 17. sed facti auctorem memorat Jo. Oxniensem Patriarcham in Conciliabulo Manaschierti in confinibus Hircanæ Provinciæ coacto, ubi etiam convenerunt sex Episcopi Assyrii. De Maronitis illustre est testimonium Morini in Præfatione Ordinationis Maronitarum pag. 383. licet documento non satis firmo, scilicet ex Davide illarum Gentium Archiepiscopo, qui florebat A. 1053. quare inquit Bona: *Credibile est usum Azimorum ab iis receptum fuisse cum abjurata hæresi ad fidem Catholicam conversi sunt*, quod Gulielmus Tyri Archiepiscopus suo tempore, & se præsente contigisse scribit lib. 22. suæ historiæ cap. 8. His Ægyptios adjungit Leo Bulgariæ Archiepiscopus apud Allatium lib. 3. de Consensu Occidentalis, & Orientalis Ecclesiæ. Eundem ritum apud Indos Carangano-ram incolentes transiisse, legitur in Josephi Indi Navigatione in Novo Orbe cap. 134. quemadmodum Patriarchas Alexandrinum, & Jerosolymitanum aliquando in Azimis consecrasse referunt, tum Michael Cerularius in literis, quas exhibet Baronius ad A. 1054. tum Humbertus Cardinalis in responsione ad eundem Michaelem Cerularium. De Chaldæis & Syris testimonium accipit Bona ab Archiepiscopo Mesopotamiæ, qui etiam testatur, & suo experimento confirmat, hostias fermentatas eodem ferro con-

concoqui posse, quo nos utimur ad Azimas coquendas, ex quo evincitur nullum esse argumentum illud, quo aliqui utuntur pro vetere usu Azimorum, quia Oblatæ coquebantur intra ferramentum characteratum, ut Mabilonius probat ex miraculoso eventu A. 895. meritis S. Wandregisili Abbatis impetrato.

XIII. Infertur ex his contra Lutherum & Calvinum non licere modo indiscriminatim offerre, vel Panem Azimum, vel Fermentatum, neque Orientalibus in Azimis consecrare, & Occidentalibus in Fermentato, quia jam id Ecclesia decrevit; nec efficit Regula a D. Augustino exposita in Epistola 118. ad Januar. cap. 2. scilicet penes unumquemque esse iis ritibus adhærere, quibus voluerit, si in iis locis sit, in quibus contrarios suis usus esse viderit, nam hæc regula vera est, nisi id lege prohibeatur; quæ lex est statuta in Concilio Florentino.

XIV. Infertur 2. ex usu Azimorum non sequi Latinos judaizare, nam Latini non adhibent Azima, quia a Moyse præcepta sunt, & tempore, quo a Moyse præcipiuntur, sed quia in illis Christus suum Corpus consecravit, melius certe, & convenientius ob mysticas Azimi rationes, quas Apostolus in Epistola ad Corinth. c. 5. his verbis complectitur: *Epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in Azimis sinceritatis, & veritatis*. Præterea si Azima non deberent offerri in Sacrificio, quia per Moysem constituta sunt Judæis, nonne & Judæis per Moysem constitutum est Fermentum, in Levitico c. 7. Panis fermentatus præcipitur, ut offeratur, cum hostia gratiarum pro pacificis: quapropter, si a Latinis non debent offerri Azima, quia Mosaica sunt, nec a Græcis debet offerri Fermentum, & sal, quia Mosayca sunt. Ulterius, quia ab Apostolo audivimus, *Vetera transierunt, ecce facta sunt nova*, dici ne poterit omnia veteris Testamenti reprobata, & penitus destructa, & ad nihilum redacta Sacramenta? Absit omnino. Satis est igitur, quod ea quæ erant Legis veteris usurpentur in nova, sed alio fine, cum jam per Christum ad novum cultum translatum sit quidquid ad Dei cultum Israeliticus Populus cœlitus olim acceperat; videlicet, non, ut lex vetus servetur, sed ut hoc diligentius fiat, & Dominum, qui hoc non judaizando fecit, imitemur. Verum etiam in hac re advertendum est, non omne quod a Christo factum est, ita factum esse, ut in omnibus ejus exemplum sequamur, & singula Christi facta præceptum non continere, alioquin plura a nobis essent facienda, quæ tamen omittimus, & dum a nobis omittuntur, nullam legem contemnimus. Si id quod Christus egit in Cœna præceptum esset, nos quoque post Cœnam hæc sacra mysteria essemus celebraturi, quia Cœna peracta ab ipso sunt instituta. Quanquam igitur in Azimo Pane Christus Eucharistiam confecerit, ex hoc facto nulla inde lex prodiit, ut semper in Azimo conficeretur. Lex est ut conficiatur in Pane triticeo, nullumque discrimen intercedere, sive sit Fermentatum, sive Azimum observarunt Patres in Concilio Florentino; quemadmodum lex est, quod Vinum Aqua sit mixtum, ut infra videbimus, neque necesse est, ut Vinum sit album, vel rubrum, nam nec fermenti accessione Panis, nec colore Vinum in sua essentia variantur: quod si in Canone 39. Collectionis Canonum factæ sub Eadgaro Rege A. 967. præcipiatur, ut *quis Missam celebraturus habeat*

beat oblationem puram, hoc nomine intelligi tam Panem Azimum quam Panem Fermentatum clarum est, cum uterque ex Farina purissima, & purgatissima fiat. Quod intelligatur Panis Azimus Egbertus Eboracensis Episcopus probat cap. 98. suarum exceptionum; quod æque dicatur de Pane Fermentato, Gregorius Hieromonacus testis est in Synopsi dogmatum Ecclesiasticorum apud Leonem Allatium lib. 3. de Eccles. Orient. & Occident. consensu cap. 18. num. 6. *ubi necesse est*, inquit, *ut credamus sanctissimum hoc Mysterium fieri ex materia, quæ est purus Panis*.

§. III. *Vinum & Aqua etiam pertinent ad materiam Sacramenti Eucharistiæ*.

XV. Præter puram oblationem in laudato Canone 39. præcipiuntur etiam, veluti duæ res, quæ ad Eucharistiæ Sacramentum conficiendum pertineant, Vinum purum, & Aqua pura. Jam in hac re plures errores irrepserant, & depravatæ Heterodoxorum opiniones ab antiquissimis Ecclesiæ temporibus, ut supra monuimus §. I. N. I. Vinum omnino a Sacrificio ablegarunt Ebionitæ, & Encratitæ. Illi, ut sobrietatem simularent, hi vero, quia Vinum arbitrabantur a Diabolo originem habuisse. His accensentur & illi Presbyteri, qui, ne veluti Christiani deprehenderentur ab Infidelibus, si ex Antelucanis cœtibus exeuntes Vinum redoluissent, hujus metus caussa in Sacrificiis matutinis a Vino abstinebant. Totus est Cyprianus, ut demonstret in sua Epistola ad Cæcilium Vinum esse necessariam materiam Sacramenti Eucharistiæ, & plura argumenta repetit a singulis illis figuris, quæ Sacrificium Eucharisticum præcesserunt, & a verbis Scripturarum, in quibus Christus Dominus dicit: *qui confusus me fuerit, confundet eum filius hominis*, & ex illis, quibus constat Christum Dominum acceptum præ manibus Calicem in ultima cum Discipulis Cœna consecrasse. Alii, Armeni scilicet, Jacobitæ, & Chatzitzarii a Jacobo Syro seducti, ut narrat Nicephorus lib. 18. Eccl. Histor. c. 53. contrariis semitis insistentes sæculo VII. prodierunt, qui Vinum purum (intelligentes per solum Vinum unam dumtaxat in Christo naturam designare Eutychianorum modulo) nulla aqua temperatum consecrarunt, quorum errorem Lutherus postea, & Calvinus in suas Sectas propagarunt, quod putaverint Evangelicæ puritati Aquæ mixtionem adversari, & solum esse humanum figmentum non Divinam traditionem. Catholicam opinionem suis argumentis Cyprianus propugnat, nec solus in hoc opere laborat, sed accedit Justinus secundi Sæculi Scriptor, qui in secunda, quam pro Christianis scripsit Apologia Panem, Vinum, & Aquam offerri ait, Irenæus lib. 4. c. 57. *Dominus*, inquit, *accipiens Panem, suum Corpus confitebatur, & temperamentum Calicis suum Sanguinem confirmavit*. Damascenus lib. 4. de fide Orthodoxa c. 14. Venerab. Beda in cap. 22. Lucæ, Gennadius de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 75. Ambrof. lib. 5. de Sacramentis c. 1. Augustinus in Sermone ad Neophytos, & singuli tandem tum Græci, tum Latini Patres hac in parte consenserunt. Hinc statim ac Armenorum error prodiit, Trullani Patres A. 692. can. 32. illum proscripserunt, pœnam depositionis enunciantes contra Presbyteros, qui non secundum traditum ab Apostolis ordinem immaculatum offerentes Sacri-

ficium

ficium Aquam Vino non miscerent, idemque, & aliis temporibus repetitis Sanctionibus decretum est a Conciliis Vormatiensi A. 869. can. 4. & Tributiensi A. 895. can. 19. *ne ullus sine commixtione Vini, & Aquæ Mysteria sacra perficiat*.

XVI. Adeo vero hanc Aquæ mixtionem necessariam aliqui crediderunt, ut sine illa Sacrificium peragi negarent. *Ajunt* (ita D. Bernardus in Epistola 69. ad Guidonem Abbatem trium Fontium) *tamen nescio quem alium aliud sensisse Scriptorem, non posse, videlicet, absque tribus, idest Pane, Vino, & Aqua hoc Sacrificium esse, ita ut si quodlibet deesse contigerit reliqua non sanctificentur*. Singulare etiam est quod scribit S. Cyprianus in sua Epistola 63. ad Cæcilium: *Copulatio, & conjunctio Aquæ, & Vini sic miscetur in Calice Domini, ut commixtio illa non possit separari*; Et paullo post: *Sic vero Calix Domini non est Aqua sola, aut Vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur; quomodo nec Corpus Domini potest esse farina, aut Aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit, & copulatum, & Panis unius compage solidatum*. His similia leguntur in can. 4. Concilii Wormatiensis A. 868. In Capitulari Atonis Episcopi Vercellensis cap. 9. Spicileg. Tom. 8. in Capitulari Theodulphi cap. 5. In Constitutione Riculfi Svessionensis Episcopi cap. 11. & in Canone *Sanctorum* citato ab Egberto Eboracensi Archiepiscopo in Excerptis cap. 98. quare ut innotescat quantum robur ex his testimoniis accedat huic negativæ sententiæ, hujus rei originem paullo altius repetendam esse pretium opere judicamus. Difficultatis scopus hic est, utrum Aqua Vino admiscenda sit ex Divino præcepto, vel ex præcepto Ecclesiæ, & ex quocumque præcepto hic ritus oriatur, an pertineat ad essentiam Sacramenti, vel ad illius integritatem.

XVII. Omnem Christi actionem non continere preceptum supra docuimus, ex quo sequitur, quod quamquam ad Christi factum commixtio Aquæ cum Vino referatur a D. Hieronymo in caput 14. Marci, ubi inquit: *Format Christus Sanguinem suum in Calice Vino, & Aqua mixtis*, & a Patribus Quinisextæ Synodi, qui asserunt: *Similiter postquam cænavit, accipiens Calicem, & permiscens ex Aqua Vino, & benedicens, dedit &c.* & id præmittatur in antiquissimis Liturgiis Jacobi, Marci, Basilii, & Jo. Chrysostomi, tamen dici non debet Christum ita hoc fecisse, ut deinde vellet nos rem eamdem in vi præcepti Divini in sui memoriam esse facturos. Illa res quam in sui memoriam nos facere præcepit, fuit oblatio sui veri Corporis, & sui veri Sanguinis, non oblatio illarum rerum, quæ ante consecrationem sunt Panis, & Vinum Aqua mixtum, quæ tamen res, licet a nobis etiam offerantur, *id non sit ob hoc, quod jam sunt*, scribit Joannes Hofmeister in sua expositione Missæ, *sed quod paulo post futura sunt, & in earumdem oblatione, non præceptum exequi, nisi quo ad substantiam, sed quo ad modum, Christi exemplum imitari intelligimus*, quod Christi exemplum, ne ad instar ceterarum rerum, quæ a libera pendant voluntate paullatim negligeretur a Sacerdotibus, hoc, ut constantissime custodiretur Ecclesia deinde præcepit, quare monet Sancta Synodus Tridentina *præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus ut Aquam Vino in Calice offerendo misceant*. Nullum itaque moveat, quod Sanctus Cyprianus in laudata ad Cæcilium, (non ad Cornelium Papam, quod cum felle ama-

amaritudinis Magdemburgenses mentiuntur) Epistola scribat: *Nam si in Sacrifitio, quod Christus est, non nisi Christus sequendus est, neque id nos obaudire, & facere oportet quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandavit*, ibi enim Cyprianus non agit de Vino Aqua temperando in Calice, sed de Vino simpliciter, quod ut supra diximus in Sacrificiis matutinis quidam Presbyteri non offerebant inanibus ducti momentis, & præsertim consuetudine, quam Cypriano objiciebant, cui ut Cyprianus responderet ita scripsit: *Non est ergo, Frater charissime, quod aliquis existimet sequendam esse consuetudinem, si qui in præteritum in Calice Domini Aquam solam offerendam putaverant: quærendum est enim, ipsi, quem sint secuti; nam si in Sacrificio &c.* Hujus igitur argumentationis est complementum prior illa ex Cypriano transcripta sententia, quæ nostræ assertioni non officit. Neque putare aliquis debet hujus Ecclesiastici præcepti Auctorem fuisse Alexandrum I. ut nonnulli perperam scribunt. Non is enim Auctor hujus mixtionis fuit, sed adversus hæreticorum errores id, quod ex Domini, & Apostolorum traditione acceperat Scripto firmavit, nam S. Clemens libro 8. Constit. Apostol. c. 17. scripserat: *Dominum in Cœna Vinum Aqua miscuisse antequam illud consecraret.*

XVIII. Cum ex Divino mandato Aquæ mixtio fieri non debeat, statim patet hanc non pertinere ad essentiam Sacramenti, neque ad integritatem. Catechismus Romanus 2. par. n. 17. ita hanc doctrinam expressit: *Quamvis Aqua miscendæ ita graves rationes sint, ut eum sine mortali peccato prætermittere non liceat, attamen si desit, Sacramentum constare potest.* Quod ante Catechismum scripserat Cyprianus in laudata Epistola: *Si Vinum tantum quis offerat Sanguis Christi incipit esse nobis.* Ex quibus verbis inferri potest, quid ipse intellexerit in superioribus verbis expositis sub N. XVI. scilicet ibi loqui de convenientia secundum quod dicitur illud esse non posse, quod convenienter esse non potest, & sic inquit S. Thomas hic q. 74. a. 7. ad 1. *similitudo illa attenditur quantum ad id, quod debet fieri, non autem quantum ad necessitatem. Nam aqua est de essentia Panis, non autem de essentia Vini, & propterea Chrysostomus in illa Christi verba*: non bibam ammodo de hoc genimine vitis, *inquit, de genimine vitis, quæ certe Vinum, non aquam producit. Conveniens igitur est quod aqua misceatur Vino, quod offertur in Sacramento, tum propter institutionem præfiguratam in illa sententia* Proverb. 9. *Bibite Vinum quod miscui vobis, convenit etiam repræsentationi Dominicæ Passionis, quia, ut inquit S. Pontifex Alexander in Epistola ad omnes Orthodoxos, utrumque ex latere ejus in Passione sua profluxisse legitur: licet aqua*, ut bene addit D. Thomas l. c. ad 2. *non fuit de necessitate passionis, sed ad demonstrandum effectum passionis, qui est ablutio a peccatis. Convenit demum significationi effectus hujus Sacramenti, quem ita exponit Julius Papa* apud Gratianum de Consecrat. Distinct. 2. c. 7. *Videmus in aqua populum intelligi, in Vino vero ostendi Sanguinem Christi. Ergo cum in Calice Vino aqua miscetur, Christo Populus adunatur.*

Hanc eandem convenientiam respexerunt, tum Wormatienses Patres, tum Capitularia Attonis, & Theodulphi superius indicata, tum citatus Canon *Sanctorum* cum statuunt copulationem, & junctionem aquæ, & Vini sic misceri in Calice Domini, ut *non possint separari*, quod *sine his*

Missæ nequeant celebrari, quod his tamen devotissime observatis verum Domini Corpus procul dubio in veritate conficitur, quia revera tunc solum integra exprimitur, & perfecta quæ in Sacrificio repræsentatur oblatio duplicis Corporis Christi, naturalis scilicet, & mystici: *Nam si Vinum tantum quis offert, Sanguis Christi incipit esse sine nobis*, inquit Cyprianus, *si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Quando autem utrumque miscetur, & adunatione confusa, sibi utrumque copulatur, tunc Sacramentum spirituale, & cœleste perficitur.*

XIX. Colligitur cum D. Thoma l. c. ad 3. *quod quia admixtio Aquæ ad Vinum non est de necessitate Sacramenti, non refert quantum ad Sacramenti necessitatem Aqua misceatur Vino, sive naturalis, sive artificialis, ut rosacea: Quamvis quantum ad convenientiam Sacramenti peccet, qui aliam aquam miscet, nisi naturalem, & veram; quia de latere Christi pendentis in Cruce aqua vera profluxit, non humor plegmaticus, ut quidam dixerunt ad ostendendum quod Corpus Christi erat vere compositum ex quatuor Elementis, sicut per Sanguinem fluentem ostendebatur, quod erat compositum ex quatuor humoribus., ut Innocentius III. dicit in quadam Decretali extra de Celebrat. Missar. cap. in gradum. Quia vero admixtio aquæ ad farinam est de necessitate hujus Sacramenti, utpote constituens substantiam Panis, si farinæ admisceretur aqua rosacea, vel quicumque alius liquor quam vera aqua, non posset ex ea confici Sacramentum, quia non esset verus Panis.*

XX. Colligitur etiam ex eodem D. Thoma q. 83. a. 6. ad 4. quod si Sacerdos post consecrationem Calicis agnoscat non fuisse appositam aquam, nullo modo illam apponat, quia non est de necessitate Sacramenti, imò neque ad illius integritatem pertinere debet, alioquin etiam post consecrationem supplendum esset defectui, ut suppletur in Sacramento Pœnitentiæ si per oblivionem ante absolutionem non sit imperata satisfactio, & nondum pœnitens recesserit, quæ statim injungitur. Græci autem non solum ante, sed etiam post consecrationem immediate ante Communionem aquam miscent, illam frigidam, posteriorem calidam, ut scribunt Goar in notis ad Missam Chrysostomi n. 167. Arcudius lib. 3. suæ Concordiæ c. 39. Theodorus Antidorum Episcopus apud Allatium in Hottingero convicto c. 9. Quia Græci aquam miscent, corrigitur Guido Carmelita, qui hoc negaverat in suo libro de Hæresibus: Cur vero infunderent post consecrationem in sacrum Calicem ferventem aquam, in Florentino Concilio Mitylensis Archipræsul Latinis sciscitantibus, opportune, legitimeque respondit.

XXI. Colligitur 3. quod cum Aqua Mysterii caussa apponatur, quælibet exigua portio sufficiens est. In Concilio Triburiensi supra relato decreverunt PP. ut *duæ partes essent vini, tertia aquæ*. In statutis Synodalibus Ecclesiæ Biterrensis c. 31. præcipitur quod *in Calice semper magis de Vino ponatur quam de Aqua, ne vini substantia alteraretur*. Idem decreverunt Statuta Ecclesiarum Cadurcensis, Ruthenensis, & Tutelensis c. 16. & Honorius III. in c. *perniciosus* de Celebr. Miss. ait: *esse in Sacrificio plus de Vino quam de Aqua ponendum*. Eugenius IV. in instructione Armenorum *Vino*, vult, *ante consecrationem portionem aquæ modicissimam admisceri*. Hinc minimam guttam sufficere putat Bona Liturg. lib. 2. c. 9. n. 3. idque di-

dicit ex Auctoritate Pii V. qui in sua Constitutione ad Tarraconen. Archiepiscopum nonnullos arguit, qui non guttulas tantummodo aquæ, sicut fieri debet calici infundebant, sed plus Aquæ quam Vini, aut tantumdem Aquæ quam Vini, quos omnino corrigi, & emendari præcipit. *Puto certe hanc exiguam portionem esse præceptum: Primo quia si magna permitteretur non amplius in puro Vino fieret oblatio contra Christi exemplum: Secundo nempe timeri posset, quod si aqua portio esset major illa modicissima, quæ definita est, in Vinum substantialiter non mutari, & consequenter neque in Christi Sanguinem*. Primæ rationi nemo adversabitur, sed quo ad alteram non ita facile inter se Philosophi convenient: itaque magis expedit tenere partem Aquæ, quæ sit exigua, ut mysterium salvetur, & fiat Sacramentum, quam immorari in examine opinionis, quæ inter Philosophos est difficillima, & inter Theologos non satis constat.

XXII. Sectariorum contumelias in Ecclesiasticos viros, quos Hæreticos, Blasphæmos, Sacrilegos, & Falsarios vocant, quia aquam Vino permiscent, & Accusationes contra Tridentinos Patres, quia eandem disciplinam jubent servandam a Christi exemplo profectam, nihili faciendas esse patet ex hactenus dictis: quemadmodum etiam patet hanc Controversiam de Materia Sacramenti Eucharistiæ attento animo, & a præjudiciis libero esse expendendam, antequam Judex quis sedeat, ut definiat quænam ex opinionibus Theologorum verior, ac potior opinio sit, priusque animadvertat de Azimis nunquam inter Latinos, & Græcos disputatum fuisse, nisi post duo fere integra Sæcula elapsa a Photii Schismate, quod fere omnes Orientales Ecclesias ab Occidentalibus segregavit; & propterea Scriptores omnes, qui post XI. Sæculum scripserunt non esse testes idoneos tam pro Azimo, quam pro Fermentato, cum credibile sit, nonnisi præocupatis mentibus, ut moris est in contentionibus, unumquemque ad scribendum accessisse, & propterea facilimum esse Scriptores invenire, qui nullo adhibito teste rei de qua agitur conscio, confidenter pronuncient per mille annos Romanam Ecclesiam nunquam Fermentatum admisisse, & alios, qui ut tueantur non licere admittere Azimos, conentur ostendere Christum Dominum anno quo mortuus est, ante dies Azimorum Cœnam peregisse.

§. IV. *Christus D. si audiatur Jo. Philoponus, ultimum Pascha ante diem XIV. celebravit.*

XXIII. Joannes Philoponus, Auctor VI. Sæculi in sua disputatione de Paschate, quam edidit in Tractatu de Operibus sex dierum tuetur Christum Dominum anno, quo mortuus est, ante quartamdecimam diem primi mensis legale comedisse, & Novum Pascha condidisse, instituendo Corporis, & Sanguinis sui Sacramentum. Fundamentum accedit huic opinioni ex quodam fragmento S. Petri Alexandrini Episcopi, & Martyris, quod Casaubonus profert Exercit. 16. ad Annales Baronii, & ex testimonio Photii, qui pro hac Sententia duos Anonymos laudat in Bibliot. Cod. 115. & 116. ex Auctoritatibus Theophilacti in commentar. c. 18. Joannis, & Nyceph. l. 1. Hist. c. 28. & quod magis mirum est, etiam ex his, quæ scribit Chrysost. Homil. 82. in Joan. ubi vult diem Parasceves, in quo Christus occisus est, incidisse in Lunam

nam XIV. in qua Pascha secundum Legem celebrari debuisset, ut illud celebraruut Hebræi. Omnibus tamen his Auctoritatibus efficacior illa est, quam D. Joannes suppeditat in cap. 13. 18. & 19. nam in illa leguntur circumstantiæ illæ singulæ, quæ ita exacte probant Lunam XIV. incidisse in Vesperis Feriæ VI. ut superfluum sit ex aliis fontibus clariora inquirere testimonia. Dicit itaque primo D. Jo. Christum Dominum lavasse Pedes Discipulis suis ante diem Festum Paschæ post Cœnam factam. Secundo dicit Judæos mane diei veneris non introisse in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Tertio dicit Christum affixum Cruci in Parasceve Paschæ. Quarto demum dicit diem Sabbati, quæ subsecuta est diem obitus Christi magnam diem fuisse: *erat quippe magnus dies ille Sabbati*. Ne itaque cetera minutiora congerantur concludi poterit cum Euthymio Commentar. in c. 26. Matth. Christum Paschatis tempus dispensative anticipasse uno die, quia noverat se decima quarta die moriturum (quod etiam scripsit Epiphanius Hæresi 50.) *siquidem æquum erat, ut die, quo immolabatur figurativus Agnus, & verus quoque Agnus immolaretur, ut invicem responderent figura, & veritas.*

XXIV. Ne in longum nimium responsionem protraham expositis difficultatibus, animadverto, nos legere in Evangelio dixisse Dominum se in hunc mundum venisse, non ut solveret, sed ut legem adimpleret. Dum hoc ipsa veritas dicit, quæ alia a nobis sunt expectanda, nisi ipsius Facta quibus testimonium perhibeat, veritati? Qui aliud aggreditur quam id, quod a Lege statutum est, quanquam non repugnet Legi, suæ tamen dignoscitur obsequi voluntati. Ille factor est Legis, qui quod ipsa Lex jubet, & quando jubet operatur. *Si homo fuerit immundus super anima, sive in via procul in gente vestra, faciat Phase Domino in mense secundo quartadecima die mensis ad Vesperam*, est illa Lex, quæ in cap. 9. Numerorum exponitur, ut quando necessitas urgeat, Paschatis celebratio differatur; Non siluisset ipsa Lex Paschatis anticipationem, si hæc ex aliqua caussa cohonestari potuisset. Cum enim dies a Lege præscripta esset, æque pugnabat contra Legem anticipatio, ac dilatio. Christus igitur Legi non obedivisset, si ante tempus a Lege statutum Pascha comedisset, & qui falsum Testimonium quærebant, ut illum accusarent inimici, veram culpam non siluissent, ut pervertentem Legem illum perderent. Verum quid acciderit S. Matthæus c. 26. distincte commemorat. *Prima die Azimorum*, inquit, *accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Rem eandem sic narrat Marcus c. 14. *Et primo die Azimorum, quando Pascha immolabant: dicunt ei Discipuli quo vis eamus, ut paremus tibi, ut manduces Pascha?* & D. Lucas cap. 22. *Venit autem*, inquit, *dies Azimorum, in qua necesse erat occidi Pascha, & dixerunt illi: ubi vis paremus Pascha?* Nullum clarius proferri potest testimonium de observata a Christo Lege in Paschatis celebratione. Tempus indicatur, & est prima dies Azimorum, & a Discipulis indicatur, qui non requiruntur a Christo, ut parent Pascha, quod fieri debuisset, sed ab ipsis Discipulis Christus requiritur, & illo præsertim tempore, quando Hebræi immolabant Pascha, quemadmodum supra laudatus S. Marcus notavit: ubi velit sibi parari, ut comedat Pascha. Hæ circumstantiæ non cohærent certe, si quæ ab aliquibus creditur Paschatis anticipatio, revera contigit. Conveniunt etiam tres laudati Evangelistæ in hoc, ut singuli referant locum, in quo ex Christi mandato Discipuli paraverunt Pascha, & con-

& conveniunt in asserendo, quod *Vespere facto Jesus venit, & cum facta esset hora discubuit, & duodecim Discipuli cum eo*. Ergo in vesperis primæ diei Azimorum comedit Jesus Pascha cum Discipulis suis, scilicet die XIV. Primi Mensis juxta Divinum mandatum.

XXV. Non videtur jam triplici Evangelistarum testimonio unicum D. Joannis esse præferendum; sed neque illud videtur non sine maxima, & audaciæ, & temeritatis, & infidelitatis nota dicendum, hoc testimonium non tutum esse, cum sciamus omnes, quod ejus testimonium est verum. Dicendum igitur est singulos Evangelistas veram Historiam narrare, sed unumquemque illorum secundum diversos respectus. Matthæus, Marcus, & Lucas respiciunt præfinitum tempus a Lege in Paschatis celebratione, Joannes respicit ad ritum Hebræorum de transferenda ex rationabili urgente caussa ejusdem Paschatis Solemnitate, quæ caussa plurimum potuit anno mortis Christi Domini, quo anno, cum Luna XIV. inciderit in vesperis Feriæ V. debuissent Hebræi Solemnitatem Azimorum ab his vesperis inchoare, & protrahere non solum usque ad vesperas Feriæ VI. sed ad aliam integram diem ratione Solemnitatis Sabbati ineuntis. Hoc itaque maxime cavebant Hebræi, ne illi duo continenter Festi dies consequerentur, quod Populo nimis grave erat, qui a plurimis tum piis, tum laboriosis operibus prohibebatur. Anno itaque illo, quo Solemnitas Azimorum diem Sabbati præcessit, in ipsam Sabbati diem eandem Hebræi transtulerunt, & tunc Luna XIV. incidebat ante diem Festum Paschæ Solemnem Hebræis. De hoc Hebræorum ritu ex Decreto Synedrii, & traditione Majorum orto agit Paulus Burgensis Episcopus Judæus genere, & ex Canone Hebraici Kalendarii, *Adu*, hanc traditionem confirmat, nec illam Doctissimi viri Paulus Forosemproniensis Episcopus, Munsterus in Kalendario, Schaliger, Jansenius Gandavensis, Onufrius Panvinius, & Maldonatus respuunt. Alii vero non inferioris notæ Theologi rem hanc diversimode explicant, ut scilicet S. Joannes non legali, sed communi more loquatur, secundum quem, diem crastinam illam dicimus, quam transacta nocte Sol oriens adducit, & secundum hanc suppositionem vesperæ Feriæ V. in quibus protracta ad noctem Cœna post illam Christus Dominus lavit Pedes Discipulorum, pertinent ad diem, quæ præcessit Solemnitatem Azimorum. Non esse alienum a Stylo Scripturarum hunc scribendi morem probant ex his aliis sententiis Lucæ 23. *Dies erat Parasceve, & Sabbatum illucessebat* Matth. 28. *Vespere autem Sabbati, quæ lucessit in prima Sabbati*, & Marci 15. *& cum sero esset factum (quia erat Parasceve, quod est ante Sabbatum) venit Joseph.* in quibus sententiis connectitur indiscriminatim terminus diei præcedentis, & initium consequentis, & factum quod narratur attribuitur diei antecedenti cum ad consequentem diem pertineat.

XXVI. Plurimi sunt qui hanc secundam explicationem non probant, inter quos doctissimus Natalis Alexander, qui in Articulo 2. Dissertat. XI. in Histor. Eccles. XI. Sæculi: *absurde ait, & improprie locutum Sanctum Evangelistam nemo sibi persuadeat. Videretur autem improprie, imò & absurde locutus, si Paschalem Cœnam a Christo celebratam historice describens dixisset: ante diem Festum Paschatis fuisse factam, quia diei Paschalis pars posterior nondum advenerat, idest dies artificialis. Nam Solemnitatis Paschalis pars præcipua ad priorem diei partem pertinebat, qua immolabatur, & comedebatur Agnus eliminato Fermento, protrahebaturque Convivium ad primam* no-

noctem. Cum itaque peracta jam typica Cœna Agni Paschalis Christus pedes Apostolorum laverit, & Corpus, ac Sanguinem suum ipsis exhibuerit, idque nonnisi multa jam nocte, idest die Paschæ aliquantulum provecto fieri potuerit, non potuit vere dici ante diem Festum Paschæ factum. Nec reliquæ Sententiæ ex Sacra Scriptura petitæ exprimunt hoc inconveniens; vox enim illa *illucescit* a S. Luca, & Matthæo usurpata utrique termino diei optime accomodatur, sive ille sit artificialis, sive sit naturalis, cum in hujus diei initio Luna, & ipse Stellæ illucescant. Etiam illud *sero* D. Marci, quod pertineat ad Parasceven, non ad initium Sabbati, satis constat ex c. 21. Deuteron. ubi scribitur *quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, & adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die Sepelietur*. Ergo ante occasum solis mos erat Hebræorum hujusmodi hominum cadavera sepelire, cumque ante solis occasum adhuc Parasceve esset, videtur jam revera illud sero proprie pertinere ad exitum hujus diei non vero ad initium sequentis quod confirmat S. Joannes c. 19. ubi inquit: *non licere remanere in Cruce Corpora Sabbato*. Verisimiliorem itaque habet Natalis Alexander primam expositionem datam verbis D. Joannis, non quia ignoret nullum esse hujus opinionis fundamentum in Lege, cujus Decretis repugnat, sed quia ut dicebamus Hebraicum Kalendarium, & Rabinorum scripta hanc Hebræorum traditionem confirmant, quarum Traditionum aliqua exempla Christus Dominus aliquando objiciebat Judæis, illas certe vituperans sed tamen nos erudiens sæpe propter suas traditiones Hebræos deseruisse Divinum mandatum. Ceterum Licita aut illicita fuerit Hebræis translatio Solemnitatis Azimorum non quæritur. Notamus quod non dissentiunt Ecclesiæ Patres hanc contigisse anno quo Christus est mortuus. Id testatur Chrysostomus pluribus in locis sed præsertim Hom. 86. in Matt. ubi: *Liquido patet*, ait, *cupiditate interficiendi Christum prævaricatos fuisse* (idest Hebræos) *ac alia die Pascha comedisse. Non enim Christus Paschæ tempus transgressus est, sed illi audacissimi homines, & mille transgredientes Legis præcepta, quoniam ira inflammati erant, & sæpe conati capere ipsum nihil capere potuerant, ex insperato nacti quod cupiebant tempus Paschæ transposuerunt, ut ardentes cæde animos suos explerent*.

XXVII. Verum tamen est, quod quæcunque eligatur expositio, difficultates quæ videntur adversari omnes explicantur in unaquaque sententia. Et primo explicatur quare addat Joannes Judæos mane diei veneris non introisse in Prætorium; ut non contaminerentur sed ut manducarent Pascha, quia juxta alteram interpretationem, cui consentit Chrysostomus Sacerdotes, & Ministri Hebræorum, quibus cordi erat occisio Christi, Pascha nondum manducaverant, quod si jam manducaverant in vesperis diei XIV. noluerunt introire in Prætorium ne contaminati cogerentur abstinere ab esu aliarum Victimarum, quas per singulos septem dies Azimorum immolabant, ut legitur in c. 16. Deuteronomii, & 30. & 35. Paralipomenon. Sed hæc explicatio duriuscula est, & fortasse non opportuna descriptioni Evangelicæ quæ ad unum Agnum Paschalem pertinet, reliquis omnibus Sacrificiis exsolutis, & propterea, non ita facile concedendum crederem nomen Pascha aliud Sacrorum genus ulla ratione comprehendere, cujus in Evangelio altum silentium est; Verum exponitur in laudato cap. 16. Deuteronomii: *Immolabisque Phase Domino Deo tuo, de Ovibus, & de Bobus*, quibus verbis duplex Sacri-

crificii Genus indicatur scilicet Mactatio Agni Paschalis in vesperis, & oblatio Ovium, & Bovum in crastino. Ita locum hunc Deuteronomii explicavit Jonathan Uzielis Filius in Chaldaica Paraphrasi: *Et immolabis Pascha coram Domino Deo tuo inter vesperas, & Oves, & Boves in crastino, in ipso die*. Hanc explicationem confirmant ea, quæ in eodem Deutoronom. leguntur de ritu immolandi, vescendique Phase: *Immolabisque Phase vespere ad solis occasum, quando eggressus es de Ægypto, & coques, & comedes in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus*, quæ de solo Agno Paschali debent intelligi. Utramque explicationem complexus est Chrysostomus Homil. 83. in Jo. cujus laudata verba sic explicat: *Aut igitur Paschatis nomine totum Festum intelligit; aut ideo sic loquitur, quod tunc temporis Judæi Pascha celebrarent. Ipse vero pridie illud tradiderat cum necem suam ad Parasceves diem servaverat, quando vetus Pascha peragebatur*.

Ut modo alteram explicemus difficultatem, quæ nascitur ex verbis Joannis: *Erat autem Parasceve Paschæ* advertimus in Sacris scripturis nullibi inveniri Paschalis Festi Parasceve institutum, & propterea dici potest illud *Parasceve Paschæ* non significare diem præviam Solemnitati Azimorum a Christo Domino celebratæ, sed Solemnitati Sabbati, quæ dies Sabbati vocatur Pascha, vel quia in hanc diem transtulerunt Hebræi celebrationem Paschatis, vel quia unaqueque dies comprehensa in septennario circulo Azimorum solebat appellari Pascha. Hanc fuisse mentem Sacri Scriproris eruitur ex sequentibus ejusdem verbis: *quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in Cruce corpora Sabbato*. Dum vero addit S. Joannes: *erat quippe Magnus dies ille Sabbati* explicatur illum hoc dixisse obconcursum Solemnitatum, Paschatis scilicet, & Sabbati, sine alicujus Profanæ diei accessione.

XXVIII. Hæc a Sacerdotibus Hebræorum translata in Sabbatum Solemnitas Azimorum illud utilitatis primo attulit, quod Judæi de Christi nece deliberantes justam Populi offensionem evitarunt, quam non devitassent, si in ipso Paschatis die Christum comprehendissent; quare S. Matth. illorum Concilium referens de capiendo, & occidendo Christo cap. 26. notat ex Sententia Synedrii opus hoc non fuisse perpetrandum in die Festo, ne forte tumultus fieret in Populo, nefas enim erat Hebræis diebus Festivis, nominatim primo die Azimorum, ut Burgensis advertit, Capitis judicium instituere, Reum sistere, accusare, interrogare, testes producere, condemnare, ac damnatum deinde ad Præsidem deducere, commitari ad supplicium, prætereuntes angariare, & ad onus ferendum cogere, & funus Sabbato curare, nisi fortasse ad id necessitas cogeret, quale fuit illud Tobiæ factum, quod in illius Historia capite 2. narratur. Id etiam comodi secundò attulit, quod ab altera die Azimorum, in qua juxta legem demetendus erat frumenti Manipulus, exacte potuerunt numerari quinquaginta dies, hac lege, ut dies quinquagesima scilicet dies Pentecostes incideret illo anno in diem Dominicum. De hoc ritu numerandi apud Hebræos quinquaginta dies a secunda die Azimorum tradit Josephus lib. 3. antiquitatum c. 10. *Secunda Azimorum die, que est mensis hujus decima sexta frugibus demessis, & hactenus intactis incipiunt frui, æqumque rati Deum hujus ubertatis Auctorem, per gratitudinem honorari, hordei primitias offerunt. Agnus in holocaustum Deo mactatur post hoc Sacrum, elapsis septem septimanis, hoc est quadraginta novem diebus, quinquagesima, quam a numero Assartha Hebræi vocant, offerunt Deo Pa-*

nem

nem: &c. Tertio tandem commodum illud affert, quod accedit alicui opinioni ex demonstrata convenientia Patrum cum Auctoritatibus Scripturarum. Nam admissa translatione, statim intelligimus Ecclesiasticos illos Auctores, quos pro contraria sententia supra retulimus Philoponum, Theophilactum, Chrysostomum ipsum, quibus addere possumus Irenæum, & Epiphanium, dum asseruerunt Christum Dominum Paschalem celebritatem, quæ Agni epulo præcipue constabat, peregisse pridie quam illam peregerint Hebræorum Sacerdotes, & Judæi in procuranda Christi Morte occupati, nimirum Patres illos esse locutos non de anticipatione, quæ Divinæ legis Decreta perverteret, sed quæ non congrueret cum Paschate Scribarum, & Pharisæorum. Quod si aliqui ex his PP. quibusdam in locis expressis verbis asserant Christum: *oportuisse in decima quarta immolari secundum legem*: quod scripsit Epiphanius, illum figurate locutum fuisse evincunt non solum extrema verba sententiæ *secundum legem*, sed totus ejusdem sententiæ contextus, quem propterea producimus excerptum ex Hæresi 50. ubi contra Quartadecimanos scribens inquit: *Et non modicum damnum in hoc negotio incurrunt: Oportebat enim Christum in decima quarta die immolari secundum legem* (idest in Typo) *ut deficiat apud* (Judæos) *lumen, quod illuminat ipsos secundum legem orto Sole, & Lunæ splendorem velante. A decima quarta enim, & infra luciditas Lunæ perit. Sic & in Lege a Christi adventu, ac Passione Judaica Synagoga obscurata est. Resplenduit autem Evangelium, non dissoluta Lege, sed impleta, non abolita figura, sed declarante veritatem.*

XXIX. Ceterum quamquam sit figurata Epiphanii locutio, nihil prohibet quin & non possit intelligi literaliter, nam Christus revera Crucifixus est hora sexta diei XIV. & hujus ejusdem diei hora nona expiravit, postquam in prima parte hujus diei cœnasset cum Discipulis suis, Sacramentum Eucharistiæ instituisset, lavasset pedes Discipulorum, & longa Concione perfectionis Evangelicæ regulas illis tradidisset. Hæc singula præstitit Christus Dominus a Vesperis diei XIII. ineunte die XIV. usque ad horam Nonam hujus diei; qui erat Parasceve, & ut bene advertit Theophilactus, *quando olim fuit Pascha, scilicet quando Hebræi mandatis Legis obediebant, nec licitum illis erat Paschatis celebrationem transferre in sequentem diem, ut sibi hoc anno mortis Christi licuisse crediderunt, insistentes traditionibus, & mandatis hominum.*

Minimi vero facimus (quicumque is Auctor fuerit) ex Petro Episcopo, & Martyre Alexandrino citatum testimonium, quod contineat falsissimam propositionem, Christum videlicet nequaquam legitimum Agnum edisse, sed illud Pascha solum celebrasse, quod ipse instituit, novum pro vetere, quamquam huic sententiæ subscripserint Hippolitus Portuensis in Opere, quod contra Hæreses scripsit, Apollinaris Jerosolymitanus, & Clemens Alexandrinus libro de Paschate. Nam contra hanc opinionem stant omnes Scripturarum, & Sanctorum Patrum sententiæ. Chrysostomus in Homil. 6. contra Anomæos ait: *desiderasse Christum hoc Pascha manducare. Quam ob caussam hoc Pascha dicit? tametsi alio quoque tempore Festum istud cum ipsis peregit. quam tandem ob caussam? Quoniam illud sequutura crux erat.* Ergo non de novo Paschate, sed de Typico intelligebat. Cyrillus part. 2. Glaphyrorum lib. 2. sub finem ait: *Phase autem Pascha, atqui de nullo alio Paschate, quam de ultimo id in Evangelio est expressum*, ergo Cyrillus putavit Christum

stum hoc extremum Pascha comedisse; quod idem Damascenus testatur lib. 4. c. 4. *Christum*, inquiens, *Pascha Judaicum comedisse antequam Eucharistiam institueret*. Superfluum est ulterius immorari in hac sententia refellenda, quam Photius ipse loco sup. c. recensuit, eandemque expendens ait: *refert idem secundum illos alios adventus sui annos Christum Dominum, ac Deum nostrum lege praescriptum Pascha celebrasse, non item eo, quo proditus est*. Quod Consideratione sane dignum est cum Chrysostomus, & Ecclesia doceant tunc ipsum legitimum Pascha perfecisse antequam Mysticam institueret Cœnam.

C A P U T IV.

DE FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIAE.

TRidentini Patres intenti, ut præscriberent aliquam formam Sacramenti Eucharistiæ, auditis dissidentibus Theologorum sententiis, ita cap. 1. Sess. XIII. decreverunt. *Majores nostri quotquot in vera Ecclesia fuerunt, qui de Sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt apertissime professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima Cœna Redemptorem nostrum instituisse, cum post Panis, Vinique Benedictionem se suum ipsius Corpus in illis praebere, ac suum Sanguinem disertis, ac perspicuis verbis testatus est. Quæ verba a Sanctis Evangelistis commemorata, a D. Paulo postea repetita, cum propriam illam, & apertissimam significationem præferant, secundum quam a Patribus intellecta sunt, indignissimum sane flagitium est ea, a quibusdam contentiosis, & pravis hominibus ad fictitios, & imaginarios tropos, quibus veritas Carnis, & Sanguinis Christi negatur contra universum Ecclesiæ sensum, detorqueri*. In his verbis, ut constat Ritum institutionis Eucharistiæ Sacra Synodus refert, sed nihil ad rem nostram decernit; ita ut unicuique adhuc liceat sine ulla temeritatis, & Hæresis nota in quam quisque voluerit sententiam abire. Duæ sunt celeberrimæ Theologorum sententiæ. In prima statuitur Christum qua pollebat Excellentiæ potestate absque omni verborum forma, virtute Divina Panem, & Vinum consecrasse, & in Corpus ac Sanguinem suum transmutasse, & postea formam expressisse, qua Sacerdotes absipso instituti deinde consecrarent. Non improbabilem hanc opinionem judicarunt Innocentius III. lib. 4. de Mysteriis Missæ cap. 6. & 16. Archidiaconus in Canone *Timorem* de Consecrat. Odo Cameracensis Episcopus in Canone Missæ Franciscus Mayronis, Titelmannus, Petrus Ortiz, & Ambrosius Catharinus in tractatu, quem de hac re edidit cum hoc titulo: *Quibus verbis Christus Eucharistiæ Sacramentum confecerit*.

II. Secunda Sententia docet benedictionem a Christo adhibitam supra Panem ac Vinum, aliam non fuisse præter verba Consecrationis. Hujus opinionis assertores præcipui habentur S. Thomas l. c. q. 78. a. 1. Alensis 4. parte q. 10. membro 4. a. 2. §. 2. Durandus in 4. Sentent. distinc. 8. q. 2. Gabriel Biel lectione 36. in Canone Missæ Hugo a S. Caro, Nicolaus Lyranus, Catechismus Romanus par. 2. cap. 4. n. 19. & Soto de instrutione Sacerdotum lect. 2. de Eucharistia. Duarum aliarum opinionum meminit D. Thomas, sed eas rejicit veluti absurdas l. c. Utraque memorata Sententia funda-

menta habet non contemnenda, illudque præ ceteris palmarium crederem quod Divina Scriptura suppeditat Theologis Innocentium tertium secutis in cap. 14. Matthæi, & Lucæ 24. Ibi narratur Miraculum, quod Christus Dominus fecit in deserto cum quinque Panibus, & cum his circumstantiis: *acceptis quinque Panibus aspiciens in Cœlum, benedixit, & fregit, & dedit Discipulis suis*. Hic, scil. S. Lucas, describens quomodo ipse Jesus appropinquans ibat cum duobus Discipulis euntibus in Emaus, qui cognoverunt illum in fractione Panis, easdem circumstantias præmittit: *dum recumberet*, inquit, *cum eis accepit Panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis*, cumque hæ loquendi formulæ simillimæ sint illis, quibus ex Evangelistarum omnium consensu usus est Christus in Cœna dum Eucharistiam confecit: *Cœnantibus illis accepit Jesus Panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis*, ex his videtur quod ita liceat argumentari. Illis Christi operationibus attribuenda est Eucharistiæ confectio in Cœna, quibus prius in deserto ante Christi Passionem attributa fuit quinque Panum multiplicatio, & post ejus Resurrectionem attributa est Eucharistiæ distributio duobus Discipulis ambulantibus; sed uterque hic effectus attributus est his solummodo operationibus: *accepit, benedixit, fregit, & dedit*: ergo præter easdem operationes aliis verbis opus non fuit, cum Christus Dominus in Cœnam Panem fecit suum Corpus, & Vinum suum Sanguinem.

Nihil huic argumentationi deesse videtur, ut ceteris demonstrationibus accenseri possit, nisi aliquid fortasse impugnaret, quasi non pertinentes ad confectionem Eucharistiæ, Christi actiones supra Panem, quem duobus distribuit Discipulis, cum penitus sileantur verba illa, quæ creduntur forma Eucharistiæ. Augustinus tamen de consensu Evangelistarum lib. 3. c. 55. sustinet tunc Christum Dominum Eucharistiam revera distribuisse, neque dissentiunt plurimi alii ex veteribus Patribus, & Maldonatus recentior Auctor egregie vindicat hanc opinionem. Quid ergo inquies posteriora illa verba Christus addidit in Cœna: *Hoc est Corpus meum. Hic est enim Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum?* Verba hæc illum addidisse probabiliter affirmari potest, tum ut factum suum explicaret, quod certe sine illis verbis obscurum Apostolis remansisset; non jam turbis Miraculum multiplicationis Panum, & duobus Discipulis argumentum Resurrectionis Salvatoris: tum ut exprimeret formam, qua Sacerdotes imposterum consecrarent, & hoc est quod Innocentius III. putavit: *Sane dici potest quod Christus virtute Divina confecit, & postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent*. Vult nihilominus S. Thomas l. c. quod hoc sit expresse contrarium verbis Evangelii, in quibus dicitur, quod Christus benedixit, quæ quidem benedictio aliquibus verbis facta est: unde creditur prædicta verba Innocentii esse magis opinative dicta, quam determinative, & propterea sentit, quod solis his verbis perficitur Consecratio: *Hoc est Corpus meum: Hic est Calix Sanguinis mei*, & quod etiam Christus manifeste ea proferens consecraverit, & ideo addidit: *Aliquos dixisse quod Evangelistæ non semper eundem ordinem in recitando servaverunt, quo res sunt gestæ, ut patet per Augustinum in libro de consensu Evangelistarum lib. 2. c. 30. unde intelligendum est ordinem rei gestæ sic exprimi posse. Accipiens Panem benedixit dicens: Hoc est Corpus meum, & inde fregit, & dedit Discipulis suis; quamquam id dicere necesse non sit, ut idem sensus habea-*

tur

tur. Nam hoc participium dicens, concomitantiam quamdam importet verborum prolatorum ad ea quæ præcedunt. Non autem oportet quod hæc concomitantia intelligatur solum respectu ultimi verbi prolati, quasi Christus tunc ista verba protulerit quando dedit Discipulis, sed potest intelligi concomitantia respectu totius præcedentis, ut sit sensus: dum benediceret, frangeret, & daret Discipulis suis hæc verba dixit: Accipite &c.

Huic opinioni ex Latinis PP. suffragati sunt Tertullianus, & Damascenus, ille in lib. 4. contra Marcionem c. 4. scribens: *Acceptum Panem, & distributum Discipulis, Corpus suum illum fecit, Hoc est Corpus meum dicendo*, hic lib. 14. de Fide c. 15. arguens: *Sicut Deus dicendo fiat lux, fecit lumen, ita dicendo, hoc est Corpus meum, & hic est Sanguis meus perfecit hoc Sacramentum.* Ex Patribus vero Græcis Irenæus in lib. 4. c. 57. ubi *Dominus*, inquit, *accipiens Panem suum Corpus confitebatur, & temperamentum Calicis suum Sanguinem confirmavit*, & Chrysostomus in Homil. 51. in Matthæ. ubi scripsit: *qui dixit hoc est Corpus meum, & rem simul cum verbo confecit.*

Major est difficultas, quibus verbis Sacerdotes a Christo instituti oblata sanctificent, cum nonnulli ex Latinis Theologis benedictione sola Consecrationem peragi existiment, & plerique Græcorum putent Eucharistiam confici Sacerdotum precibus. Nos quæ magis verisimilia sunt in hac controversia tradituri utramque sententiam reprobamus, & Ecclesiæ traditioni adhærentes dicimus.

§ Unicus. *Solis his verbis perficitur Consecratio*: Hoc est Corpus meum, Hic est Calix Sanguinis mei; *& Christus manifeste ea proferens consecravit.*

IV. Plurimæ sunt auctoritates, illæ ex quibus hæc utriusque Ecclesiæ, tum Latinæ, tum Græcæ traditio demonstratur. D. Cyprianus in Sermone de Cœna Domini inquit: *Ex quo a Domino dictum est, hoc facite in meam commemorationem, hæc est Caro mea, & hic est Sanguis meus, quotiescumque his verbis, & hac fide actum est Panis iste substantialis, & Calix benedictione solemni sacratus ad totius hominis vitam, salutemque proficit.* S. Ambrosius lib. 4. Sacramentorum c. 5. *Panis*, inquit, *antequam consecretur Panis est, ubi autem verba Christi accesserint Corpus est Christi: denique audi dicentem: Accipite, & edite ex eo omnes: Hoc est enim Corpus meum. Et ante verba Christi Calix est Vini, & Aquæ plenus, ubi verba Christi operata fuerint, ibi Sanguis Christi efficitur, qui plebem redemit.* Eadem docet Augustinus Sermone 227. & in libro de verbis Domini. Eadem confirmat Auctor Sermonis de Corpore, & Sanguine Domini sub nomine Eusebii Emisseni, qui comparans inter se hominem accedentem ad Baptismum, & Panem qui offertur in Altari sub finem ejusdem sermonis inquit: *sicut autem quicunque ad fidem veniens ante verba Baptismi adhuc in vinculo est veteris debiti, his autem commemoratis mox exuitur omni fece peccati; ita quando benedicendæ verbis cælestibus Creaturæ sacris Altaribus imponuntur antequam invocatione summi Numinis consecrentur, substantia illic est Panis, & Vini. Post verba autem Christi Corpus & Sanguis est Christi. Quid autem mirum si ea quæ potuit verbo creare, verbo possit creata conservare?* In eamdem sententiam abit Pa-

schalis Radbertus Libro de Corpore Domini c. 12. & Florus Magister qui in expositione Missæ ad hæc verba *qui pridie quam pateretur &c.* aperte pronunciat, *quod in his verbis, sine quibus nulla lingua, nulla Regio, nulla Civitas, idest nulla pars Ecclesiæ Catholicæ conficere potest, idest consecrare Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini, ipse Dominus tradidit Apostolis, unde universa Ecclesia jugem memoriam sui Redemptoris celebrat, & Apostoli generaliter omni Ecclesiæ. Christi ergo virtute, & verbis iste Panis, & Calix ab initio consecratus est Christi virtute, & verbis semper consecratur & consecrabitur.* Quibus auctoritatibus consonant testimonia Remigii Antissiodorensis Episcopi, Hincmari Rhemensis, Eusebii Andegavensis in Epistola ad Berengarium; imò ipse Berengarius, qui post abjuratam hæresim, hoc dogma catholicum his verbis confessus est. *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor Panem, & Vinum, quæ in Altari ponuntur per Mysterium sacræ Orationis, & verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram, & propriam, & vivificatricem Carnem, & Sanguinem Domini Nostri J. C.* ut prætercam Durandum, Guibertum Abbatem, Stephanum Eduensem, Algerum, & Gerochum Richerspergensem Præpositum, qui omnes simul testantur de verbis Consecrationis in Latina Ecclesia traditionem.

V. Eandem traditionem fuisse in Ecclesia Græca uterque Gregorius Nazianzenus, & Nyssenus docent, Meletius Syrigus Monachus, & Joannes Phurnes; imò universitas Ecclesiarum Orientalium in Florentina Oecumenica Synodo A. 1439. coram Eugenio IV. quid ipsa sentiret professa est in hac Confessione, quam inventam in Thesauro Magni Ducis Ethruriæ, & ex autographo descriptam, primus omnium publici Juris fecit Mabilonius in Tomo I. Musæi Italici. In hac itaque sic legitur:

Beatissime Pater, vosque Reverendissimi Patres, & Domini hic præsentes.

Quoniam in præcedentibus Congregationibus nostris inter alias differentias nostras ortum est dubium de consecratione sacratissimi Sacramenti Eucharistiæ, & aliqui suspicati sunt nos, & Ecclesiam nostram non credere illud pretiosissimum Sacramentum per verba Salvatoris Domini Nostri J.C. confici, propter hanc caussam assumus omnibus aliis hic astantibus, qui pro parte Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sunt ad certificandum vestram Beatitudinem, & alios Patres, & Dominos hic præsentes de hac dubitatione, & dicimus breviter: Nos usos fuisse Scripturis, & sententiis SS. PP. & rationibus, spretis humanis inventis; qua quidem de re Pater Beatissime, cum in omnibus aliis, auctoritatibus PP. SS. usi sumus, etiam his in præsenti dubitatione utimur, & quoniam ab omnibus Sanctis Doctoribus Ecclesiæ, præsertim ab illo Beatissimo Jo. Chrysost. qui nobis notissimus est audivimus: Verba Dominica esse illa quæ mutant, et transubstantiant Panem, et Vinum in Corpus verum Christi, et Sanguinem: quod illa verba Divini Salvatoris omnem virtutem transubstantiationis habent, *nos ipsum Sanctissimum Doctorem, & illius sententiam sequimur de necessitate. Sententiam Chrysostomi ita legimus in Oratione de proditione Judæ. Non enim est homo qui proposita de consecratione Mensæ Domini Corpus Christi facit, & Sanguinem, sed ille, qui Crucifixus est pro nobis Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur,*

tur, & gratia. Hoc est enim ait Corpus meum, hoc verbo proposita consecrantur. Et sicut illa vox, quæ dixit crescite, & multiplicamini, & replete terram, semel quidem dicta est, sed omni tempore sensit effectum ad generationem operante natura; ita vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ usque in hodiernum diem, & usque ad ejus adventum præstat Sacrificio firmitatem.

VI. Rem eandem confirmant antiquissimæ Ecclesiarum Liturgiæ, in quibus constantissime Consecratio exprimitur per verba Christi. In Liturgia S. Jacobi ita legitur: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur* &c. *Hic est Sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis, & pro multis* &c. Eadem verba leguntur in Liturgia S. Marci, nisi quod post pronomina *hoc*, *hic* additur vox *enim*. In Liturgia Sanctorum Basilii, & Chrysostomi eadem leguntur, & solum addantur hæc verba *novi Testamenti*, quæ etiam leguntur in Missa Æthiopum, in Liturgia S. Cyrilli, in Missa Christianorum apud Indos, & in Romana. In Missa Mozarabum, & in Missali Ambrosiano. Ex hac constanti tot Ecclesiarum praxi non solum illud confirmatur, de quo aliqui ausi sunt dubitare, sed præterea temeritatis arguitur Martinus Bucerus, & Erasmus Roterodamus, dum in annotationibus ad cap. 2. primæ ad Cor. *optare se* ait, ut *Scriptura nobis exprimeret, quibus verbis Christus consecravit, & quibus nos oporteat consecrare*. Quis enim auderet ad Altare Dei accedere, & Augustissimum Mysterium celebrare, nisi Dominus tanti Mysterii institutor præcepisset? Ideo ait S. Gaudentius Tractatu 3. de Paschate: *Discipulis mandavit, quos primos Ecclesiæ suæ constituit Sacerdotes, ut indesinenter ista vitæ Mysteria exercerent, & revera hoc se accepisse a Domino in supra cit. loc. scribit Apostolus, & nobis tradidisse quod Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur accepit Panem &c. deditque Discipulis suis dicens: hoc est Corpus meum. Similiter & Calicem postquam cœnavit dicens: hic Calix novum Testamentum est in meo Sanguine, hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem*. Quæ postrema verba maximæ etiam temeritatis arguunt illos Scriptores, qui asserunt ex Domini præcepto nos non teneri illa pronunciare, contra universæ Ecclesiæ perpetuam consuetudinem, quæ nunquam in Actione Missæ verba hæc frequentaret, nisi hoc a Christo Domino fuisse præceptum intellexisset.

VII. Sed quid modo dicendum de precibus illis, quibus Græcorum aliqui attribuunt efficaciam transubstantiationis utriusque substantiæ Panis, & Vini? Qui adhuc ita opinantur nulla satis firma ratione probare id possunt imò irrationabiliter penitus hoc ab illis affirmatur. Dominus enim nec dixit, nec dicere jussit preces illas, quarum nullum in Scriptura, & in Traditione vestigium habemus, quemadmodum ex supra recitatis sacræ Scripturæ verbis constat: quod enim in aliqua ex Liturgiis legantur, non negamus, sed tamen eruditi omnes, & Theologi docent, non omnia quæ in illis leguntur deprompta esse ex Domini exemplo, aut præcepto, sed multa ab aliis esse addita. Neque opponant Justinum in secunda Apologia scribentem: *Panem fieri Corpus Domini per preces verbi Dei*, aut fieri, *mystica prece*, ut Augustinus lib. 3. de Trinitate cap. 4. scribit, aut *invocatione summi Numinis*, quod Cyrillus Catechesi 3. & 4. Mystag. & Eusebius Emissenus Sermon. 5. de Paschate docuerunt, nam in laudatis lo-

locis Patres precum nomine, aut verba illa intelligunt, quæ Dominus dixit: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus*, ut loco citato Justinus exponit, vel totam Liturgiam intelligunt, scilicet totam Actionem, aut totum Canonem, in quo sunt benedictiones, gratiarum actiones, invocationes &c. Nec quemquam movere debet quod in Liturgia Chrysostomi statim post Consecrationem legantur hæc verba: *Fac hunc Panem pretiosum Corpus Christi tui*, non enim illa adducuntur, ac si essent tantum Consecrationis verba narrative prolata, & inefficacia ad Sanctificationem donorum, quod non sine maxima arrogantia scripsit Nicolaus Cabasila Shismaticus Auctor in expositione Liturgiæ c. 30. Latinis apponens hunc errorem, & Marcus Ephesinorum Episcopus; illorum enim verborum hunc legitimum sensum Græci Antistites in Florentino Concilio professi sunt, ut, quod jam consecratum est verbis Christi, fiat suscipientibus in salutem. Talis est illorum confessio in 25. Sessione. *Fateri nos diximus per hæc verba, hoc est Corpus meum transubstantiari Sacrum Panem, & fieri Corpus Christi, sed postea quemadmodum & vos* (Patres Latinos alloquebantur) *dicitis: jube hæc perferri per manus S. Angeli tui in sublime Altare tuum; ita nos quoque oramus dicentes, ut Spiritus Sanctus descendat super nos, & efficiat in nobis Panem hunc pretiosum Corpus Christi sui, transmutetque ipsa dona Spiritu S. suo, ut fiant communicantibus in purgationem animæ, in remissionem peccatorum, & non fiant in judicium, aut condemnationem nostram*.

VIII. Veritatis hujus explicationis argumentum suppeditat Ritus Mozarabicus. Hic post Consecrationem recitat brevem orationem, quæ *post pridie* inscribitur, qua Sacerdos precatur; ut descendat Spiritus S. & dona benedicat, atque sanctificet, veluti si non essent sanctificata, ut nimirum hostia jam consecrata, nobis, nostræque saluti Sancti Spiritus illapsu sanctificetur. Consentiunt Syri in hac ipsa explicatione ex testimonio S. Maronii in expositione Liturgiæ c. 33. Non inficiamur tamen quibusdam Recentioribus hanc explicationem displicere, & propterea hi putant indicatam precationem: *Fac hunc Panem &c.* quondam Græcos legisse ante verba consecratoria, & tractu temporis fuisse in locum illum translatam ubi nunc legitur, quod posset concedi, nisi antiquissimi Codices MS. obstarent, & nefas est dicere omnes fuisse adulteratos; idque eò tutius affirmamus, quo indubitanter intuemur post verba Consecratoria esse positam in Liturgia Jacobi, Marci, Clementis, & Basilii, in Liturgia Armenorum paucis immutatis, & in Liturgia omnium Ecclesiarum Orientalium, ut erudite demonstrat Richardus Simon in notis ad Apologiam Gabrielis Severi Metropolitæ Philadelphiensis, & Petrus Arcudius libro 3. suæ Concordiæ c. 27. & sequentibus.

IX. Conclusionem hactenus demonstratam argumento ab universali Traditione petito ipsa naturalis ratio confirmat, quæ eodem modo de caussa efficiente Eucharistiæ disserit, ac de caussa efficiente Baptismi & de certo utriusque Sacramenti effectu. Ritum Baptismi longa orationum, exorcismorum, precumque series incipit, prosequitur, & perficit, at nihil horum effectum Baptismi operatur, qui ut omnes sciunt ab his solis verbis dependet: *Ego te baptizo in Nomine Patris &c.* aut ab his aliis: *Baptizetur servus Christi &c.* quæ Aquæ infusionem concomitantur. Idem ergo dicendum est

de

de Panis & Vini admirabili transubstantiatione attribuenda solis verbis Domini: non benedictioni, non gratiarum actioni, non deprecationibus, alioquin bonitas Ministri, vel infidelitas, aut plurimum prodesset, aut multum obesset, totumque operaretur Sacramentorum effectum, exitu tamen semper ancipiti, nisi constaret de pacto absoluto, & promissione facta ejusmodi precibus, quae promissio tantum in extrema Unctione habetur: *Et oratio fidei alleviabit infirmum &c.* non vero in formis aliorum Sacramentorum.

X. Cum dicimus Domini verba necessaria esse ad oblatorum consecrationem peragendam, certe non omnia omnino illa verba complectimur, quae in hac Actione proferuntur, haec itaque inter se distinguimus, ut nonnulla vere, & proprie oblata consecrent, nonnulla vero non consecrent oblata, sed dicantur, ut Sacerdos possit in Persona Christi formam ipsam proferre, qua idem Dominus, & Salvator usus est in hoc Sacramento conficiendo. Verba Consecratoria haec tantummodo statuuntur: *Hoc est Corpus meum: Hic est Calix Sanguinis mei*: omnia verba reliqua ad formam Consecrationis non pertinent, & propterea ad illius essentiam constituendam necessaria non sunt, quamquam in tota Actione omitti non possint. Quidam vero dixerunt, *hoc Sacramentum perfici non posse praedictis verbis prolatis, & aliis praetermissis, praecipue, quae sunt in Canone Missae, sed hoc patet esse falsum, tum ex verbis SS. PP. tum etiam quia Canon Missae non est idem apud omnes, nec secundum omnia tempora, sed diversa sunt a diversis opposita. Unde dicendum est, quod si Sacerdos sola verba praedicta proferret cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum, quia intentio faceret, ut haec verba intelligerentur quasi ex persona Christi prolata, etiam si verbis praecedentibus hoc non recitaretur. Graviter tamen peccaret Sacerdos sic conficiens hoc Sacramentum, utpote ritum Ecclesiae non servans.* Ita D. Thomas l. c. a. 1. ad 4.

XI. Dixi *ex verbis Sanctorum Patrum*, nam S. Justinus in Apologia 2. ad Antoninum Imperatorem ita scribit: *Apostoli in Commentariis suis, quae Evangelia dicuntur ita sibi Jesum praecepisse tradiderunt, eum accepto Pane, cum gratias egisset, dixisse: hoc facite in memoriam mei. Hoc est Corpus meum. Dixisse etiam accepto poculo: hic est Sanguis meus, ipsisque solis dedisse*, Etiam S. Gaudentius Tract. 2. de Exodo: Vinum in Christi Sanguinem converti docet per hoc tantum quod dixit hic est Sanguis meus. *Credamus*, inquit, *cui credimus nescit mendacium veritas, non infringamus illud os solidissimum: Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus*. Eadem docuit Auctor Sermonis de Coena Domini apud Cyprianum: *Ex quo a Domino dictum est: Haec est Caro mea, Hic est Sanguis meus, quotiescumque his verbis, & hac fide actum est, Panis iste supersubstantialis, & Calix benedictionis sacratus ad totius hominis vitam, salutemque proficit*. Ut patet igitur ex his auctoritatibus nullam agnoverunt Patres in verbis Canonis, quae tanquam in persona propria Minister profert, relationem necessariam cum verbis consecratoriis, sed illa verba tantum formam hujus Sacramenti dixerunt, quae proferuntur, quasi ex persona ipsius Christi loquentis, ut intelligat, quod Minister in perfectione hujus Sacramenti nihil agit, nisi quod profert verba Christi. Id clarius adhuc unusquisque do-

nocuit Ambrosius in libro de Sacramentis cum scripsit: *Consecratio fit verbis, & sermonibus Domini Jesu; nam per reliqua omnia quæ dicuntur laus Deo defertur. Oratio præmittitur pro Populo, pro Regibus, pro ceteris: Ubi autem venitur, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos utitur, sed utitur sermonibus Christi*. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum.

XII. Ex hoc tamen inferri non potest mutilatam a nobis accipi præcipue formam utriusque consecrationis Panis & Vini, gratis enim asseritur ad utramque pertinere hanc particulam *enim*, quæ ut docet D. Thomas l. c. a. 2. ad 5. *Apponitur in hac forma secundum consuetudinem Romanæ Ecclesiæ a B. Petro Apostolo derivatam, & hoc propter continuationem ad verba præcedentia, & ideo non est de forma, sicut nec verba præcedentia formam*. Gravior controversia est de reliquis verbis, quæ in forma Calicis inseruntur: *Novi, & æterni Testamenti, Mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Utrum scilicet omnia verba hæc sint de ejus essentia? D. Thomas videtur hoc asserere variis in locis præcipue vero in Commentariis in caput 11. Epist. 1. ad Cor. Lect. 6. ubi hæc scribit: *Circa ista verba, quibus Ecclesia utitur in Consecratione Sanguinis, quidam opinantur quod non omnia sint de necessitate formæ, sed solum quod dicitur: Hic est calix Sanguinis mei, non autem residuum quod sequitur, novi, & æterni Testamenti &c. Sed hoc non videtur convenienter dici, nam totum illud quod sequitur est quædam determinatio prædicati; unde & ad ejusdem locutionis sententiam, seu significationem pertinet. Et quia formæ Sacramentorum significando efficiunt, totum pertinet ad vim effectivam formæ*. Hoc idem asserit in 4. sententiar. distinct. 8. q. 2. a. 2. quæstiuncula 1. ubi relata illorum opinione, qui in his verbis: *Hic est calix Sanguinis mei* cognoscunt legitimam formam consecrationis Calicis propter consimilem formam consecrationis Panis, addit; *Alii probabilius dicunt, quod totum quod sequitur est de forma*. Neque de alia forma loquitur S. Doctor quam de essentiali, cum enim in favorem oppositæ opinionis sic argumentaretur: *Proprietates naturaliter consequuntur substantiam rei. Sed illud quod consequitur substantiam non potest esse factivum transubstantiationis. Ergo cum illa verba, quæ sequuntur designent aliquas proprietates Sanguinis, in quem fit transubstantiatio, videtur quod non sint de forma*. Argumento huic ita respondet. *Ad tertium dicendum, quod quamvis illa quæ sequuntur designent aliquas proprietates Sanguinis in quantum hujusmodi sunt, tamen essentiales Sanguini, in quantum est per passionem effusus, & ideo illa, quæ sequuntur sunt essentialia Sanguini prout in hoc Sacramento consecratur, & ideo oportet quod sint de substantia formæ*. Quæ scripserat S. Doctor in Lectione 6. supra Epistolam I. ad Corinth. confirmavit in sua Summa Theologica p. 3. q. 78. a. 3. in corpore, nisi quod postquam dixisset: Ea quæ sequuntur, *sunt quædam determinationes prædicati, idest Sanguinis Christi*, addidit *unde pertinent ad integritatem ejusdem locutionis*, ex quibus Verbis liceret suspicari D. Thomam in laudatis locis intellexisse sequentia verba non pertinere ad essentiam formæ, sed explicationem tantum, ita ut voluerit verba, de quibus agitur meram esse explicationem illorum: *Hic est Calix Sanguinis mei*, per quæ transubstantiationem clare designari infra diserte scribit: *Cum dicitur hic est Calix*

San-

Sanguinis mei, *significatur ipsa conversio Vini in Sanguinem eo modo quo dictum est in forma consecrationis Panis. Per verba autem sequentia novi & aeterni Testamenti Mysterium fidei &c. designatur virtus Sanguinis effusi in passione, quae operatur in hoc Sacramento. Designatio autem hujusmodi non est essentialis forma Sacramenti, alioquin propter eandem rationem forma consecrationis Panis, oporteret addere hac alia verba, quod pro vobis tradetur: quod omnino falsum est*; Imò si bene attendatur responsio S. Doctoris nuper exposita, & petita, ex 4. Sententiarum, etiam ex illa infertur hæc verba *qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, & illa: *novi, & aeterni Testamenti*, essentialia dici a D. Thoma, non ut Vinum in Sanguinem convertatur, sed ut perspicue, & explicite Sanguinis prout effusi memoria celebretur; nam non dicit laudata verba esse *consecrando Calici simpliciter essentialia*, sed tantum *prout consecratur*, hoc est, quatenus vi verborum separatur a corpore.

XIII. Quid veteres Ecclesiæ Patres de hoc senserint superius expositæ auctoritates ostendunt. In Conciliorum decretis nihil statutum est, neque a Romanis Pontificibus aliquid super his verbis declaratum. Innocentius III. in cap. *cum Martha* nec affirmat, nec negat ea verba necessaria esse, sed tantum rite adjecta fuisse in Canone Missæ, licet in sacris paginis non legantur: *possunt*, enim inquit, *ex aliis locis comprobari, congruenterque apposita sunt*. Illud certum est non singula hæc verba in omnibus Liturgiis legi. In Liturgia S. Jacobi omittuntur hæc verba: *& aeterni*, *Mysterium fidei*. Eadem omittuntur in Liturgia S. Marci, in Liturgia S. Basilii, & in Liturgia S. Chrysostomi. Multo plura desunt in Liturgia Æthiopum, nam desunt hæc verba: *novi*, *& aeterni Testamenti: in remissionem peccatorum*. Quemadmodum in Missa Mozarabum desunt hæc verba: *& aeterni*, *Mysterium fidei*. In Liturgia Ambrosiana a Pamelio edita solum legitur: *Hic est enim Sanguis meus*, quemadmodum in antiquo Ordine Romano ex relatione Menardi ad Sacramentar. S. Gregorii pag. 19. non extant hæc verba *Mysterium fidei*. Et tamen nullus unquam dubitavit illos perfecisse Eucharistiæ Sacramentum & Calicem consecrasse, qui hujusmodi Liturgiis utebantur. Sed ut hoc clarius, & plenius explicetur advertendum est in nostra forma Consecrationis aliqua inseri, quæ pertinent ad Panem sanctificandum, & alia quæ significant præceptum a Christo Domino datum de usu Sacramenti, & alia quæ Sacramenti finem exponunt. Ne singula hæc confunderentur, distinxerunt Theologi verba a verbis, separantes hæc ab illis, inde natum est, ut forma Consecrationis coalesceret ex partibus essentialibus, & ex partibus non essentialibus. Primi generis sunt hæc verba: *Hoc est Corpus meum*. *Hic est Calix Sanguinis mei*, aut *Hic est Sanguis meus*. Alterius generis sunt hæc verba: *Accipite*, *& manducate: Accipite, & bibite*, quæ tantummodo pertinent ad usum Sacramenti, non ad Panem, & Vinum sanctificandum: hinc illa non legimus in Evangelio Lucæ c. 22. & ista omittuntur in prima Epistola ad Corinth. cap. 11. Ad idem genus pertinent hæc alia verba *quod pro vobis tradetur*, quæ leguntur in Missa Æthiopum, & Mozarabum, *quod pro vobis, & pro multis tradetur*, quæ habentur in Liturgia Cyrilli. *Quod pro multis confringetur* quæ leguntur in Liturgia Ambrosiana: *quod pro multis frangitur*, aut *quod pro vobis frangitur*, quæ leguntur in Liturgia Clementis &

& Jacobi, & propterea neque in Evangelio Matthæi, neque in Evangelio Marci reperiuntur, & nihil de his habent Justinus, & Eusebius Emissenus, qui tamen exponunt formam Consecrationis. Neque in alium finem quam ad finem Sacrificii explicandum adducuntur ista: *ex eo omnes*, & hæc alia: *qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, ut intelligamus nos omnes posse ex eo bibere, & ex hoc manducare, & ut meminerimus Christum non redemisse genus humanum suo Corpore, & suo Sanguine simpliciter, & absolute sumptis, sed *Sanguine ut effuso, sive per mortem*, ut explicat S. Thomas l. c. a. 3. Reliqua verba *novi & aeterni Testamenti*, adduntur ad significandum hunc esse Sanguinem, quo novum testamentum firmatum est, juxta Apostolum ad Hebræos 4., & per illa verba *Mysterium fidei* indicatur hoc Sacramentum esse unum ex Mysteriis fidei maxime reconditis, in quo aliud videtur, & aliud sub speciebus latet.

XIV. Contra horum verborum efficaciam modo militat cavillosa Novatorum turba, quæ sicuti in aliis Sacramentorum formis, vel etiam in ipsis Sacramentis ad inducendos Sacramentorum effectus quamcumque creatam virtutem adimit, ita in prædictis verbis nullam agnoscit ad transubstantiationem faciendam. Id vero quam imperite sit dictum, demonstratum est in Prolegomenis, ubi egimus de efficacia Sacramentorum, & dictis Sanctorum obviare videtur, & primo testimonio Dionysii, qui in fine Eccles. Hierar. *In ipsis*, ait *consummativis invocationibus, idest formis Sacramentorum esse virtutes operativas ex Deo*, deinde auctoritati S. Bernardi, qui expressis verbis in quodam Sermone de Cœna Domini sententiam eandem exponens: *Divisionis gratiarum* inquit *diversa sunt tradita Sacramentis*, quare S. Thomas l. c. a. 4. inquirens utrum verbis Consecrationis insit aliqua vis creata ad transubstantiationem faciendam ita respondet: *Cum Eucharistiæ Sacramentum ceteris sit dignius, verba quibus exprimitur illius forma necesse est habere virtutem quamdam creatam, quæ consecrationem efficiat, proferuntur enim ex persona Christi, & ex ejusdem mandato; itaque consequuntur virtutem instrumentalem a Christo, sicut & cetera ejus facta, vel dicta habent instrumentaliter salutiferam virtutem*. Idem passim docuerat Sanctus Ambrosius in libro de Sacramentis c. 4.: *Tu forte dicis meus Panis est usitatus, sed Panis iste est Panis ante verba Sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de Pane fit Caro Christi*, & in libro de Mysteriis initiandis c. 9. *Quantis utimur exemplis, ut probemus non hoc esse, quod natura formavit, sed quod Benedictio consecravit? Majoremque esse vim benedictionis quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur*. Hic narrat multa miracula Moysis, Eliæ, & Elisæi & tandem sic concludit: *quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione Divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur. Nam Sacramentum istud, quod accipit Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de Cælo deponeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum?* Non minus clare efficaciam verborum formæ Consecrationis docuit Cyprianus, vel quicunque alter fuerit Auctor sermonis de Cœna Domini: *Panis iste*, inquiens, *quem Dominus Discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est Caro*. Similia tradidit Nyssenus Orat. Catech. c. 37. ubi sic ait: *Recte ergo nunc quoque Dei verbo sanctificatum Panem in Dei ver-*

verbi Corpus credo transfmutari: & Theophylactus in cap. 6. Joan *Transformatur*, inquit, *arcanis verbis Panis ille per Mysticam benedictionem, & accessionem S. Spiritus in Carnem Domini*. Quod si sola virtute Spiritus Sancti fieri conversionem Panis in Corpus Christi Damascenus scripsit in 4. libro de fide Orthodoxa c. 14. per hoc tamen virtutem instrumentalem quæ est in forma Sacramenti non exclusit.

XV. Ad cujus intelligentiam sciendum est *I.* quod caussa efficiens dupliciter potest considerari uno modo ex parte effectus, quem disponit ad recipiendam formam, & quem perficit dum inducit ultimam perfectionem. Alio modo ex parte ipsius caussæ in agens principale, & instrumentale. Agens enim principale est primum movens, agens autem instrumentale est movens motum. Instrumento autem competit duplex actio, una quam habet ex propria natura, alia, quam habet prout est motum a primo agente. Sciendum *II.* est, quod actio instrumenti quandoque pertingit ad ultimam perfectionem quam principale agens inducit, aliquando autem, non semper tamen pertingit ad aliquid ultra id, quod competit sibi secundum suam naturam, sive illud sit ultima forma, sive dispositio, alias non ageret ut instrumentum. His observatis dico, quod principale agens respectu transubstantiationis Deus est, nec indiget ad hoc aliquibus instrumentis, ex parte sua. Homo vero ratione sui status, indiget instrumentis, & hujusmodi sunt verba formæ consecrationis. His verbis ex illorum natura aliqua actio competit, quia per illa intelligimus Christi Corpus, & Sanguinem latere in Sacramento Altaris sub speciebus Panis, & Vini, quatenus vero consequuntur virtutem instrumentalem a Christo, Panem ipsum, & Vinum convertunt in Christi Corpus & Sanguinem, & ita pertingunt ad ultimam perfectionem, quam principale agens, scilicet Spiritus Sanctus inducit, cum materia Panis & Vini mutatur in Christi Corpus & Sanguinem. Nec principali agenti quidquam detrahitur, nam virtus instrumenti non est nisi redundantia ejusdem principalis agentis, & in toto actio non attribuitur instrumento, sed principali agenti, quia virtus illa instrumentalis, non est aliquo modo caussa eorum, quæ post transubstantiationem sequuntur, scilicet, quod accidentia Panis, & Vini sine subjecto remaneant. Ex hoc vero non sequitur creaturam agere, ea quæ sunt supra naturam, effectum enim, quem verba Consecrationis producunt non operautur ex virtute propria, sed vi illis indita ab agente principali, quæ virtus cum sit Sacramentalis observat laudatus S. Doctor l. c. in responsione ad 3., *consequitur significationem, quæ in prolatione ultimæ dictionis terminatur, & ideo in ultimo instanti prolationis verborum prædicta verba consequuntur hanc virtutem in ordine tamen ad præcedentia, & hæc virtus est simplex ratione simplicis significati, licet in ipsis verbis exterius prolatis sit quædam compositio*.

XVI. Colligitur ex his hæc verba, *hoc est Corpus meum*, *hic est Calix Sanguinis mei* accipi non posse veluti ambigue, & figurate dicta, ut Sacramentarii impiè contendunt. Christus hæc dicendo dixit id, quod nobis in Eucharistia dedit esse Corpus suum, non figuram Corporis sui, nisi voluerimus Scripturarum verba corrumpere, umbraticum testamentum pro vero, ac reali supponere, & verbo Dei illudere. *Forte*, inquit S. Hilarius lib. 8. de Trinitate, *qui Verbum est, & qui veritas est vera loqui nescivit: & qui*

qui sapientia est in stultiloquio erravit, & qui virtus est in ea fuit infirmitate, ne posset eloqui quid vellet intelligi. Num mentis & linguæ artifex diserte loqui non posset. Imò vero summa provvidentia fuco carere voluit quæ divina sunt, ut omnes intelligerent, quæ ipse omnibus loquebatur. Voluissent fortasse adversarii quod Christus Dominus dixisset hoc est *vere*, & *proprie* Corpus meum ad significandum se Corporis sui substantiam tradere. Sed quæso de quo Filio locutus est Æternus Pater, cum ait: *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite.* De quo verba agit S. Joannes, cum cap. 1. scribit: *Verbum caro factum est*: & quidnam Angelus pollicetur cum admirabile Incarnationis Mysterium Virgini annuncians, his verbis illam affatur: *quod enim ex te nascetur sanctum vocabitur Filius Dei?* Firma fide omnes credere cogimur Christum esse vere, & proprie filium Dei, Verbum vere, & proprie Incarnatum fuisse, Virginem vere, & proprie esse Matrem Filii Dei, etiamsi Æternus Pater, Joannes, & Angelus non dixerint: hic est vere & proprie Filius meus: Verbum vere, & proprie Caro factum est: Vere in utero concipies proprium Filium Dei; ita credere debemus vere, & proprie, & substantialiter Christi Corpus nobis dari in Eucharistia, quamvis Christus non dixerit. Hoc est vere, & proprie substantia Corporis mei, quod tamen aliquo modo dixit, cum asseruit se dare Corpus illud, quod fuisset pro nobis traditum, & Sanguinem illum, quem pro nobis effudisset: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur: hic est Calix novum testamentum in Sanguine meo, qui pro vobis funditur*: cum verum, & proprium Corpus in Cruce pro nobis obtulerit, & verum, & proprium Sanguinem fuderit, non figuram Corporis, & Sanguinis.

XVII. Ad hæc si Christus Dominus de figura sui Corporis locutus fuisset, certe aliquis Evangelistarum, aut saltem Apostolus Paulus id non præteriissent, cum præcipue soleant Evangelistæ ita sibi vicissim oppitulari, ut sæpe unus explicet id quod ab alio legitur obscure exaratum: *Nihil est*, inquit Augustinus lib. 2. Doctrinæ Christianæ c. 6 & 9. *obscure dictum in Scripturis, quod spectet ad fidem, vel mores, quod non planissime dictum sit in aliis locis*, quod patet in his exemplis. A D. Luca c. 11. scribitur Christum dixisse: *Si ego indigito Dei ejicio Dæmonia*, explicat S. Matthæ. c. 12. *Si ego in Spiritu ejicio Dæmonia*. De S. Joseph legitur in Evangelio, quod fuerit Pater Jesu: *Ego, & Pater tuus dolentes quærebamus te*, explicat S. Lucas c. 3. *Erat Jesus incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph*. Apud S. Joannem c. 7. Christus Dominus clamat: *si quis sitit veniat ad me, & bibat, qui credit in me flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*, & statim exponit ipse Joannes hæc verba: *Dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum;* mirum est igitur quod Christus Dominus porrigens Apostolis figuram sui Corporis, & Sanguinis, ut inquiunt Sacramentarii, nullus Evangelistarum id expresserit, & omnes eadem æquivocatione usi sint, quæ hominum partem maximam poterat in errorem conjicere, & eo magis id mirum est, quo est certum, quod diversis temporibus auctores illi institutionem hujus Sacramenti descripserunt, pro ut illam audiverunt ab ipso Christo, ut S. Matthæus, pro ut illam acceperunt a Domino, ut S. Paulus & alii, & S. Lucas, & Marcus prout didicerant ab iis, qui Christum instituentem Sacramentum viderant, & au-

& audiverant. Certe S. Paulus, qui omnium postremus scripsit Corporis Christi, & ejusdem Sanguinis communicationem, non figuram, Eucharistiam appellat in 1. ad Cor. c. 10. *Calix benedictionis, quem benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Domini est, Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* & cap. 11. Sceleris enormitatem exagerans illorum, qui indigni ad Communionem accedunt ita loquitur: *quicumque manducaverit Panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini*, non dixit figuræ Corporis Domini, & infra: *qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini*. Hujusmodi locutio omnino frustranea esset, si Eucharistia mera Corporis, & Sanguinis Christi figura esset: Nec certe credibile est Apostolum voluisse appellare Corpus Domini id, quod mera erat ejusdem figura, & virtus.

XVIII. Huc spectant testimonia illorum Patrum Theophilacti Commentar. in c. 26. Matth. 14. Marci & 6. Joannis Cyrilli Jerosolym. Catech. 4. Mystagog. Ambrosii lib. 4. de Sacramentis c. 5. Cyrilli Alexandrini Epistola ad Calosir. Eusebii Emisseni Homil. 5. de Paschate, Epiphanii in Ancorato, qui dum locum hunc interpretantur opus esse fide inquiunt ut credatur res, quæ absurdissime sensibus esse videtur, & quam Judei non intelligentes litigabant ad invicem dicentes: *quomodo potest, hic scilicet Christus, nobis Carnem suam dare ad manducandum, & Sanguinem suum ad bibendum?* Evanuisset omnis querela, & nulla esset fidei necessitas si tropice locus hic esset intelligendus. Attamen interposito juramento Christus Dominus, qui sæpe non dedignatus est, quando in Parabolis loquebatur, Parabolas ipsas & Discipulis & Judæis explicare, confirmavit necessitatem commextionis suæ veræ Carnis his verbis. *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis Carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, non ait *nisi manducaveritis figuram, nisi biberitis virtutem*, & infra: *qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem habet vitam æternam. Homines*, inquit Apostolus ad Hebræ. 6. *per majorem sui jurant, & omnis controversiæ eorum finis, ad confirmationem, est juramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum? Ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium hebeamus, & obstinatiores infidelium animi ad credendum flectantur. O beatos nos, quorum causa Deus jurat! O nos miserrimos, si nec juranti Domino credimus!* inquit Tercull. lib. de Pœnitentia.

XIX. Falsitatem opinionis adversariorum ex eo luculentius adhuc ostendimus, quod Eucharistia omni prorsus efficacia interna, seu vi producendi gratiam destitueretur, hoc ipso quod esset nudum signum, cujus proprium non est gratiam conferre, nisi contrarium probetur ex promissione ejusdem gratiæ ipsi signo adnexæ, sed hanc promissionem nunquam probabunt Calviniani. Id agnovit Zuinglius, & propterea nullam efficaciam Eucharistiæ attribuit, non ita tamen ceteri Sacramentarii, qui in articulo 53. Confessionis Gallicæ 25. Anglicanæ 21. Scoticæ, & ex articulis 33. 35. Dortrectanæ Synodi, & in Synodo Carentonica A. 1631. definiverunt Eucharistiam continere signa efficacia. In capite 6. Joannis hujus promissionis clarissima sunt documenta, sed Sacramentariis non favent, qui negant

gant ibi sermonem esse de Eucharistia. Neque in verbis Institutionis continetur hæc gratiæ promissio: *Accipite & manducate, hoc est Corpus meum*, ex confessione eorumdem Calvinistarum; tum etiam quia si verba illa sonant *hoc est figura Corporis mei*, non pertinet ad figuram habere virtutem illius subjecti, cujus est figura, nisi hoc probetur. Non videtur autem quinam alter aptior reperiatur in Scriptura locus ad demonstrandam hanc efficaciam. Superessent illa Verba Apostoli: *Unus Panis, & unum Corpus multi sumus, omnes qui de uno Pane participamus;* & hic alter: *Panis, quem frangimus nonne participatio Corporis Christi est?* Verum etiam hæc verba quatenus a Calvinistis usurpantur hanc gratiæ promissionem non continent. In prima auctoritate ponitur signum fraternæ unionis, per quam plura membra cum suo capite, & inter se conjunguntur ducta similitudine a frumenti granis, quorum multa confluunt, & inter se colliguntur, ut Panis fiat: In altera vero auctoritate significatur tantummodo, ut explicat Albertinus, participatio Corporis Christi per Panem, quam participationem impius homo contendit, non magis esse communicationem Corporis, & Sanguinis Christi, quam esus Idolothytorum quibusdam Corinthiis esset Dæmonum communio, idque repetit ex ejusdem Apostoli verbis his in sensum tam pravum extortis: *Quæ gentes immolant Demoniis immolant. Nolo vos participes Dæmoniorum fieri*, propterea participationem ait Panis, & Calicis non esse corpoream, & oralem communionem Corporis, & Sanguinis Christi, sed spiritualem, sicut nec esus Idolothytorum est corporalis, & oralis Dæmoniorum manducatio. Hanc tamen illationem ex verbis Apostoli non patitur Calvinistarum assumptum, nam nulla Dæmoniorum virtus interior, & efficacia est iis, qui vescuntur Idolothytis, sed solum communicant exterius eorum cultui, & eorum societati, qui ipsis devinciuntur. Neque etiam hæc illatio cohæret cum his, quæ docet Confessio Helvetica, scilicet per fidem in Christum fieri spiritalem participationem Corporis, & Sanguinis Christi. Igitur ex hac Confessione potius inferri debet Eucharistiam præbere augumentum fidei. Verum neque hoc præbet, attentis Calvinistarum principiis, nam si id operatur, quia signum est Spiritualis Communionis cum Christo, alia quæcunque arbitraria signa, quæ in nobis excitant fidem, & Christi memoriam renovant, erunt signa efficacia. Neque opponant Christi promissionem nisi authenticis testimoniis illam se posse probare crediderint, & se posse erroris convincere Anabatistas, & Socinianos, qui dum Eucharistiam negant esse Sacramentum, ut suo loco vidimus, quamcumque illius figuram, & efficaciam refellunt.

XX. Robur accedit literali explicationi præsentiæ realis Corporis, & Sanguinis Christi demonstratæ ex verbis institutionis, a consensu Christianarum omnium Societatum, quæ semper literaliter intellexerunt Christi Domini verba, *hoc est Corpus meum: hic est Calix Sanguinis mei*. Multum disputarunt Græci cum Latinis, temporibus Michaelis Cerularii, & Leonis IX. circa materiam Eucharistiæ, sed in tota hac disputatione nihil a Græcis actum est contra literalem sensum verborum Institutionis, & contra fidem transubstantiationis, ut constat ex historia hujus dissidii, & ex serie objectionum, quibus certatum est pro utraque sententia. Libellum integrum Nicetas Pectoratus edidit contra Latinos, cui Cardinalis Humbertus respondit, & in hoc libello assumitur tanquam datum, præsentia realis Corpo-

ris

ris Christi in Eucharistia; ita enim de Christo loquitur: *Sanctus autem Spiritus vivificatur, in vivificata ejus Carne permanet, quam comedentes in Pane, qui immutatus est per Spiritum, & effectus Corpus Christi, vivimus in ipso, tamquam vivam, & deificatam ejus Carnem edentes.* Scripserunt etiam contra Latinos XI. & XII. Saeculo Euthymius Monacus Zigabenus, Nicolaus Methonensis, & tamen illorum quilibet idem dogma defendit, Euthymius in Matthaeum, alter in libello ad eos, qui haesitant, ajuntque consecratum Panem non esse Corpus, & Sanguinem Domini Nostri J. C. quos ait *conculcare Filium Dei*; quemadmodum in ejusdem dogmatis confessionem utraque Ecclesia Latina & Graeca, conspiravit primum in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. postea in Florentino sub Eugenio IV. & in sua Confessionis Augustanae Censura idem Dogma exposuit Joannes Patriarca Constantinopolitanus, quemadmodum ejus Praedecessor Joannes Veccus confessionem ejusdem dogmatis insinuaverat in suis literis ad Joannem XXI. ut praeteream condemnationem Cyirilli Lucaris Pseudopatriar. Constantin. in duabus Synodis Ecclesiae Graecae sub Cyrillo Barrensi, & sub Parthenio, eo quod ad Calvinistarum Sectam defecisset, & Sectae errores defenderet. Armenos a Graecis in hac fide non dissentire didicimus ex S. Nicone in Tractatu de pessima Armenorum religione, ex Lanfranco, ex Jacobo de Vitriaco, ex decreto Unionis Armenorum cum Ecclesia Latina, & ex fragmento Liturgiae Armenorum apud Cassandrum, in quo Sacerdos Panem a se consecratum vocat verum Corpus Salvatoris Domini Nostri. Eamdem fuisse Moscovitarum fidem, qui de rebus Moscoviticis scripserunt testati sunt. Indiarum Christiani in eodem dogmate conspirarunt, Cophtos quoque, & Aethiopes idem credidisse, & credere Damianus Gae fatetur. Tandem nulla Orientalium inveniri potest Ecclesiarum, quae Transubstantiationis dogma non tueatur, haeresi licet, & Schysmate a Constantinopolitana sint divisae. Si ergo omnes ubique Ecclesiae, & credebant, & credunt etiam nunc Christum esse corporaliter praesentem in Eucharistia; certum sit oportet, quod in ea realiter contineatur.

XXI. Ut variis difficultatibus occurramus, quae fieri possunt contra verba institutionis. Advertimus primo pronomen *hoc* tripliciter accipi posse, vel ut demonstret Panem, & ita illud accipit S. Bonaventura, & Bessario Cardinalis; vel ut confuse significet singularem substantiam sub speciebus Eucharisticis praesentem, quam expositionem tradunt D. Thomas, & Durandus, vel ut demonstret ipsum Corpus Christi, & ita pronomen *hoc* exposuit Richardus, Alensis, Maldonatus, & alii. Quocumque autem modo exponatur, toto coelo hae expositiones distant ab expositionibus Carolostadii, Buceri, Joannis Langi, & Petri Boquini, apud quos idem pronomen *hoc* in verbis institutionis his quatuor propositionibus inservit. *Hic sedet Corpus meum: Haec actio Corpus Christi repraesentat: Corpus meum est hoc, nimirum Panis: Hic Panis est Corpus meum*, quarum propositionum quaelibet Catholicam Doctrinam consolidit. E contra vero tres illae Propositiones Sacramentariorum argumenta, pene omnia inutilia reddunt. Hoc enim ipso, quod pronomen *hoc* denotat Panem, inutilis demonstratur propositionis figurata interpretatio; illa etenim verba transitoriam tantummodo significationem respiciunt, Panis videlicet, qui adhuc talis

lis est, dum pronomen *hoc* profertur, sed talis non futurus absoluta propositione *hoc est Corpus meum*. Si vero pronomen *hoc* demonstrat Christi Corpus, attenditur illius status permanens post recitata singula verba propositionis, cujus prædicatum tunc bene subjecto connectitur, nam de nulla alia re, quam de se ipso prædicari potest Corpus Christi, hac præmissa observatione, quod pronomen *hoc* illud significat confuse, pro eo instanti, quo Panis adhuc in propria natura existit; reliqua vero verba *est Corpus meum*, illud distincte significant. Neque id mirum esse debet, nam pronomina per se nihil determinate significant, sed solum quando alteri junguntur, tunc determinate illud demonstrant, & cum propositiones illæ, in quibus pronomen aliquod stat loco subjecti non appellent identice, ut Dialectici norunt, propter diversam significandi determinationem, scilicet quia illorum subjectum confuse significat, & prædicatum significat determinate; ideo neque identica erit hæc propositio: *hoc est Corpus meum*, quemadmodum identica non est quælibet alia huic similis, quæ reperiatur in Scripturis, cujus exempla habemus Matth. c. 17.; *hic est Filius meus dilectus*. c. 21. *Hic est Jesus Propheta a Nazaret*. c. 24. *Hic est Christus* & alibi. Cum vero pronomen *hoc* accipitur tertio modo, ut exprimat subjectum, vel rem sub speciebus Eucharisticis præsentem, alterutrum ex his intelligi debet, vel Panis, vel Corpus Christi, ille statim ac inchoatur propositio per pronomen *hoc*; Corpus Christi statim ac completur recitatio totius propositionis, ideoque nulla determinata, sed tantum confusa significatio oritur ex solo pronomine, præfinienda tantummodo secundum diversum rei statum, & conditionem propositionis operantis rem, quam significat. In hac itaque propositione *hoc est Corpus meum*, pronomen *hoc* nec Panem, nec Corpus Christi designat, sed utrumque tantum confuse, & quidem pro diverso instanti, unde propositio a Christo prolata eadem est omnino, ac si Christus dixisset *hoc*, seu quod *in hoc instanti est Panis, est in alio instanti Corpus meum*. Non itaque audiendus est Albertinus, qui calumniatur Ermengaudum quod Waldensibus pro hæresi imputaret, quod negaverint pronomine *hoc* Panem demonstrari: hæc enim imputationis causa non fuit, sed quod pronomen *hoc* ad Panem non referri dicerent, tamquam ad figuram efficacem Corporis Christi in sua natura, tam ante, quam post Consecrationem manentem, & negarent per illud pronomen demonstrari mutationem Panis in Corpus Christi, & per verba institutionis poni Corpus Christi sub speciebus Panis, existimantes Christum dixisse: *hoc est Corpus meum* manum suo pectori admovendo, & se ipsum demonstrando, non Panem ostendendo, ita ut ex vi verborum nulla fieret Panis transubstantiatio, & demum quod assererent manducare Carnem, & Sanguinem Christi bibere, nihil aliud esse, quam verba ejus audire.

XXII. Hos errores Ermengaudus refellens cap. 11. scripsit: *Hæretici dicunt, quod illud* hoc *demonstrativum pronomen non refertur ad Panem, quem in manibus tenebat, & cui benedicebat, & quem frangebat, & suis Discipulis distribuebat, sed refertur ad Corpus suum, quod hæc omnia perficiebat. Unde eorum error tam nequissimus originem habuit, ignorantes vim pronominis* hoc, *nec potest relative referri, nisi his, de quibus facta mentio, sed in traditione hujus Sacramenti de Corpore suo mentio nulla*

tunc

tunc facta fuerat ergo falsissimum est quod autumant. Sed sicut farina & aqua, & sal, cum hæc tria commixta fuerint, & decocta amplius non sunt farina, neque aqua, neque sal, quæ ante fuerant, sed vere Panis purus est, & dicitur; ita Panis, quem post Cœnam manibus suis Jesus Christus accepit postquam hunc benedixit, & fregit Corpus Christi non Panis intelligitur esse, & creditur, quem Christus Salvator noster, & Redemptor in Cœna suis Discipulis dedit dicens: Accipite & comedite hoc est Corpus meum. Eosdem errores confutans Ebrardus cap. 8. sic Hæreticos illos alloquitur: *Ecce quod Panem Corpus suum Dominus appellavit adhuc hæsitatis filii alieni? .... Non enim joculator est Dominus, ut Panem teneat, & alium Panem demonstret dicens: Hoc est Corpus meum. Si quis autem de communi Pane comedat, non oportet hominem seipsum probare, neque judicium sibi manducat. Sed objiciunt increduli dicentes: Verba sancta esse Panem, quia cibus animæ sunt verba Evangelica juxta illud: Verba quæ ego loquor Spiritus, & vita sunt, & qui hujusmodi verba audit, aut docet indigne, judicium sibi manducat, & bibit.... Nesciunt quid balbutiunt. De Pane enim dixit: Accepit, benedixit, ac fregit. Verba autem non franguntur, aut benedicuntur, aut in manibus accipiuntur. De Pane autem, quem tenebat, & benedicebat dixit: Hoc est Corpus meum: Verba autem Evangelica, quæ scribuntur, aut leguntur Corpus Christi non sunt.*

XXIII. Advertimus 2. a Sacris Literis signis interdum tribui rerum significatarum nomina, licet non eodem modo, quia aliquando ita tribuuntur, ut illas dumtaxat significent, aliquando vero, ut illas etiam exhibeant, aut contineant. De modis his agit Augustinus in lib. 3. quæst. supra Leviticum q. 57. & ex hac distinctione oritur, quod ubi primi generis signa sint, verbum substantivum quod prædicatum cum subjecto connectit, in illis propositionibus, in quibus hæc signa exprimuntur, accipitur pro hac voce, *significat*. Non ita vero, quando signa sunt secundi generis, ad quod genus Eucharistia pertinet, quæ appellatur Corpus Domini, quia vere, realiter continet substantiam Corporis Christi, cujus signum est reipsa præsentis non absentis. Ratio hujus discriminis est, quia quando signa tribuuntur rebus, ut illas dumtaxat significent, res significatæ de ipsis signis affirmantur, & illi, cum quibus loquimur ipsa signa accipiunt, ut mera signa, non vero ut res: quando vero tribuuntur rebus, ut res illas contineant, quia iis, cum quibus loquimur ipsa signa non innotescunt, eo quod eorum prima institutio non innotescit, tunc signa ipsa ab his veluti res accipiuntur. Quod hoc exemplo explicatur, Genesis cap. 41. exponitur somnium Pharaonis; Joseph, qui illud interpretatur, sic ait: *Boves pulchræ, & septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt*. Jam quia perspectum erat Pharaoni, boves, & spicas signa quædam spectare. Verbum *sunt* in hac propositione idem est ac *significant*, & propterea non quæsivit Pharao de somnii illius natura, sed de significatione. Quod si alter fuisset Pharao, qui eamdem Propositionem audivisset, facti ignarus, certe Josephum, veluti insipienter locutum despexisset. E contra vero cum Christus acceptum Panem dedit Discipulis, quia Panem ipsum Apostoli, ut rem quamdam, quomodo spectari solet Panis, non ut signum, spectabant, ideo ut scirent quam rem accipiebant, dixit eis; accipite, & manducate, *hoc est Corpus meum*, & in hac propositio-

ne verbum *est*, pro verbo *significat* non sumitur. Ex paritate rationis in hac altera propositione; *Est enim phase, idest transitus Domini*, & in altera *Petra erat Christus*, quia innotescebat causa immolationis Agni, & quare Christus vocabatur petra, cum jam Moyses Hebræos, & Apostolus Lectorum animos disposuisset longa sermonis serie, ut Pascha, & Petram veluti signum aliquod spectarent, verbum *est* pro *significat* usurpatur. Illud etiam observamus in sacris Scripturis, quod aliquando rebus ipsis signi nomen accomodant, quando res ejusmodi in prima illarum institutione debent signum aliquod repræsentare: Propterea non dicitur *fœdus* in 17. Genesis *Circumcisio*, sed signum fœderis: *Et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me, & vos*. Similiter *signum fœderis* in eadem Genesi cap. 9. vocatur *Iris*, cum Deus fœdus iniit cum hominibus de non inducendis amplius aquis diluvii: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram*; Quare ex his loquendi modis rationabiliter infero, quod si Christus Apostolis id unum significare voluisset, se Panem, & Vinum assumere, ut Sanguinis, & Corporis sui signa essent, ab illo usu loquendi non abstinuisset, cum verisimile non sit Christum Dominum cum instituit Sacramentum præcipuum novæ Legis obscurius locutum fuisse, quam cum Legis antiquæ Sacramenta promulgavit. Quod si dixeris, quod cum primum instituta est Circumcisio simpliciter appellata est a Scriptura *fœdus*: *Hoc est pactum meum quod observabitis inter me & vos* &c. ergo potuit etiam Christus cum primo Eucharistiam instituit absolute dicere: *Hoc est Corpus meum*, ut nos intelligeremus Panem significare suum Corpus. Respondeo quod apparet disparitas in fœderum natura, cum enim spiritualia sint, exhiberi debent per res quasdam exteriores, ut permaneant, & conserventur in memoria illorum, inter quos inita sunt. Hoc non indiguit Corpus Christi Domini ut per rem exsteriorem exhiberetur, scilicet per Panem; quare non decuit Christum præcepisse, ut sic exhiberetur cum dixit, *hoc est Corpus meum*, & revera sic non exhibuit, quanquam concedamus in toto Christi sermone aliqua verba esse, illa scilicet apud S. Lucam, & Divum Paulum: *novum testamentum in meo Sanguine*, quorum sensus metaphoricus est; nihil enim impedit, quod res aliqua verbis propriis, & sine ulla figura significetur, & ejus circumstantiæ, & adjuncta tropice exprimantur, ut constat ex verbis D. Marci, quibus cap. 9. docet Damnatos mitti in gehenam ignis inextinguibilis, ubi vermis eorum non moritur. Vox *Vermis* certe Tropum includit, sed non per hoc non verus ignis significatur; ita etiamsi *Calix* pro re in Calice contenta, & *novum testamentum*, sive fœdus pro externo symbolo fœderis tropice dicantur, non sequitur priora verba esse figurate intelligenda. Quod si figuratæ fuissent dicta; quemadmodum Matthæus, & Marcus explicarunt metaphoram, quæ legitur apud Lucam, & Paulum; ita aliquis Evangelistarum explicavisset figuratum sensum, quem Adversarii convenire putant Christi sententiæ, argumento sumpto a subsequentibus Lucæ & Pauli verbis: *hoc facite in meam commemorationem*: Sed in hoc falluntur quod putent posteriora hæc verba explicare priora, quod apparet, quia Evangelistæ reliqui verba hæc omiserunt. Ne vero perperam illam addidisse credamus S. Lucam, & Apostolum Paulum, earumdem sensum ex Algero audiamus. Hic libro 1. ita scribit: *Non enim frustra dixit Dominus*:

nus: hoc facite in meam commemorationem, *Sacramentum exhibens*, *ficut verum fidei*, *fic vere vifibile excitandæ commemorationi; ut quod fidei certum eft mentem pafcat, quod vifui certum eft devotionem accendat. Quia enim illum fecundum Carnem cœlos oportuit penetrare, ut illuc confidentius tenderemus, reliquit nobis carnalibus hujus Sacramenti vifibilem figuram, & characterem Carnis, & Sanguinis fui, ut fuæ paffionis memoria excitati, conftantius hoc faceremus*. Ne vero quidquam defit, ut clarius intelligatur natura illarum propofitionum, quæ in Sacra Scriptura locutionem aliquam figuratam involvunt.

XXIV. Advertimus 3. locutiones hujufmodi aliqnando quibufdam verbis fieri, quæ non fignificant id, ad quod fignificandum primitus funt inftituta, fed ad alium fenfum eliciendum ufurpantur, aliquando vero illud verba fignificant, quod fonant, licet fub figura alterius rei, ex quo nafcitur, quod locutiones illæ, aut excludant penitus literalem fenfum, aut illum neceffario requirant. Hujus indolis funt verba hæc, quæ in Epiftola ad Galatas cap. 4. leguntur: *Scriptum eft quoniam Abraham duos filios habuit*, *unum de Ancilla*, *& unum de Libera*, *fed qui de Ancilla fecundum carnem natus eft*, *qui autem de Libera per repromiffionem*, *quæ funt per allegoriam dicta*: *Hæc enim funt duo teftamenta*. Omnino fimilia funt illa verba Chrifti Domini apud Joannem; *nifi manducaveritis Carnem Filii hominis*, *& biberitis ejus Sanguinem*, *non habebitis vitam in vobis*, & aliæ hujus generis locutiones, quæ licet figuratæ fint, tamen fenfum literalem, & hiftoricum non excludunt: Verum enim eft quod Abraham duos filios habuit, quemadmodum vera eft Carnis Chrifti manducatio, & Sanguinis ejus fumptio, incruento tamen, invifibili, & impaffibili modo, licet alterius figura rei fit, videlicet paffionis Chrifti, cui manducando communicamus, & mortis ipfius, quam recolimus, ut fcripfit Auguftinus in cap. 16. libri 3. de Doctr. Chriftiana, ubi recenfitis verbis illis, ait: *facinus*, *vel flagitium videtur jubere*, *figura ergo eft præcipiens paffioni Domini effe communicandum*, *et fuaviter*, *atque utiliter in memoria recondendum*, *quod Caro ejus pro nobis crucifixa*, *et vulnerata fit*. Non ita ipfam veritatem literalem patiuntur hæ locutiones de Chrifto prolatæ: *Lapis angularis*, *Leo de tribu Juda*, *vitis*, *oftium*, *ovis* &c. cum verba hæc ad alium fignificandum transferantur, nec poffunt fignificare id, ad quod exprimendum de primaria intentione funt inftituta. Non quia nos non intelligimus quarumdam propofitionum naturam oportet ftatim deferere earumdem literalem fenfum, ut folum figuratum fequamur, quia non nullæ funt adeo manifeftæ ex vi circumftantiarum juxta literæ proprietatem fumendæ, ut de illis non liceat dubitare. Quis dubitabit de immolatione Ifacci, de fpoliatione Ægyptiorum, de Amalecitarum univerfali deftructione, de mandato Michææ dato, de fe vulnerando? In illis, & his fimilibus rebus ad præcipientis auctoritatem & juftitiam oportet confugere, ut monet Bafilius in moralibus regula 8. cap. 1. *Ab iis*, *quæ dicuntur a Domino dubitatio omnis*, *atque hæfitatio repelli debet*, *& quidquid a Deo datum fit id veriffimum*, *& poffibile tenere oportet*, *licet natura ipfa repugnet*. *In hoc enim fidei certamen eft:* In cujus rei exemplum Sanctus Doctor adducit fuperiora verba ex capite 6. Joannis: *Amen amen dico vobis*, *nifi manducaveritis Carnem filii hominis*, *& biberitis ejus Sanguinem*

non habebitis vitam in vobis, quibus præcipitur sacramentalis, & oralis Corporis Christi manducatio, quam S. Augustinus non rejicit in libro contra adversarium Legis, & Prophætarum cap. 10. quæst. 57. in Leviticum: libro primo de peccatorum meritis capite 20. & in tractatibus secundo & vigesimosexto in Joannem, & pluribus aliis in locis.

C A P U T V.

QUOMODO CORPUS CHRISTI DOMINI EXISTAT IN EUCHARISTIA.

ERrorem illum in præsenti capite profligandum assumpsimus, quem convicta de veritate præsentiæ realis Corporis Christi in Eucharistiam, impia Sacramentariorum familia pravis suis opinionibus addidit de modo disputans, quo idem Christi Domini Corpus in Sanctificatis oblatis existit. Et ne ulli Ecclesiasticorum Scriptorum injuria fiat, & ut zizania a tritico separentur, asserimus.

§. I. *Neque Paschasium Radbertum, neque Rupertum Tuitiensem Abbatem, neque Berengarium favisse pravo Impanationis errori, acceptæ, pro assumptione Panis ad unionem hypostaticam.*

I. Panis, & Vini substantiam facta consecratione non superesse in Eucharistia in cap. 1. libri de Corpore, & Sanguine Domini scripsit clarissime Paschasius Radbertus. *Nullus moveatur*, inquit, *de hoc Corpore Christi, & Sanguine, quod in Mysterio vera sit Caro, & verus Sanguis, dum sic ille voluit, qui creavit: omnia enim quæcumque voluit Deus, fecit in Cælo, & in Terra, & quia voluit, licet figura Panis, & Vini hic sit, omnino nihil aliud quam Caro Christi, & Sanguis post consecrationem credenda sunt*, Et in cap. 4. *Neminem qui verbis Divinis credit dubitare, quod in veritate Corpus & Sanguis fiat consecratione Mysterii. Unde veritas ait: Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus. Et ut Discipulis non recte intelligentibus claresceret, de qua dicebat Carne, vel de quo Sanguine, manifestans insinuat: Qui manducat meam Carnem, inquit, & bibit meum Sanguinem in me manet, & ego in illo: Ergo si vere est cibus, & vera Caro, & si vere est potus, utique et verus Sanguis. Alioqui quomodo verum erit quod dicit: Panis quem ego dabo Caro mea est pro Mundi vita, nisi vera sit Caro? Utique et Panis qui de Cælo descendit, verus Panis, sed quia Christum vorari dentibus fas non est, voluit in Mysterio hunc Panem, et Vinum vere Carnem suam, et Sanguinem consecratione Spiritus Sancti potentialiter creari, et rursus in* cap. 12. *sic utique*, inquit, *et in eo quod semel voluit, et deinceps Carnem, et Sanguinem in hac commemoratione jussit esse, fit quod jubetur: Quæ si quis non credit impio deterior est. Quia ille, quod non didicit, approbare non potest: iste quod in multis cognovit contra naturam fieri, etiam in carne Christi non credidit*. Quæ cum non semel, sed sæpe repetat, tum in Epistola ad Frudegardum, & in commentariis in caput 26. Matthæi profecto dicendum est religiosissimi auctoris sententiam Blondellum, aut tra-

traduxisse cum scripsit Paschasium Radbertum in laudato libro de Corpore, & Sanguine Domini impanationem, seu assumptionem Panis cum Verbo defendisse, aut ab alio jam traductam, sive huic operi insertam se legisse: Execrabile Hiobi Gasti facinus, qui ut se, suosque Lutheranos fratres a Paschasii Radberti doctrina, auctoritateque oppressos expediret; Paschasii librum de Corpore, & Sanguine Domini vulgavit A. 1528. integris capitibus expunctis, aliisque subinde verbis, ac sententiis subornatis, ac intrusis, ut Paschasium errori suo patrocinari persuaderet.

II. Si Paschasii doctrina de Transubstantiatione non fuisset Ecclesiæ doctrina, utique decertassent Ecclesiastici illi viri Rabanus Maurus, Amalarius Ratramnus, Raterius Veronensis Episcopus, & Herigerus Abbas Laubiensis, quos Sacramentarii Paschasio adversarios opponunt, licet in hoc a veritate plurimum absint. Quilibet enim illorum se posse reprehendere putat Paschasii doctrinam, sed non in ea parte, qua Panem, & Vinum transubstantialiter mutari in Christi Corpus docet, sed tantummodo quemdam in Paschasio loquendi modum, qui illis novus visus est, cum dixit; *Eucharistiam esse Carnem Christi datam pro mundi vita, non aliam plane, quam quæ nata est de Maria, & passa in Cruce, & resurrexit de Sepulchro*. Credebant enim Paschasium tueri Corpus Christi, quod de Virgine natum est in Eucharistia immediate percipi, & manducari absque velo accidentium sensibilium, quia non animadverterant illum asseruisse cum auctoritate D. Augustini Eucharistiam veritatem simul esse, & figuram, quemadmodum scribit in citata Epistola ad Frudegardum: *Sacramentum quod vitam tribuit in se habet, quod tribuit digne accipientibus se, & vita in eo est Caro vere viventis, & Sanguis, in quo vere vita æterna est. Quod dicis te sic antea credidisse, & in libello meo, quem de Sacramento edidi ita legisse: Sed profiteris postea te in libro 3. de Doctrina Christiana B. Augustini legisse, quod tropica locutio sit, ut Corpus, & Sanguis Christi esse dicatur. Quod si figurata locutio est, & schema potius quam veritas nescio, inquis qualiter illud sumere debeam? Deinde addis. Et si credam ipsum esse quod assumpsit ex Virgine Maria Genitrice sua, e contrario etiam ipse egregius Doctor hoc magnum facinus esse proclamat. Quod sane dictum, horrorem percipientibus nimium videtur incutere, si non credant illud esse in Sacramento, quod veritas esse testatur in aperto. Et si crediderint hoc ita esse, ut quidam credunt, nihilominus illud incurrunt facinus, eo quod falso credunt, quia sic dictum est, ut fas sit cum dentibus vorari. Unde facinus esse si credat quis sicut illi tunc crediderunt, quibus dicebat: Nisi manducaveritis Carnem filii hominis, et non potuerunt ferre, quia male sapuerunt. Et ideo si quis dicit hanc Carnem, et hunc Sanguinem sic ipsa esse absque Mysterio, et Sacramento, nec in figura ex parte sumendum, ut illi tunc carnales carnaliter sapientes senserunt, totum dissipat*. Ex quibus verbis patet Paschasium rectam fidem expressisse, nihilque aliud voluisse asserere præter id, quod tum laudati auctores asseruerunt, cum negantes Christi Corpus in Eucharistia esse idem, ut inquiunt *specialiter*, hoc est secundum speciem, formamque externam cum illo, quod ex Maria natum est, docuerunt idem esse *naturaliter*, idest realiter, & secundum substantiam; tum id quod postea scripsit Rupertus Tui-

Tuitiensis Abbas in libro 2. de Divinis Officiis cap. 2. *Unum Corpus est quod de Maria genitum in cruce pependit, et in Sancto Altari oblatum quotidie nobis ipsam innovat Passionem Domini*; & tamen hæresis Assertum hoc nullus veterum ad posteriora usque tempora in Ruperto notavit, quamvis plurimi illi Aemuli non defuerunt, quibus inter ultimos Bellarminus accenseri potest, qui in cap. 11. libri 3. de Eucharistia illum docuisse asserit Panem Eucharistiæ hypostatice assumi a Verbo eo prorsus modo, quo natura humana ab eodem Verbo assumpta est.

III. Dissimulari certe non potest variis in locis Rupertum huic Bellarmini opinioni occasionem præbuisse, præsertim vero cum scripsit in libro 2. de Divinis Officiis cap. 2. *Similiter unum verbum, et olim Carnem de Maria Virgine sumpsit, et nunc de Altari salutarem Hostiam accipit*, & cum in cap. 9. ejusdem libri ait: *In illum, in quo fides non est, præter visibiles species Panis, et Vini nihil de Sacrificio pervenit*, & dum libro 6. in Joannem docuit: *Panem assumi in unitatem personæ*, & demum ut cetera omittam, cum libro 2. in Exodum cap. 10. illa verba exponens: *Comedetis tantum assum igni*, ita inquit, *idest, totum attribuetis operationi Spiritus Sancti, cujus effectus non est corrumpere, vel destruere substantiam quamcumque suos in usus assumit, sed substantiæ bono permanenti, quod erat invisibiliter, adjicere quod non erat. Sicut naturam humanam non destruxit, cum illam operatione sua ex utero Virginis Deus Verbo in unitatem personæ conjunxit. Sic substantiam Panis, et Vini secundum exteriorem speciem quinque sensibus sub actam non mutat, aut destruit, cum eidem Verbo in unitatem Corporis ejusdem, quod in Cruce pependit, et Sanguinis ejusdem, quem de latere suo fudit, ista conjungit. Item quomodo Verbum a summo demissum Caro factum est non mutatum in Carnem, sed assumendo Carnem, sic et Panis, et Vinum utrumque ab imo sublevatum, fit Corpus Christi, et Sanguis, non mutatum in Carnis saporem, sive in Sanguinis horrorem, sed assumendo invisibiliter utriusque Divinæ scilicet, et humanæ, quæ in Christo est immortalis substantiæ veritatem. Proinde sicuti hominem, qui de Virgine sumptus in Cruce pependit, recte, et catholice Deum confitemur, sic veraciter hoc quod sumimus de Sancto Altari Christum dicimus, Agnum Dei prædicamus*. Verum si hæc dicta diligentius expenderimus constabit nunquam Rupertum favisse errori unionis hypostaticæ Panis, & Vini Eucharistici cum Verbo Dei.

IV. Antequam vero obscuriora hæc loca exponamus expedit clariora transcribere, ut innotescat quæ fuerit Ruperti fides de modo, quo Christus existit in Eucharistia. In Epistola nuncupatoria præmissa Commentariis in Joannem primo asserit, *continere Eucharistiam Corpus Christi, quod pro nobis traditum est, et Sanguinem, qui pro nobis effusus est*. Quæ hic relatio cum Corpore Panaceo, quod certe non traditum, nec crucifixum est? Secundo ait: *Credamus fideli Salvatori Deo in eo quod non videmus, scilicet Panem, et Vinum in veram Corporis, et Sanguinis Domini transiisse substantiam*, nihil clarius addere poterat Rupertus ad Transubstantiationis, quam profitebatur, fidem adstruendam. Sed audiamus quid asserat in libro 2. de Divin. Offic. c. 2. *Panis, et Vinum in verum Corpus, et Sanguinem Domini transferuntur, multi fideles oculos fidei non habentes in Sancto Sacrificio præter Panem, et Vinum nihil amplius intuentes*

tes cum diceretur eis Corpus, et Sanguis Domini est murmuraverunt dicentes quomodo est . . . Verum Dei Verbum, verum Dei filium Sancta Ecclesia Catholica offert Creatori suo, credens corde, et ore confitens, pariterque manibus Panem, et Vinum, sicut sibi tradidit ipse Salvator, offerens: nam pro quota parte suorum beneficiorum gratias ageret Ecclesia Creatori, Salvatori, et Illuminatori suo, si nihil aliud ei, quam Panem, et Vinum offerret? Non ergo solum Panem, et Vinum, quæ corporaliter videntur, sed et quod nonnisi fidei oculis aspicitur Verbum Dei, et filium Dei offert Sancta Ecclesia novum, et verum immolans Sacrificium.... Si hujus verbi flumen super Panem, et Vinum effuderis, et ordine qui ab ipso statutus est veritatem hujus verbi protuleris, statim de Sancto Altari Panem ipsum, et Vinum in Corpus et Sanguinem suum transferendo suscipis eadem virtute, eadem potentia, et gratia, quæ nostram de Maria Virgine Carnem suscipere potuit, quando voluit. Hic præcipui tolluntur Sacramentariorum errores contra modum existentiæ Corporis Christi in Eucharistia: Negat Rupertus Christum existere in Eucharistia secundum figuram: negat impanationem, de qua infra agemus: negat assumptionem Panis, & Vini a Verbo, videmus itaque quam contumeliose Wiclephus illi affinxerit XIV. Sæculo sensum metaphoricum, & incaute excidisse Baronio de Ruperto scribenti ad annum 1111. *in errorem illum impegit incaute, quo asseruit in sacratissimo Eucharistiæ Sacramento ita inesse vere ipsum integrum Corpus, et Sanguinem Christi, ut tamen substantia ipsa Panis, et Vini etiam integra remaneret*, qui error damnatus est in Concilio Lateranensi sub Innocentio Papa III. Quemadmodum etiam ex his intelligimus in hoc peccare superius indicata loca, quod obscura sint, de cetero nihil in illis affirmari, quod Doctrinæ Catholicæ adversetur. Hac obscuritate laborant hi dicendi modi: *Panem assumi in unitatem Personæ Verbum esse in Pane: Panis, et Vini substantiam a Spiritu S. non mutari: Substantiam post Consecrationem remanere: Panem non mutari in Carnem: in impio præter visibiles species nihil de Sacrificio venire*; sed nihil facilius est quam illos explicare.

V. Primus itaque loquendi modus pertinet ad illam assumptionem mediatam, quæ præsupponit Panis & Vini mutationem in Christi Corpus, & Sanguinem, quæ hoc ipso quod facta sit dicitur assumptio in unitatem Personæ, quia mutata substantia Panis, & Vini in Carnem Christi Verbo hypostatice unitam convertitur. Inter assumptionem tamen Carnis a Verbo, & assumptionem Panis & Vini ab eodem Verbo maximum intercedit discrimen: Comparatio instituta a Ruperto id solum vult ostendere, quod sicut Caro assumpta, ita fit Caro Verbi, ut Verbum vere, & realiter in Carne passum credatur; sic Panis, & Vinum fiunt Corpus & Sanguis ejus, ut post hanc mutationem Verbum esse in Pane dicatur, quatenus est sub externis ejusdem speciebus. Caro in substantia sua manens hypostatice unitur Verbo, Panis autem & Vinum non in substantia sua permanet, sed transmutantur in Carnem, & Sanguinem Christi, & Verbo uniuntur. Hæc docuit Rupertus in libro 6. in Joannem cum ait: *Verbum, quod est Panis Angelorum Caro factum est non mutatum in Carnem, sed assumendo Carnem; sic idipsum Verbum jamdudum Caro factum, Panis visibilis fit, non mutatum in Panem, sed assu-*

men-

mando, et in unitatem personæ suæ transferendo Panem. Proinde sicut de carne nostra, quam Virgo Maria peperit vere fatemur propter unitatem personæ, quia Deus est; sic nihilominus de Pane illo visibili, quem ejusdem Verbi invisibilis Divinitas assumens in Carnem suam transfert, vere, et catholice confitemur, quia Corpus Christi est. In his verbis unionem hypostaticam Panis, & Vini cum Verbo certe non agnoscit, sed penitus evertit, quare in eodem libro scripsit: *Crede et hoc, quia Panis iste visibilis, et Vinum, quamvis nihil de exteriori specie mutatum sit, in alium transierint cibum, qui Angelorum victus est Panis cœlestis, ipse qui dicit; Ego sum Panis, qui de Cælo descendit, Verbum scilicet Patris Panem terrenum nobis dat, quem in Carnem suam transmutat, et sic Verbum, quod est Panis Angelorum jamdudum Caro factum est, Panis visibilis fit, et nihil ominus de Pane isto visibili vere et catholice confitemur quod Corpus Christi est*. Ubi ergo Rupertus scripsit unum Verbum olim Carnem de Maria Virgine sumpsisse, & nunc de Altari salutarem Hostiam accipere, id scripsit, ut doceret solum unum esse Christi Corpus, quod singuli Sacerdotes sive eedem, sive diverso tempore conficiunt, & unam esse Christi Carnem, quæ in Altari offertur, & quæ Cruci appenditur, ideoque unam esse, quia unum Verbum est, hæc docuit in laudato capite 2. libri 2. de Divinis Officiis: *Nec duo corpora dicuntur, aut sunt hoc, quod de Altari, et illud quod acceptum est de utero Virginis, quia videlicet unum, idemque Verbum, unus idemque Deus sursum est in Carne, hic in Pane [scilicet sub speciebus Panis]. Alioquin et ille Panis, quem hodie, vel cras sacrificabimus plura sunt Corpora, nec recte dicimus offerri ab Ecclesia Corpus Christi, meliusque diceremus Corpora, quia quotidie pene tot offeruntur Panes, quot habentur in Ecclesia Sacerdotes, sed hoc prohibet Caussa, convincit ratio, Religio respuit, Unitas enim Verbi unitatem efficit Sacrificii. Similiter enim unum Verbum, et olim Carnem de Maria Virgine sumpsit, et nunc de Altari salutarem Hostiam accipit*.

VI. In aliis citatis locutionibus quid Rupertus senserit ex suis iisdem verbis fit clarum, illum scilicet in loco petito ex Commentariis in Exodum, negare mutationem, quæ in totali rei, quæ mutatur destructione consistat, & hoc certum est juxta saniorem Philosophorum sententiam: docere non internam substantiam post consecrationem remanere, sed externam tantum in eodem sensu, quo Capite primo exposuimus Theodoreti, & Gelasii verba a Sacramentariis traducta, & ut se Rupertus explicans inquit *secundum exteriorem speciem quinque sensibus subactam*: illum asserere Panem non mutari in accidentibus Carnis, ut illius verba innuunt in Carnis saporem, sive in Sanguinis horrorem: demum illum velle accedentes indigne ad Eucharistiam non recipere fructum Corporis Christi, sic enim seipsum explicat in eodem citato libro in Joannem: *Panis semel consecratus nunquam postea virtutem sanctificationis ammittit, aut Christi caro esse desinit, sed non prodest quidquam indigno, cujus fides sine operibus mortua est*.

VII. Falso quoque Berengarium criminantur, quasi dixisset Christum latere sub Pane. Adelmannus olim sub S. Fulberto Condiscipulus Berengarii, postmodum Episcopus Brixiensis, hujus erroris non meminit in Epistola ad eumdem, ut eum ab Hæresi revocaret, neque meminit Hugo Lingoniensis Episcopus in Tractatu, quem scribit contra Berengarium de Corpore, & Sangui-

guine Christi, nihil scribit de hoc errore Durandus Troarnensis Abbas, & Lanfrancus Cantuariensis Episcopus, qui respondet contumelioso Berengarii libro adversus Synodum Romanam A. 1059. & contra Humbertum Cardinalem delineat Berengarii hæresim in suo libro de Corpore, & Sanguine Domini, & omnino silet ipsum sensisse in Eucharistia, simul cum substantia Panis, & Vini esse substantiam Corporis, & Sanguinis Christi: *Tu credis* inquit, *Panem, Vinumque Dominicæ Mensæ inter consecrandum, quantum ad substantiam immobilia permanere. Hoc est, Panem, & Vinum extitisse ante consecrationem, & Panem Vinumque existere post consecrationem. Christi Carnem, ac Sanguinem propterea vocari, quod in memoriam Crucifixæ Carnis, & de latere effusi Sanguinis in Ecclesia celebrentur, ut Dominicam Passionem per hoc admoniti semper recolamus &c.* Affingitur itaque hic error Berengario, quem nunquam præteriissent coævi Auctores, qui lato calamo in illum scripserunt: quare ex hoc licet inferre cum Guitmundo in libro de Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia veritate, non Berengarium id docuisse, sed alios ratiocinando credidisse hanc ipsius Berengarii subtiliorem fuisse sententiam; & certe Algerus in suis libris, quos scripsit de Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini, *non Berengarius*, inquit, *alii dicunt Panem non solum Sacramentum, sed in Pane Christum quasi impanatum, sicut Deum in Carne personaliter Incarnatum*. Non erravit profecto Algerus, ut viri docti arbitrantur cum ipse dixit non Berengarii, sed aliorum hunc errorem fuisse, quod luculenter patet ex Conciliorum Decretis, quæ Berengarii sententiam condemnarunt.

VIII. Primæ condemnationis Historiam sub S. Pontifice Leone IX. ita describit præter laudatum Lanfrancum, Auctor Anonymus Chiffletianus in opusculo de Berengarii damnatione multiplici: *Berengarius Andegavensis Hæresim sui nominis condidit, & veritatem Dominici Corporis, & Sanguinis contra Evangelicam veritatem abnegare præsumpsit. Videlicet asserens Panem, & Vinum in Sacrificio Domini non vere, nec essentialiter, sed figurate tantum converti in Corpus, & Sanguinem Dominicum, quod Catholicæ fidei, & Evangelicæ veritati apertissime adversatur, uti Sancti Patres docuerunt*. Quapropter S. Leo Papa IX. eamdem Hæresim suo tempore ad Apostolicam Sedem per literas ejusdem Berengarii delatam generali Synodi judicio diligentius ventilavit, & ventilatam Synodali judicio damnavit. Ipsum quoque Berengarium Communione Ecclesiæ privavit, quam ipse Dominici Corporis, & Sanguinis Communione suis assertionibus voluit privare. Patet ex Anonymo Status Controversiæ, & potissima propositio a Concilio Anathemate perculsa: patet secundo nihil innovasse Sanctum Leonem, sed Catholicæ Ecclesiæ, & SS. Patrum sententiam tradidisse. Ab hac sententia, ut scribit Lanfrancus l. c. cap. 4. nunquam discessit S. Leo in omnibus Conciliis suis, seu quibus ipse suam præsentiam exhibuit, seu quæ per Legatos suos in diversis Provinciis congregari constituit; & revera ab hac non discessit in Concilio Verulensi, in quo secundo damnatus est Berengarius, damnatus liber Joannis Scoti Erigenæ, ut suo loco diximus, & fides Sanctæ Ecclesiæ, *quam ego teneo*, inquit Lanfrancus, *& tenendam adstruo audita, & concordi omnium sensu confirmata est*. Ex quo etiam eruitur ab his Conciliis non prodiisse Doctrinam impanationis, quæ neque prodiit a Parisiensi Concilio, in quo lecta tantummodo, & condemnata est Berengarii Doctrina, quam ipse complexus fuerat in Epistola ad Paulum Metensem Primicerium familiarem suum,

refertam erroribus Joannis Scoti, cujus propterea quoque Codex damnatus est, ut describit Durandus loco supra cit. parte 9.

IX. *Leonis IX. sententia*, ut scribit Lanfrancus l. c. cap. 4. *non effugit successorem quoque suum Papam Victorem, sed quidquid de hac re, seu ceteris ipse statuit, statuisse præcepit, hoc etiam iste sua, atque omnium Conciliorum suorum auctoritate firmavit, Florentini scilicet, & Turonensis;* quare verendum non est hæc Concilia impanationem docuisse, scribit enim citatus Anonymus Chifiletianus in Concilio Turonensi *Berengarius accepta optione defendendi se, cum se penitus defendere non posset, sub jure jurando propriam Hæresin anathematizavit, & communem Sanctæ Ecclesiæ fidem de veritate Corporis, & Sanguinis Domini se deinceps servaturum sub eodem juramento promisit, licet postea ad eamdem Hæresim redierit:* hinc convictus iterum in Synodo Romana sub Nicolao II. errorem rursus ejuravit, librum Joan. Scoti suis ipse manibus in ignem conjecit, & fidei formulam a Summo Pontifice postulavit, cui se subscriberet. Hæc itaque fuit illa fidei formula, sub qua Catholicam Eucharistiæ veritatem in Synodo Romana Berengarius professus est, quam referunt Lanfrancus l. c. cap. 2. Algerus libri primi cap. 19. Ivo Carnotensis in Decreto, & Gratianus in Canone *ego Berengarius* de Consecr. distinct. 2. *Ego Berengarius indignus Diaconus Ecclesiæ S. Mauritii Andegavensis cognoscens veram Catholicam, & Apostolicam fidem anathematizo omnem Hæresim, præcipue eam, de qua hactenus infamatus sum, quæ astruere conatur Panem, & Vinum, quæ in Altari ponuntur post consecrationem solummodo Sacramentum, & non verum Corpus, & Sanguinem Domini N. J. C. esse, nec posse sensualiter in solo Sacramento manibus Sacerdotum tractari, vel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Consentio autem Sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Sedi, & ore, & corde profiteor de Sacramentis Dominicæ Mensæ eam fidem tenere, quam Dominus, & Venerabilis Papa Nicolaus, & hæc Sancta Synodus Auctoritate Evangelica, & Apostolica tenendam tradidit, mihique firmavit: scilicet Panem, & Vinum, quæ in Altari ponuntur post consecrationem non solum Sacramentum, sed etiam verum Corpus, & Sanguinem Domini N. J. C. esse, & sensualiter, non solum Sacramento, sed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri &c.*

X. Hanc fidei formulam, quam Humbertus Cardinalis ediderat jussu Summi Pontificis, Sacramentarii lacerant, & primus omnium ipse Berengarius, qui liber a Concilio dimissus, & ad ingenium reversus eamdem impugnavit, quasi impanationem astrueret. Verba, ex quibus contenditur hunc errorem posse demonstrari sunt: *Panem, & Vinum post consecrationem non esse solummodo Sacramentum: Panem, & Vinum post consecrationem Corpus, & Sanguinem Domini nostri J. C. esse: Corpus Christi in solo Sacramento posse manibus Sacerdotum tractari, vel frangi, vel fidelium dentibus atteri.* Verum si propius inspiciantur, non errorem impanationis excitant verba hæc, sed Berengarii puram, & totam Hæresim confodiunt; nam dum in illis exprimitur: *Panem, & Vinum post Consecrationem non esse solummodo Sacramentum*, negatur id, quod Berengarius ajebat esse figuram quamdam, & similitudinem, & statuitur etiam esse verum Corpus, & Sanguinem Domini. Quod Panis, & Vinum vocetur post Consecrationem *Corpus, & Sanguis consueto Sacrorum Codicum more id fit*, inquit, Lanfrancus, *qui res quaslibet sæpe vocant nominibus illarum rerum, ex quibus fiunt, seu quæ esse putantur*

& non

& non sunt, sive quibus aliquo modo similes existunt. Demum, quod dicatur, *Corpus Christi non posse sensualiter, nisi manibus Sacerdotum tractari, dividi, & frangi, absit id dictum esse, ut natura panacea Corporis Christi concedatur, sed ut exprimantur actiones illæ, quæ fiunt in Corpus Christi, cum Sacerdotes in suis manibus illud tenent, & dum Communicantium ore substantialiter sumitur. Qualibet alia actio explicat id, quod in signo, seu speciebus Sacramentalibus dumtaxat exercetur.* Sequitur itaque Lanfrancus: *Absit enim, ut sic intelligamus manducari Christum, quemadmodum intellexerunt illi, qui cum audirent dicentem Dominum: nisi manducaveritis &c. continuo responderunt: Durus est hic sermo: Putaverunt nempe, quod in terris degentem Dominum in frusta essent conscissuri... Sic in terris immolatum Christum manducamus, & bibimus, ut in Cælestibus ad dexteram Patris integer semper existat, & vivus.*

XI. Præter hactenus laudata Concilia Berengarium ipsum damnarunt Rotomagense A. 1063. Pictaviense A. 1075. & duo Romana A. 1078. 1079. sub Gregorio VII. his postremis Berengarius præsens semel, & iterum suam Hæresim ejuravit duplici professione fidei edita, in quarum postrema sic ait: *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor Panem, & Vinum, quæ ponuntur in Altari per Mysterium Sacræ Orationis, & verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram, & propriam, ac vivificatricem Carnem, & Sanguinem Domini nostri J. C. & post Consecrationem esse verum Christi Corpus, quod natum est de Virgine, & quod pro salute Mundi oblatum in Cruce pependit, & quod sedet ad dexteram Patris: Et verum Sanguinem Christi, qui de latere ejus effusus est, & virtutem Sacramenti, sed in proprietate naturæ, & veritate substantiæ, sicut in hoc brevi continetur &c.* Æquivocationibus omnibus aditus quilibet his verbis est interclusus, Catholica, quam semper tenuit Ecclesia, sententia propugnata est, unde patet Blondellum Calumniam impegisse PP. & Synodis, quæ XI. Sæculo coactæ sunt contra Berengarium, dum asseruit ab illis derivatum fuisse errorem impanationis acceptæ pro assumptione Panis ad unionem hypostaticam.

XII. Creditur natus hic error a quibusdam Berengarii discipulis, quos suppressis nominibus citant Guitmundus Episcopus Aversanus, & Algerus XII. Sæculi Auctor, quare opinando potius id ab illis Auctoribus dictum putarem, quam veram Historiam narrando, idque ipsis persuasum fuisse ex eo, quod aliqui ex discipulis Berengarii convicti de veritate præsentiæ Realis Corporis Christi in Eucharistia, ne id, quod usque adeo tanta constantia defenderant, inopinato viderentur respuere, impanatum in Eucharistia Christi Corpus latere asseruerunt. Et ne gratis a nobis id dictum quis arbitretur, audiatur Guitmundus: ita scribens in libro 1. sui Operis: *Non omnes qui de istis Sacramentis errant una incedunt via erroris, nam Berengariani, omnes quidem in hoc conveniunt, quia Panis, & Vinum essentialiter non mutantur, sed ut extorquere a quibusdam potui, multum in hoc differunt, quod alii nihil omnino de Corpore, & Sanguine Domini Sacramentis istis inesse, sed tantummodo umbras hæc, & figuras esse dicunt. Alii vero rectis Ecclesiæ rationibus cedentes, nec tamen a stultitia recedentes, ut quasi aliquo modo nobiscum esse videantur, dicunt ibi Corpus, & Sanguinem Domini revera, sed latenter contineri, & ut sumi possint, quodammodo (ut ita dixerim) impanari.* Algeri verba leguntur in prologo librorum de Sacramento Corporis, & Sanguinis Christi

& hæc jam supra retulimus. His itaque conjecturis neglectis ad ea quæ certa sunt properamus.

§. II. *Id quod a Luthero, & suis Sectatoribus traditum est, ut modus explicetur, quo Christus in Eucharistia existat, omni Theologicæ rationi adversatur.*

XIII. Lutherus in sua Epistola, quam ad Argentoratenses scripsit asseruit se multum propendisse in eam sententiam, quæ in Eucharistia nihil præter Panem agnoscit, & se conatum totis viribus hoc asserere, sed non potuisse Scripturis satisfacere, quæ contra objiciebantur. In libro de captiv. Babyl. capite de Eucharistia negat esse Articulum fidei Panem non remanere, & utrumque posse defendi sine Hæresis nota: sibi probabilius videri Panem remanere: Addit ulterius hanc propositionem *Panis est Corpus Christi* esse veram propositionem propter unionem Panis cum Corpore; quam veritatem comparat veritati alterius propositionis *Christus Homo est Deus:* Tandem modum unionis Panis cum Corpore Domini explicat variis in locis, præsertim vero in libro, cui titulus Confessio Martini Lutheri de Cœna Domini, & asserit hanc unionem Corpus Christi esse assecutum per unionem ad Verbum, ut reperiatur ubicunque reperitur Verbum. Hæc ex Luthero, & ita sentiunt Lutherani communiter.

XIV. Tria e contra stant pro Catholica opinione. Primum est Christi Corpus, quo ad illius substantiam esse in Eucharistia. Hoc definiverunt Patres in Concilio Romano sub Nicolao II. alterum Panem, & Vinum converti in Corpus Christi, & in ejus Sanguinem, sic definitum est in Romana Synodo secunda contra Berengarium sub Gregorio VII. Tertium est totum Panem, & totum Vinum converti in Corpus, & Sanguinem Christi manentibus dumtaxat speciebus Panis, & Vini, ut definiverunt Tridentini Patres in Canone 2. Sess. xui. Quomodo hæc conciliari possunt cum opinione Lutheranorum? Necesse igitur est affirmare Catholico dogmati adversari omne id, quod a Luthero, & illius Sectatoribus pronunciatur circa modum, quo Christus Dominus in Eucharistia existit.

XV. Si nulla fiat mutatio Panis per verba Consecrationis, Christus Dominus non suum Corpus, sed purum Panem dedisset Apostolis, & propterea Christi verba: *Hoc est Corpus meum* æquipollerent huic propositioni hic Panis est Corpus meum, quod tum naturæ rei, de qua agebatur repugnat, tum naturæ Propositionis. Quomodo enim una res debet esse alia, & non mutari? Esse unum, & non esse illud unum? Similiter, quomodo haberi potest veritas Propositionis affirmativæ, si subjectum, & prædicatum non accipiantur in eadem suppositione? Hoc certe negant Dialectici. Pronomen *hoc*, quod in data Propositione est loco subjecti supponeret pro Pane, Corpus Christi, quod stat loco prædicati supponeret pro Corpore Christi: ergo jam non una, sed duplex esset suppositio; Imò cum verbum *est* accipi non possit pro *significat*, ne Lutherus incidat in Zuinglii errorem, neque accipi possit tamquam, quid exponens virtutem Corporis Christi, ne affirmetur error Calvini, necessario debet usurpari ad exprimendam rem substantialem. Quomodo id continget si Christi Corpus non prædicetur de Pane secundum substantiam, vel si Panis secundum substantiam remaneat? Nec nos movere debet veritas ista-

istarum propositionum: *hic homo est Deus, hic Deus est homo*, in quibus Propositionibus putant Lutherani idem subjectum, & prædicatum affirmari de diversis, id enim omnino falsum est, cum propter Hypostaticam unionem uterque terminorum Propositionis pro una, eademque Divina Persona affirmetur; nisi fortasse Lutherani velint in Christo cognoscere duas naturas, ut videtur Kemnitius innuere ex hoc, quod dicat laudatas Propositiones: *hic homo est Deus: hic Deus est homo* tantum significare unionem, & præsentiam unius rei cum altera. Verum in casu hujus explicationis non solum negabimus identitatem istarum Propositionum propter rationem superius expositam, sed insuper in Kemnitio agnoscemus Patronum opinionis Nestorianæ, in qua ponebatur inter Hominem, & Deum in Christo esse tantum quamdam mutuam unionem, & præsentiam.

XVI. Ex superiori ratiocinio putat Lutherus inferri posse, quod non solum in Sacramento Altaris admitti debeat Transubstantiatio Panis, & Vini, sed ulterius etiam transaccidentatio, ut ipse ait, seu mutatio accidentium, & propterea optime dici posse: *hoc album, hoc rotundum est Corpus Christi*; sed illatio Lutherana falsissima est, nam quamquam maneant accidentia in Sacramento, pronomen *hoc* non supponit pro ipsis, sed pro substantia, & cum ante Consecrationem accidentia affirmarentur de Pane, post Consecrationem, non amplius de Pane affirmantur, qui amplius non est, neque affirmantur de Corpore Christi, quia Corpus Christi non est proprium eorumdem subjectum, sed affirmantur de quantitate remanente, cui subjiciuntur, & per quam existunt.

XVII. Infertur etiam Dogmata de præsentia Reali Corporis Christi in Eucharistia, & de Transubstantiatione Panis, & Vini in Corpus, & Sanguinem Domini esse cohærentia, nec unum admitti posse, quin alterum propugnetur. Id agnovit Zuinglius in Tractatu de Cœna, & in Exegesibus contra Lutherum, Calvinus etiam in defensione secunda piæ, & Orthodoxæ fidei de Sacramentis, & Beza contra Westphalum.

XVIII. Decreta modo subjicimus Conciliorum, in quibus Transubstantiationis doctrina definita est, ut innutiles, & importunas ostendamus Lutheri, & Calvini querelas, qui per singula retro Sæcula fuisse inauditum Transubstantiationis dogma contendunt, & tunc primum cœpisse audiri sub Innocentio III. *Vetustatis patrocinio*, scribit Calvinus lib. 4. Instit. cap. 17. §. 14. *quod evidenti Dei verbo sæpe opponere audent, in confirmando isto dogmate destitui palam est, nec enim ita pridem excogitatum fuit, ignoratum quidem non melioribus illis Seculis modo, quibus purior adhuc vigebat Religionis doctrina, sed cum tam admodum inquinata esset illa puritas. Nemo est veterum, qui Sacra Cœne Symbola non fateatur disertis verbis Panem, & Vinum esse, etsi vanis epitetis illa interdum insigniunt ad commendandam Mysterii dignitatem*. Lutherus in lib. de Capt. Babyl. c. 1. *Transubstantiationem* affirmat *esse inventum S. Thomæ, & opinionem Thomistarum probatam postea a Papa in* c. Firmiter. *Tempore S. Bernardi nondum innotuisse Orbi Transubstantiationem*, addit Calvinus l. c. §. 15. *Tempore Petri Lombardi, nihil certi de hac re fuisse*, scribit Kemnitius in secunda Parte Examinis Concilii Trident. Sess. xiii. cap. 4.

XIX. AEgræ mentis insomnia hæc sunt, & delirantium nugæ. Concilium Lateranense, ad quod pertinet caput illud a Luthero citatum celebratum

fuit

fuit A. 1215. & S. Thomas natus est A. 1224. quomodo ergo Papa potuit probare doctrinam S. Thomæ? Nullum se invenire Calvinus ait in tota antiquitate testimonium in Ecclesiæ Patribus, ut ad suas partes illud trahat? Nihil verius; quod transitum substantiæ Panis, & Vini in Christi Corpus, & Sanguinem probet, quod sonat vox *Transubstantiatio*? Nihil absurdius, nihil contumeliosius poterat ab Homine Hæretico excogitari. Utinam legisset Ecclesiasticam Historiam, & Catholicos Auctores, qui de re Sacramentaria Scripserunt; tam turpiter non errasset, & tam impudentissime, plurima enim illi occurrissent testimonia PP. ex quibus agnovisset alios dixisse Panem consecratum, esse, & fieri Corpus Domini, quemadmodum hoc dixerunt Justinus in Apol. 2. prope finem, Irenæus lib. 4. c. 34. Tertull. lib. 4. contra Marcionem, Gaudentius Tractatu 2. de Exodo, Augustinus in Sermone, quem citat Beda in cap. 10. Prioris ad Corint. Alcuinus in lib. de Divinis Officiis cap. de Missa, Paschasius in lib. de Corpore, & Sanguine Domini cap. 1. & Adelmannus in Epistola ad Berengarium. Alios vero tradidisse Panem mutari, quo ad naturam, & hoc scripsit Cyprianus in Sermone de Cœna Domini, Ambrosius in libro de iis qui initiantur Mysteriis c. 9. & Gregorius Nyssenus in Oratione magna Catechetica cap. 37. Alios docuisse abesse Panis Substantiam, vel consumi ab adveniente Substantia Corporis Christi, & solum manere accidentia, & id scripserunt Cyril. Jerosol. Catech. 4. Mystag. Chrysostomus Homil. 83. Eusebius Emissenus in Sermone de Corpore Domini, Beda in lib. 19. de Myster. Missæ apud Thomam Waldensem Tom. 2. c. 82. Remigius Antisiodorensis in Psalmum 21. Algerus lib. 1. de Corpore Domini c. 8. & Petrus Lombardus lib. 4. Sententiarum Distinctione 11. & Alios tandem clarissime asseruisse comperisset, modo Transitum Translationem Panis, ut Remigius Rhemensis in cap. 10. Primæ ad Corinth. Anselmus Cantuariensis in lib. de Corpore Domini, & Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis parte 8. cap. 7. modo Conversionem Panis, ut S. Papa Magnus Gregorius teste Paulo Diacono in ejus vita, Strabus in Glossa capitis 11. Primæ ad Corint. Amalarius Treviren. lib. 3. de Ecclesiasticis Officiis c. 24. & Lanfrancus in lib. de Corpore, & Sanguine Domini: modo Transformationem Panis; ut Theofilactus in Caput 6. Joannis: & modò transmutationem Panis, ut Damascenus in 4. lib. de fide c. 14. Fulbertus Carnotensis in Epistola ad Adeodatum, Hugo Lingonensis in Epistola ad Berengarium; Petrus Cluniacensis in lib. de Sacrificio, & Transubstantiatione contra Henricum, & Petrum de Bruis, & Euthymius Zigabenus in caput 26. Matthæi. Laudati hi Auctores omnes floruerunt inter primum, & XIII. Sæculum, scilicet ante tempora Innocentii III. & si quinque ex triginta duobus recensitis exceperis, omnes reliqui ante tempora S. Bernardi, & P. Lombardi: itaque lis erit de solo nomine. Sed quis prohibet novis nominibus vetustissimas doctrinas exponere? Licuit Patribus Nicenis usurpare vocem ὁμοούσιος licuit PP. in Ephesino Concilio congregatis invenire nomen Θεοτόκος ergo, & licere debuit PP. Lateranensibus dicere Transubstantiationem, ut licuit Theophilacto in cap. 14. Matth. dicere Transelementationem. Sed jam Decreta ennumaramus Conciliorum, quibus Transubstantiationis doctrina definita est. Decretum sub Nicolao II. emanatum in Concilio Romano A. 1060. & aliud, quod prodiit sub Gregorio VII. in novo Concilio A. 1079. tum in superiori §. tum in præsenti indicavimus. Post hæc Concilia Innocentius III. in Generali Lateranensi Synodo A. 1215.

idem

idem Dogma sancivit sub nomine Transubstantiationis in citato cap. *firmiter* de summa Trinitate, & fide Catholica. *Una*, ibi, *est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, in qua idem ipse Sacerdos est Sacrificium Jesus C. cujus Corpus, & Sanguis in Sacramento Altaris sub speciebus Panis, & Vini veraciter continetur Transubstantiatis Pane in Corpus, & Vino in Sanguinem potestate Divina*. Postea A. 1413. iterum in Generali Concilio Romano damnatae fuerunt hae Wiclephi opiniones: *Substantia Panis materialis, & similiter substantia Vini materialis manet in Sacramento Altaris: Accidentia Panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento*. Anno 1414. celebratum fuit Concilium Constantiense, & Sessione VIII. confirmata sententia Concilii Romani, & iterum damnati sunt sub Anathemate Wiclephi errores. Prodiit etiam aliud decretum A. 1439. in Sessione ultima Concilii Florentini consentiente utraque Ecclesia Orientali, & Occidentali, dictumque fuit in instructione Armenis data: *Substantia Panis in Corpus Christi, & Vini in Sanguinem convertuntur*. Habemus ergo in his omnibus momentis, quomodo Lutheranis, & Calvinistis exprobremus illorum mendacia, & confirmemus Transubstantiationis Dogma semper in Ecclesia viguisse, licet ipsa vox *Transubstantiatio* non sit antiquior Stephano Æduensi Auctore XII. Saeculi, qui in suis Scriptis illam usurpavit in cap. 14. Tractatus de Sacramento Altaris haec scribens: *si Benedictione sua Christus Panem in Corpus suum convertit in verbis istis: Hoc est Corpus meum, non reliquit nobis virtutem Sacramenti, quia prius quam haec verba diceret benedixit, fregit ut daret Discipulis, predicta verba protulit dans eis virtutem Sacramenti, quasi diceret: Panem, quem accepi in Corpus meus Transubstantiavi, & illud do vobis*.

XX. Audacter Kemnitius objicit has Conciliorum definitiones, neque ad fidem pertinere, neque factas fuisse sub Anathematis comminatione, sed Kemnitii audaciam refellunt, tum Lutherus, qui loco supra cit. expresse docet in cap. *firmiter* Transubstantiationem definitam esse ut Articulum fidei, tum verba illa, quibus superiora Conciliorum Decreta errorem Berengarii confodiunt. Id expressius adhuc statuitur in Capite 3. ejusdem Concilii Lateranensis, ubi post praelabilita in antecedentibus varia fidei Dogmata, haec adduntur: *Excommunicamus, & Anathematizamus omnem Haeresim extollentem se adversus hanc Sanctam Orthodoxam Catholicam fidem, quam superius exposuimus*; quare dum eandem damnationem repetit Concilium Tridentinum in Canone 2. Sessionis XIII. non verum est quod novum aliquod Dogma proponit, ut mentitur Kemnitius, sed vetus confirmat, & propterea in Capite 4. ejusdem Sessionis Tridentini Patres decernant. *Quoniam Christus Redemptor noster Corpus suum id, quod sub specie Panis offerebat vere esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo Sancta haec Synodus declarat per consecrationem Panis, & Vini conversionem fieri totius Substantiae Panis &c. quae conversio convenienter, & proprie a Sancta Catholica Ecclesia Transubstantiatio est appellata*: & deinde in Capite 8. hunc Canonem extendunt: *Si quis dixerit in Sacrosancto Eucharistiae Sacramento remanere Substantiam Panis, & Vini una cum Corpore, & Sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam, & singularem conversionem totius Substantiae Panis in Corpus, & totius Substantiae Vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus Panis, & Vini. quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime Transubstantiationem appellat, Anathema sit*. Ejusdem Kemnitii audaciae attribuendum est asser-

assertum illud, quo statuitur Græcos Patres in Concilio Florentino huic Dogmati noluisse assentiri, & nihilominus cum Latinis fuisse reconciliatos. In nullo Canone Concilii Florentini de hac re disputatum est, sed tantummodo postulatum cur Græci post hæc Domini verba: *accipite, & manducate hoc est Corpus meum*, & infra: *bibite ex eo omnes: Hic est Calix Sanguinis mei*, quibus profecto verbis Sacramentum confici creditur, hac etiam Oratione utantur: *Et fac Panem quidem hunc honorabile Corpus Christi tui*, Marco Ephesio contendente aliis, quam Christi verbis hanc mutationem fieri? Agitata fuit, ut diximus in superiori Capite Controversia de hujus Sacramenti Materia, an Panis deberet esse Azimus secundum Latinorum, an Fermentatus secundum usum Græcorum, & præterea de hoc venerabili Sacramento nihil aliud est inquisitum. Et ut mendacii convincatur Kemnitius, satis est consulere Acta Concilii Florentini, & postremam ejusdem Concilii Sessionem; quemadmodum satis est contemporaneos Auctores evolvere, & inter ceteros illos, qui eidem Concilio interfuerunt, Bessarionem, Cabasilam, Marcum Ephesinum. Ceterum Græcos in Dogmate Transubstantiationis non dissensisse a Latinis, patet ex Decreto Eugenii IV. dato in publica Synodali Sessione, & lecto Sacro approbante Concilio, & consentientibus Armenorum Patriarchæ Legatis. *Beatissime Pater, & Sanctissima Synode. Totum hoc S. Decretum, quod nunc Latine coram vestra publice lectum est Præsentia fuit pridie nobis de verbo ad verbum in nostro Idiomate clare expositum, & interpretatum, quod quidem optime nobis placuit, & placet &c. Nos igitur Oratores Nomine nostro, nostrique Reverendi Patriarchæ, & omnium Armenorum hoc saluberrimum Synodale Decretum cum omnibus suis Capitulis &c.* (Desideratur in variis Tomis Conciliorum compendiaria quædam repetitio omnium quæ in hoc Decreto continentur per ipsos Armenos in Synodo facta, quæ repetitio est in Bulla Originaria in ipso Concilio confecta, quæ servatur in Bibliotheca Conventus F. M. Strictioris observantiæ Fesularum prope Florentiam) *cum omni devotione, & obedientia acceptamus, suscipimus, & amplectimur &c.* In hoc igitur Decreto sic legitur: *Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit Sacramentum; nam ipsorum verborum virtute Substantia Panis in Corpus Christi, & Substantia Vini in Sanguinem convertuntur.* Deficiunt ergo a semitis rectis, & ambulant per vias pravas Kemnitius, & qui illi Patrocinatur Petrus Martyr, cum Græcos abhorruisse a Transubstantiatione mentiuntur, & ut præteream innumera PP. Græcorum testimonia hoc Dogma profitentium, quæ in superioribus Controversiis excripsimus, Argumentum omni exceptione Majus repetam ex Censura Orientalium ad Confessionem Augustanam per Lutheranos transmissam ad Patriarcam CST. Reprehendit Patriarcha plures hujus Confessionis Articulos, & inter ceteros x. qui agit de Cœna D. super quo ita rescribit: *Multa in hac parte de vobis referuntur, quæ vobis nullo pacto probari possunt. Ecclesiæ igitur Sanctæ illud Judicium est: in Sacra Cœna post consecrationem, & benedictionem: Panem in illud ipsum Corpus Jesu Christi, Vinum autem in illum Sanguinem virtute Spiritus S. transire, ac immutari.* Quid ad hæc Kemnitius? quid Petrus Martyr? jam suo se gladio jugularunt, frustra Patrocinium suæ causæ petentes ab iis, qui licet a nobis in pluribus disentiant, tamen nobiscum in Dogmate Transubstantiationis conveniunt. *Statuit Ecclesia Catholica*, ita loquitur Patriarcha CST. in laudata Censura Confessionis Augustanæ,

ne, quod consecratione facta Panis mutatur in ipsum Corpus Christi, & Vinum in ipsum Sanguinem, Panis videlicet Fermentatus, non infermentatus; Dominus enim non dixit: Hoc est Azimum, aut typus Corporis, sed hoc est Corpus meum, & Sanguis meus. Nec equidem data est tunc caro Domini, quam gestabat ad edendum Discipulis, nec Sanguis bibendus, aut etiam nunc in Sacro hoc ritu descendit Dominicum Corpus e Cælo; blasphemum id esset, sed & tunc, & nunc invocatione, & gratia Omnipotentis, & mysteriorum operatoris Spiritus per Sacras Preces, & Orationes Pane in ipsum Domini Corpus, & Vino in ipsius Sanguinem converso, & mutato.

XXI. Ex dictis advertimus 1. Transubstantiationem non fieri per annihilationem Substantiæ Panis, ut imperite argumentatur Petrus Martyr in libro contra Stephanum Gardinerum in objectione 14. *Non potest Panis totaliter desinere esse quin annihiletur. At quod annihilatur non potest converti, vel transire in aliam Substantiam, & proinde nec Transubstantiari, nisi vocabulis abuti velimus, ergo est impossibilis Transubstantiatio qualis a Catholicis ponitur.* Ut aliqua Substantia in aliam convertatur plures conditiones requiruntur. Primo requiritur, ut vetus Substantia desinat esse. Defectu hujus conditionis Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 18. veluti nugaces deridet conversiones omnes, quas Ethnici jactitant. Secundo requiritur, ut nova Substantia statim succedat, quod nisi fiat, non conversio, sed vel corruptio, vel annihilatio appellabitur, ad hoc autem non semper requiritur quod id, in quod aliquid convertitur, & succedere debet tunc de novo producatur, potest enim, vel tunc produci, vel potest tunc adduci, vel potest etiam conservari; ex quibus variis modis oriuntur illæ conversiones, quæ fiunt cum aqua in Vinum convertitur, tunc enim Vinum producitur: Cum cibus convertitur in hominem per nutritionem, quod pertinet ad introductionem animæ, anima enim tunc non producitur, sed tantum per nutritionem fit ut incipiat esse in materia: & demum cum duo corpora æqualia se penetrant, & unum Divina virtute in aliud totaliter vertitur, in qua conversione neque subjectum producitur, neque adducitur, sed solum conservatur. Tertia conditio est quod res, quæ succedit, succedat in vi illius, ut ajunt, desitionis, ne multiplicentur actiones. Secundum hanc legem lignum in ignem convertitur, aqua in Vinum, vel aerem. Qarta conditio est ut utraque res, tum illa, quæ converti debet, tum illa, in quam fieri debet conversio, sit res positiva, & in hoc distinguitur perfecta conversio a creatione, ab annihilatione, & ab ipsis naturalibus conversionibus, in quibus licet uterque Terminus sit positivus, tamen inter ipsos intercedit privatio formæ; siquidem res, quæ convertitur debet privari forma, quam habet, & acquirere formam illius, in quam convertitur; unde aliqua dispositio necessaria est, cum nulla sit in conversionibus supernaturalibus, in quibus Deus non præparat materiam ad novam formam, sed in instanti efficit, ut una res desinat, dum alia succedit. His præmissis facile intelligitur cur Panis in Eucharistia non annihiletur, quamquam nihil de illo remaneat post Consecrationem, quia connexio est, & dependentia inter actum, quo Panis desinit esse Panis, & actum, quo succedit Corpus Christi, & primus actus non desinit in nihil, sed ad aliquid, videlicet ad Corpus Domini. In hoc vero nulla requiritur dispositio in Pane, ut novam formam acquirat, cum uterque terminus sit vere positivus; præexistit enim Corpus Domini ante conversionem, & conversio solum facit, ut simpliciter incipiat esse sub spe-

ſpeciebus Panis, quaſi illud adducendo, non quia per hanc adductionem Cœlum debeat deſerere, vel quia per motum localem huc de Cœlo adducatur, ſed ſolum, quia per eam fit, ut Corpus Chriſti, & ſit in Cœlo, & ſit ſub ſpeciebus Panis, & non ſolum per ſimplicem præſentiam, ſed etiam per unionem quamdam, qualis erat inter Subſtantiam Panis, & Accidentium.

XXII. Ut explicentur mutationes illæ quas poteſt recipere Panis Euchariſtiæ abſque eo quod requiratur Subſtantia Panis, quæ ſit illarum mutationum ſubjectum, ut prolixius argumentabatur loco citato Petrus Martyr Advertimus ii. Accidentia non indigere Subſtantia, ut varias ſubeant mutationes, cum Accidentia omnia, quæ in Sacramento ſuperſunt, pro ſubjecto quantitatem habeant. Sicuti ergo non repugnat manere veteres qualitates in quantitate a materia ſeparata; ſic etiam introduci poſſunt novæ aliæ in eandem quantitatem, quæ ſit ſeparata a materia, quod verum eſt quando mutationes in Pane Euchariſtico ſunt ſimplices alterationes. Sed quid dicendum, ſi ſpecies ita corrumpantur, ut ex eis aliquid generari poſſit? In varias abjece Sententias Theologi, quas refert, & improbat D. Thomas hic q. 77. a. 5. in c. Refellit ergo primo opinionem illorum, qui dixerunt, quod ea, quæ generantur non fiunt ex ſpeciebus Sacramentalibus, ſed ex aere circumſtante, eo quod hæc opinio contraria eſt ei, quod apparet, idque ab ipſo quatuor rationibus explicatur. Refellit ſecundo opinionem illorum, qui dixerunt quod redit Subſtantia Panis, & Vini in ipſa corruptione ſpecierum, & ſic ex ſubſtantia Panis, & Vini redeunte generantur cineres, aut vermes, aut aliquid hujuſmodi, & dicit, quod hæc poſitio videtur eſſe impoſſibilis. Primo quidem, quia ſi ſubſtantia Panis, & Vini converſa eſt in Corpus, & Sanguinem Chriſti, non poteſt ſubſtantia Panis, aut Vini redire, niſi Corpore, aut Sanguine Chriſti iterum converſo in ſubſtantiam Panis, vel Vini, quod eſt impoſſibile. Si vero ſubſtantia Panis, & Vini ſit annihilata, non poteſt iterum redire, quia quod in nihilum decidit, non redit idem numero, niſi forte dicatur redire prædicta ſubſtantia, quia Deus de novo creat aliam ſubſtantiam novam loco primæ.

XXIII. Hanc rationem valde difficilem vocat Suarez in ſuis Commentariis in hunc locum, imò eſſe plane falſam, quia inquit certum eſt poſſe Deum reproducere per creationem idem individuum, etiam ſi in nihilum redactum ſit, ut idem D. Thomas docet quodlibeto 4. articulo 5. Tum certum eſt quod quamvis lignum v. g. ſit converſum in ignem, poteſt Deus idem numero lignum producere, non per converſionem ignis in ipſum, ſed per creationem, quia nihil eſt quod limitet potentiam Dei ad unum agendi modum; & denum illi certum eſſe ait, non eſſe impoſſibile Deo convertere Corpus Chriſti in priorem ſubſtantiam Panis. Verum quamquam doctiſſimo Auctori tria hæc certa ſint, illi tamen non ita facile aſſentior propter identitatem in natura, quam non invenio inter Corpus Chriſti, & ſubſtantiam Panis, in quam converti debet, quam tamen video inter reliqua alia corpora annihilata quæ per actum creationis in ſuam iterum naturam reverti debent. In mutationibus ſubſtantialibus hoc neceſſario requiritur, quod res quæ ſubſtantialiter mutatur omninò deſinat eſſe; quare ſi id quod mutatur eſt aliquod compoſitum, debet ipſum compoſitum deſinere eſſe. Hinc Concilium Tridentinum docuit mutationem fieri totius ſubſtantiæ Panis, formæ ſcilicet, &

ma-

materiæ; & in Conversione uxoris Loth in statuam salis, quod in ipsa erat Corpus, ex Carne, & Animal rationale, vere desiit esse; & in aliis mutationibus substantialibus nihil rei mutatæ remanet, Ligni v.g. si Lignum sit mutatum in ignem, & Aquæ si sit mutata in Vinum. Si ergo Corpus Christi posset in Panem converti deberet desinere in illo omne id quod habet rationem Corporis, & quod est rationale, & quia per conversionem Panis in Corpus Christi, Panis propriam ammisit substantiam, oporteret, quod Verbum assumeret naturam Panis, quod quam sit absurdum dicere, patet ex absurdo quod inde sequeretur; in hac enim hypothesi vera esset hæc Propositio: hic Panis est Caro Christi. Sicut ergo non potest Deus Lignum conversum in ignem restituere in idem numero Lignum per conversionem ignis in ipsum ex testimonio Suarez; ita Panem in Corpus Christi conversum non poterit restituere in eandem substantiam Panis per conversionem Corporis Christi in Panem ipsum, consequenter prima ratio D. Thomæ optima est. Non secus ac optima, & efficax est altera ratio, quam in confirmationem suæ propositionis ita componit.

XXIV. Secundo videtur esse impossibile quod redeat substantia Panis, & Vini in corruptione specierum, quia non potest definiri, quando substantia Panis redeat. Manifestum est enim, quod manentibus speciebus Panis, & Vini manet Corpus, & Sanguis Christi, quæ sunt simul cum substantia Panis, & Vini in hoc Sacramento, unde substantia Panis, & Vini non potest redire speciebus Sacramentalibus manentibus. Similiter etiam reijcit D. Tomas opinionem, quæ asserit in instanti corruptionis, & generationis redire, seu creari materiam Panis, & Vini, ut ex illa fiat generatio, quia jam substantia Panis, & Vini esset sine propriis accidentibus quod est impossibile; nisi forte dicatur quod in ipso ultimo instanti corruptionis specierum redit non quidem substantia Panis, & Vini, quia illud idem instans est, in quo primo habent esse substantiæ generatæ ex speciebus, sed materia Panis, & Vini, quæ magis de novo creata diceretur quam rediens, proprie loquendo, & secundum hoc posset sustineri prædicta positio. Verum quia non rationabiliter videtur dici quod miraculose aliquid accidat in hoc Sacramento, nisi ex ipsa Consecratione, ex qua non est quod materia creetur, vel redeat, melius videtur dicendum quod in ipsa consecratione miraculose datur quantitati dimensivæ Panis, & Vini, quod sit primum subjectum subsequentium formarum. Hoc autem est proprium materiæ, & ideo ex consequenti datur prædictæ quantitati dimensivæ omne illud, quod ad materiam pertinet. Et ideo quidquid posset generari ex materia Panis, vel Vini, si adesset, totum potest generari ex prædicta quantitate dimensiva Panis, vel Vini, non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti.

XXV. Advertendum est 3. Hunc loquendi modum Corpus Christi fieri ex Pane non exprimere caussam materialem, ac si diceretur ex Ligno fit ignis, sed exponere terminum illum, a quo recedit substantia Panis, dum convertitur in Corpus Christi præexitens: hoc modo ex tenebris dicitur facta lux, & ex nihilo dicuntur facta Cœlum, & Terra; imò si usque modo Deus operaretur creando, & ex nihilo aliquem hominem vellet producere, hujus hominis natura specie non differret a natura aliorum hominum, qui non ex nihilo creantur, sed ex materia præexistente generantur: hic tamen homo creatus numero distingueretur ab aliis, quia esset aliud individuum propter ra-

rationem productionis, quia homo de novo creatus ante creationem non existebat; quia vero Corpus Christi ante conversionem Panis existit, ideo sequitur, quod dum per verba institutionis ex Pane fit Corpus Christi, non erunt duo corpora distincta, sed unum idemque, & ita unum idemque erit Corpus Christi factum ex Pane, & Corpus Christi factum ex Virgine hinc pessima est Petri Martyris argumentatio in loco supra cit. object. 116. *Corpus Christi, quod fuit in Cruce, & in utero Matris non fuit factum ex Pane, sed ex Carne Virginis. At quod est in Eucharistia fit ex Pane, ergo Corpus Domini, quod est in Eucharistia non est illud quod fuit in Cruce, & in utero Matris*; supponit enim Martyr *factum* idem esse ac *productum*, quod falsum est, siquidem in Eucharistia non producitur ex Pane Corpus Christi, sed Corpus Christi succedit Pani, sive in ipsum praeexistens Panis substantia commutatur. Neque sequitur ex hoc Transubstantiationem Panis esse novam generationem, quod voluisset Martyr ex hoc falso principio: mutatio ad Substantiam nulla est nisi generatio, ut apparet in omnibus supernaturalibus mutationibus, & in ipsa creatione rerum, quae actiones in novam substantiam desinunt, & tamen non sunt generationes; ita neque haec Transubstantiatio erit generatio, sed supernaturalis conversio, per quam Corpus Christi in Eucharistia succedit Panis substantiae, statim prolatis verbis Consecrationis, circa quod

XXVI. Advertendum est 4. Transubstatiationem non fieri successive, sed in instanti, ita ut tempus assignari non debeat inter transitum substantiae Panis in Corpus Christi, & actum ipsum, quo Panis factus est Corpus Christi. Instantanea est haec conversio, quia ut advertit D. Thomas hic articulo 7. q. 75. *Substantia Corporis Christi ad quam terminatur ista conversio non suscipit magis, & minus, ut illud suscipit illa forma, quae successive acquiritur subjecto, sicut sanitas. Secundo, quia in hac conversione non est aliquod subjectum, quod successive praeparetur; ita aqua successive calefit. Tertio quia agitur Dei virtute infinita, cujus est subito operari, qui statim materiam ad formam disponit. Hinc Joan. 11. cum Christus dixisset Laxare veni foras, statim prodiit, qui fuerat mortuus. Verum ex hoc non sequitur, quod in unico hoc instanti fit simul sub speciebus tum substantia Panis, tum Christi Corpus, nam instans illud assignari non potest, nisi ut ajunt negative, ita ut sit primum non esse Panis, & simul primum esse Corporis Domini sub illis speciebus, sive quod idem est, ultimum instans prolationis verborum est primum instans, in quo est in Sacramento Corpus Christi; & hoc clare patet etiam in mutationibus naturalibus, in quibus substantia quae corrumpitur in illo instanti desinit esse, in quo nova producitur, & in reliquis mutationibus instantaneis, in quibus fieri, & factum esse simul sunt, sicut simul est illuminari, & illuminatum esse.*

XXVII. Superest ut ultimi Lutheranorum effugii vanitatem ostendamus. Effugium hoc in sua Confessione Lutherus exhibuit, ubi explicans modum quo Corpus Domini cum Pane conjungitur, dixit id assequutum esse per unionem ad Verbum, ut sit ubicumque est Verbum, idest ubique, & consequenter etiam in Pane. Si haec tota esset ratio existentiae Corporis Christi in Eucharistia, hujus institutionis nulla fuisset necessitas, & nulla utilitas; non primum, quia jam ante hanc institutionem, vel antequam Christus proferret haec verba: *hoc est Corpus meum*, Christus adesset in Pane: Non secundum, quia ore Corporali Christus manducari

non

non posset, aut saltem sine ullo fructo manducaretur; ideoque oporteret asserere Eucharistiam Christi Sacramentum non esse. Lutherus in libro *quod verba Domini, hoc est Corpus meum adhuc firmiter sunt*, affirmat ex eo quod Christus sedet ad dexteram Dei, evidenter sequi, ut ejus Corpus sit in Pane, etiam si illa verba, *hoc est Corpus meum*, neque a Christo dicta fuissent, neque scripta essent: Ita loqui, idem profecto est, ac Sacramentum Eucharistiæ negare, cujus quod præcipuum in ipso est, ab institutione dependet, a ritu, & a verbis Christi Domini; nisi fortasse dicendum sit Sacramenta institutionem, præcipue symbola Panis, & Vini respexisse, quæ talia non essent, nisi a Domino ad hoc instituta fuissent. Verum quomodo Lutheranus aliquis affirmabit ab institutione, scilicet, & verbis Christi sola symbola, & illorum significationem pendere? Ergo Sacramentum Eucharistiæ erit purum symbolum externum, significans Corpus Domini, & Zuinglium temere Lutherus reprehendet asserentem verbum *est* idem valere, quod verbum *significat*, & Oecolampadium scribentem verbum *Corpus meum* idem esse, quod *signum Corporis mei*, & Lutherani cum Sacramentariis convenient. Sed non cum Sacramentariis tantum, imò etiam cum Calvinistis. Etenim concedamus quod Lutherani volunt illis concedi, Corpus Christi esse ubique, nullus poterit illi assignari determinatus locus, neque ad unum locum constringi, ideoque non secus illud erit in omnibus locis, ac Deus ipse, qui ubique reperitur; quemadmodum igitur Deus non transit de loco in locum, nec comeditur cum comeditur Panis, nec cum aere inspiratur, expiraturque ita neque Corpus Christi localiter movebitur, neque a nobis manducabitur. Ipsa tamen veritas dixit: *Accipite, & manducate: hoc est Corpus meum*. Oportebit ergo asserere Christum arcana, & incomprehensibili Spiritus sui virtute nos nutrire, & vivificare sui Corporis substantia per fidem apprehensa, & hoc asseruerunt Calvinistæ in articulo 36. Confessionis Fidei, quam in Colloquio Poissiacensi obtulerunt anno 1561. Verum tamen est, quod Lutherus loco citato ab hac difficultate se expedit notando Corpus Christi ubique esse, sed non posse ubique accipi, sed solum in ea re, quam ipse ad hoc instituit. Hoc tamen contradictionem involvit. Ubique esse, & non ubique haberi posse; Corpus Christi esse in Pane, & non accipere in Pane Corpus Christi; quare Brentius in Libro *de duabus naturis, & ascensione Christi*, putavit Corpus Christi esse quidem ubique, sed solum in Cœna utiliter, & efficaciter, propter alium modum, quem ipse superaddidit existentiæ Corporis Christi in Cœna, ubi non solum personaliter vult adesse, quemadmodum adest ubique, sed etiam definitive. Ceterum, neque ex hac responsione fit melior Lutheranorum sententia, neque eximitur a characteribus Calvinianæ hypothesis, quæ hanc efficaciam non adimit Corporis Christi, ut constat ex verbis supra relatis; sed tamen in utraque sententia semper stat, quod vere, & realiter Corpus Christi non accipiatur, quia est ubique, imò si res attentius perpendatur semper stat, quod nullus fructus ex Cœna nobis emergat, quia etiam imparatis nobis, & nolentibus est in nobis Corpus Christi, & non distat ab unoquoque nostrum, quemadmodum per suam, ut Scholastici inquiunt, *ubiquitatem*, non distat Deus, in quo vivimus, moveamur, & sumus. Præterea non cohærere hanc Lutheranorum sen-

ten-

tentiam cum illis opinionibus, quas ipsi tuentur, videlicet Corpus Christi non esse in Eucharistia extra usum: non esse servandas species consecratas: Non esse Eucharistiam deferendam ad infirmos, neque esse adorandam. Hæc singula per se patent. Non prætereo tamen monere quod D. Augustinus monuit de Corpore Christi in sua Epistola 57. ad Dardanum: *Cavendum esse ne ita Divinitatem adstruamus hominis, ut veritatem Corporis auferamus*. Non est autem consequens, ut quod est in Deo, ita sit ubique, ut Deus est. Corpus Christi licet possit esse, & sit per Divinam potentiam in multis locis, tamen potest etiam redigi ad unum solum. In uno solo loco erat antequam Eucharistiam institueret, & in uno solo loco erit post mundi exitum; & Angelus mulieribus Christum inquirentibus ait Matth. ultimo: *Non est hic, surrexit enim*.

XXVIII. Alia Transubstantiationis systemata Catholici Auctores excogitarunt, Ecclesiæ tamen doctrinam non deseruerunt, cum pertinaciter illa non defenderint. Joannes de Parisiis, qui floruit anno 1306. ut facilius salvaretur apparentia specierum Eucharisticarum docuit Panem, & Vinum Personæ Verbi Dei unita esse, non immediate, sed mediante Christi Corpore, consequenter corporeitates Panis, & Corporis Christi simul esse in Sacramento, esse nihilominus unum Corpus, sicut unam Personam: Panem amplius non subsistere, quia ejus corporeitas mediante Christi Corpore Verbo personaliter conjuncta permanet. Referunt hanc opinionem Thomas Waldensis in Doctrinali Fidei Tom. 2. cap. 65., & Continuator Chronici Guillelmi Nangii pag. 617 Tom. 11. Spicilegii Acheriani, & Cardinalis Perronius libro 3. de Sacramento Eucharistiæ.

In hac opinione repræhendi potest assumptum; scilicet quod Corpus Christi possit Panem hypostatice assumere, & illi communicare id, quod non habet, nimirum substantiam, seu personalitatem. Reprehenditur secundo in hac opinione quod dici debeat: Panis est Corpus Christi, non vero Panis est Deus; nam Verbum dum assumpsit naturam humanam non assumpsit Corpus solum, aut solam Animam, sed hominem assumpsit; licet ergo Panis assumatur a Verbo mediante Corpore Christi, ita assumi debet, ac si mediante tota Christi humanitate assumeretur; quare sicuti per humanitatem assumptam Deus dicitur homo, ita per assumptum Panem mediante toto homine dici debet; Deus Verbum est Panis.

XXIX. Durandus Episcopus Aniciensis in 4. distinct. 11. q. 3. ut Mysterium Conversionis Panis in Corpus Christi ita explicaret, ut omnes illud intelligerent, ajebat: *Conversio fieri nequit, nisi manente materia, seu subjecto in utroque termino Conversionis. Hoc enim interest inter Creationem, annihilationem, & conversionem, quod in creatione fit quod non erat, in annihilatione desinit esse id quod erat, in conversione transit aliquid de uno esse ad aliud: oportet igitur ut remaneat id quod transit*, & propterea docuit remanere materiam Panis, quæ sit subjectum accidentium, & totius conversionis, explicavitque hanc conversionem per illam, quæ fiebat in alimento, quando Christus illud convertebat in Corpus suum, in cujus rei veritatem adducit testimonia Patrum, qui conversionem hanc, transformationem appellant, & assumit in exemplum illas conversiones, quarum exempla Scriptura suppeditat, videlicet conversionem Virgæ in Serpentem, & Aquæ in Vinum.

His

His tamen non obstantibus, opinionem hanc Durandi continere errorem in Fide clarissimum est, tum ex Decretis Conciliorum, quæ illam præcesserunt, Lateranensis videlicet sub Innocentio III. & aliorum, quæ errorem Berengarii proscripserunt, tum ex traditione Sanctorum; idque magis ex Decreto Constantiensis Concilii contra Wiclefum, qui asserebat: *Accidentia sine subjecto manere non posse*, & ex Decreto Tridentini, quo statutum fuit totam Panis, & Vini substantiam, converti in Corpus, & Sanguinem Christi, manentibus dumtaxat speciebus Panis. Hæreticus tamen non fuit Durandus, quia sine contumacia id asseruit, & cum subjectione ad Ecclesiam. Fundamenta ab illo exposita, nullius sunt roboris, cum res ipsa de qua agitur, non sit humana ratione, sed Divina pensanda potentia. Tum etiam quia Patres, qui a Durando citantur, ut alibi diximus, loquuntur de Pane, & Vino remanentibus quoad species dumtaxat, & Exempla, quibus utuntur, non ita illa exhibent, ut in omnibus sint similia; imò quia nullum hujusmodi inveniri potest, varia usurpant, ut declarent hanc esse veram, & realem conversionem, vel posse Deum supernaturales conversiones efficere, vel hic esse per conversionem verum ac proprium Corpus Christi. Quod vero hæc conversio alterius rationis sit ab omnibus aliis conversionibus naturalibus, variis nominibus, ac rationibus declarant, & sit manifestum ex hoc, quod non est improbabile in illis mutationibus aliquid manere sub utroque termino, quod dicatur materia, in hac vero nihil manet omnino, ut dicitur in cap. *omnia* de Consecratione, distinctione 2. quemadmodum in illis mutationibus, cum forma substantiali omnia, aut saltem aliqua accidentia mutantur, in hac autem Conversione omnia accidentia remanent, quæ prius erant, & sola integra substantia mutatur, *Quid enim Panis, Vinique species post Consecrationem sunt?* ut legitur in capite 15. partis septimæ Concilii Coloniensis, *nisi species Sacramentales, & accidentia sine subjecto*.

XXX. Illud vero munus, quod Durandus attribuit Animæ Christi Domini, ut recedente forma Panis, ejusdem Panis materiam informet, maximis difficultatibus obnoxium cognoscitur. Inquiri enim potest utrum anima Christi in Eucharistia informet Corpus quod habet in Cœlo, & ipsius Panis materiam, vel ita informet hanc solam, ut Corpus Christi, quod est in Cœlo, in Eucharistia non contineatur, & cum hoc secundum sit Hæreticum dicere, oportet quod primum dicatur, quamquam ignoretur, quibus momentis id possit affirmari, cum nulla auctoritas, nulla ratio afferatur a Durando, nec ulla appareat necessitas hujus miraculi, quod nullum fundamentum habet in verbis institutionis: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur*, nisi illud desideretur, vel ut rejiciatur conversio Panis in ipsum Corpus Christi, quod traditur ad crucifigendum, quod Deus non efficit in testimonium erroris, vel ut explicetur hæc Panis Conversio, & ad hanc explicandam nihil confert, hoc aliud Corpus ex materia Panis productum, imò potius absurditatem, & confusionem excitat; dubitari etenim statim potest an in Eucharistia sint duo Corpora, scilicet illud quod Christus habet in Cœlo, & illud, in quod materia Panis conversa est, an vero sit unum, sed varium ab illo, quod habet Christus in Cœlo. Fundamentum huic dubitationi accedit ex hac argumentatione.

Materia Panis, quæ accedit Corpori Christi, vel accedit & manet,

vel

vel accedit sed non manet, vel non accedit. Si primum ergo Christi Corpus quotidie mutatur per augmentationem. Si secundum quotidie Corpus Christi suscipiet magis, & minus. Si tertium ergo triplex erit Christi Corpus, unum de Virgine sumptum, alterum ex materia Panis, & anima Christi informatum, tertium ex materia Vini, & forma Sanguinis Domini. Sequetur inde Corpus Christi suscipere dimensiones Panis, reperiri circumscriptive in Eucharistia, calefieri, frangi, corrumpi &c. & subjici alterationibus omnibus Corporis corruptibilis, scilicet materiæ Panis, quo nil potest excogitari absurdius.

XXXI. Oppositam Durando Sententiam illi docuerunt, qui post consecrationem cum ceteris accidentibus, etiam formam substantialem Panis manere dixerunt: Sed hoc esse non posse hoc raticinio probat D. Thomas l. c. a 6. Primo *quia si forma substantialis Panis remaneret, nihil de Pane converteretur in Corpus Christi nisi sola materia, & ita sequeretur quod non converteretur in Corpus Christi totum, sed in ejus materiam, quæ repugnat formæ Sacramenti, quæ dicitur: hoc est Corpus meum.* Secundo *quia si forma substantialis Panis remaneret, aut remaneret in materia, aut a materia separata. Primum autem esse non potest, quia si remaneret in materia Panis, tunc tota substantia Panis remaneret; in alia autem materia remanere non posset, quia propria forma non est, nisi in propria materia. Si autem remaneret a materia separata, jam esset forma intelligibilis actu, & etiam intelligens, nam omnes formæ a materia separatæ sunt tales.* Tertio *esset inconveniens huic Sacramento. Nam accidentia Panis in hoc Sacramento remanent, ut sub eis videatur Corpus Christi non autem sub propria specie, & ideo dicendum est, quod forma substantialis non remanet, & cum omnino insensibilis sit, non potest ad rationem Sacramenti deservire.*

XXXII. Putaret fortasse aliud contingere Theologus in Recentioris Philosophiæ principiis instructus, ex quibus cum inferatur substantiales formas consistere in sola congerie accidentium, nihil videtur officere veritati Sacramenti Eucharistiæ, quod forma substantialis Panis remaneat post mutatam totam Panis substantiam in Corpus Christi. Ut enim congeries accidentium substantiam perficiat, ipsa per se se non sufficit, sed prærerea requiritur, quod subjectum, in quo reperitur hæc congeries accidentium sit capax illius formæ, cujus formæ, quia amplius non est capax substantia Panis in Corpus Christi conversa, prolatis verbis Consecrationis, forma substantialis Panis perseverabit, non vero ipsa substantia, non secus ac maneret forma Domus conservata quantitate, cum eadem figura, etiam si tota substantia lignorum, ac lapidum periret, & in hoc nobiscum sentiunt etiam veteres omnes Sapientes, & veteris Philosophiæ Sectatores, qui si monebunt, formam hanc appellandam esse artificialem Panis, non formam absolute, quia per formam Panis intelligitur forma illius substantiæ, quæ est Panis, profecto illis non advertabimur, nec nostra, ab illorum sententia discrepabit.

§. III.

§. III. *Exponitur Accidentium natura, juxta varias Theologorum, & Philosophorum Sententias, & probabilior eligitur.*

XXXIII. Jam manifestum est ex Concilio Tridentino Sess. XIII. can. 2. Accidentia Panis, & Vini manere peracta Consecratione, idque sensibus ipsis fit clarum. Patet ulterius Accidentia hæc, quæ remanent, esse eadem numero, quæ in Pane, & Vino prius erant, quia neque in ipsis, neque in subjecto eorum facta est aliqua naturalis mutatio, quæ sensibus, aut naturali ratione discerni possit, & id fidei doctrinæ non adversatur, ut constat tum ex Tridentino citato, tum ex Florentino in Decreto Eugenii IV. tum ex Constantiensi Sess. VIII., & Lateranensi in cap. *firmiter* de summa Trinitate, tum ex Patrum Testimoniis, quæ referuntur in capite *Quia Corpus*, cap. *quia passus*, capite *forte*, capite *Sanguis*, cap. *hoc est*, cap. *utrumque sub figura &c.* quæ habentur in Decreto Gratiani distinct. 2. de Consecratione. Consentit Auctoritas Theologorum, & ratio Theologica petita, tum ex natura Sacramenti, quæ necessario requirit, ut sub signo sensibili Christus sumatur, tum ex modo quo Christus est in Eucharistia, quia oportuit Christum manere sub aliena specie, ut fides conservaretur, & exerceretur; tum ex fine, scilicet ut hoc Mysterium insidelibus occultaretur, & Corpus Domini a fidelibus manducaretur, & demum ut posset in Altari offerri, & incruente immolari, sed non patet, quomodo hæc Accidentia existant. Hinc nonnulli ex Theologis in diversos abiere explicandi modos. Aliqui enim, Recentiorum Philosophorum sententiæ adhærentes dixerunt hæc accidentia non esse entitates reales, & nihil omnino Panis, & Vini in Sacramento superesse, sed esse tantum coloris, saporis, aliarumque sensibilium qualitatum species, quæ non amplius a substantia Panis, & Vini, sed ab ipso Deo sensibus nostris imprimuntur, ejusque rei argumentum esse conjiciunt, quod nemo ex Sacris Ecclesiæ Patribus id, quod in Sacramento remanet accidentia dixerit, sed omnes symbola, species, mysteria, velamina vocaverunt. Hinc aliqui addunt Chrysostomum scripsisse in Hom. 83. *Quot modo dicunt: vellem formam, & species ejus, vellem vestimenta ipsa, vellem coloramenta videre; ipsum igitur vides, ipsum comedis. Vestimenta ejus desiderat videre ipse vero se ipsum tibi tradit, non ut videas solum ipsum, verum etiam ut tangas, & in te habeas;* & alii demum verba illa usurpant, quibus Berengarius suam Fidei Professionem sub Nicolao II. sigillavit: *Verum Christi Corpus, & verum ejus Sanguinem sensualiter manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri;* ut inferant non superesse, nisi similitudinarias species sacramentales, in quibus exerceantur actiones istæ quæ in solo Christi Corpore exercentur. *Cogitaveram*, scripsit Abbaudus Abbas in tractatu de fractione Corporis Christi apud Mabillonium Tom. 3. Veterum Analectorum, *& illis aliqua respondere, qui dicunt ipsum Corpus non frangi, sed in albedine ejus & rotunditate aliquid factitari, sed recogitans ineptum esse in Evangelio Christi de albedine, & rotunditate disputare, amaturis talia auribus dimovens Dialecticis, aut certe pueris, talia permisi, præsertim cum quivis facile videat albedinem, seu rotunditatem ab ipso Corpore quod vel album,*

vel rotundum est separari non posse; ita ut ab ipso non fracto, hae per se singulariter non frangantur.

Neque id alicui per absurdum videri debet, quippe quod Augustinus pro flagitio habuerit Eucharistiæ manducationem, in qua Christi Corpus dilaniaretur, ac modo Capharnaitico dentibus attereretur, nam absurdum hoc ita refellit laudatus Auctor, *Secundum fidem Evangelii quod dixit benedixit, & fregit: Apostoli quoque qui dicit Panis, quem frangimus; Luca etiam Evangelistæ, qui dicit Panis fractionis: Contestante nihilominus spirituali ratione fultus, Corde credo, ore confiteor ad salutem, quia veraciter Corpus Christi manibus frangitur Sacerdotis. Verumtamen ponamus aliquem concessisse, quod vere non frangatur Corpus Christi, ut videamus qui fructus inde nascatur. Dic ergo mihi obsecro te, unde potero scire quod verum loquatur Evangelista cum dicit: Hoc est Corpus meum, si fefellit quando dixit fregit? Identidem si mentitur Apostolus dicens, Panis quem frangimus, unde credam quod verum dicat quando sequitur, Communicatio Corporis Christi est. Itaque qui vere frangi Corpus Christi non concedit totam fidem tanti Sacramenti quantum in se est, fregit.* Ex hoc vero quod Christi Corpus frangatur nihil sequitur illorum quæ timentur cum per hanc fractionem Christi Corpus non dilanietur, sed adhuc integrum in se maneat quod Abbaudus probat hac paritate: *Sicut puellam mortuam esse & vivere non repugnat, quia hominibus mortua est, Deo vivit; unde Christus ait: non est mortua puella, sed dormit, Evangelista autem; scientes quia mortua est. Porro majorem contrarietatem habet mortuam esse, & non esse. quam frangi quid, & integrum manere. Praterea apud nos localis divisio, fractionis comprobatio est, quia membrum quod a se invicem disjunctum, & localiter divisum videmus, fractum esse tenemus. Porro apud Deum sicut veraciter dictum est secundum tempus: mille anni sicut dies unus; ita aque veraciter dici potest secundum locum, mille sicut quotvis, aut certe omnia loca apud Deum quasi unus locus. Ei quippe, qui semper ubique totus præsens est, localis absentia nihil absentare, localis longinquitas, nil longinquare, localis divisio nihil potest dividere. Quod ergo apud nos fractum est, quia localiter divisum est, apud Deum integrum manet, cui omnia loca unus locus est. Quod cum etiam de aliis rebus corporalibus dici possit, quanto magis de illo Corpore, quod personaliter illi substantiæ conjunctum est, quæ semper ubique tota præsens est? Accedit quod apud nos membrum quod fractum, & a Corpore suo divisum est mortuum esse constat. Illius vero Corporis etiam fracti quælibet particula non modo viva, sed etiam vita est, si quis fideliter accipit. Quod ergo vim, & plus quam vim integri obtinet, etiam cum frangitur integrum, jure dici potest.*

XXXIV. Nullum Conciliorum de modo, quo accidentia existunt in Sacramento quidquam decrevit hactenus, & propterea quemadmodum illi sibi licitum esse putarunt ita sentire, qui superiorem explicandi modum tradiderunt, ita placuit aliis dicere, vel remanere accidentia in aere, vel esse in Corpore, & Sanguine Christi. Primum docuit Petrus Abelardus ex testimonio Guillelmi Abbatis S. Theodorici, alterum tradidit idem Guillelmus in cap. 9. suæ disputationis. *Solam Panis formam sacramentalem, seu speciem visibilem manere*, ait Abelardus, *ne fractionem, & attritionem*

nem in ipso Christi Corpore cogeretur admittere, sed ut assereret in symbolo, seu solis speciebus exerceri, sed Guillelmus rem eamdem se melius ita explicare credidit cum scripsit: *Nobis vero videtur quod accidentia illa, sive prioris forma substantia, quae (ut puto) non nisi consonus in unum accidentium concursus est, si ibi est, in Corpore Domini est, non formans illud, sed virtute operantis in ea sapientia Dei aptans illud, & modificans, ut secundum ritum Mysterii, & modum Sacramenti habile fiat, & tractabile, & gustabile in forma aliena, quod non poterat esse in propria, agens exterius, ut tractari possit, & sumi corporaliter, agente interiore gratia, ut sumatur incorruptibiliter, & credenti sapiat, & amantem vivificet, & nutriat spiritualiter*. Easdem explicationes recenset, & respuit D. Thomas l. c. in articulo primo q. 77. & prout accipiuntur a S. Doctore possunt certe rejici, quia non est possibile quod Corpus Christi gloriosum, & impassibile existens alteretur ad suscipiendas hujusmodi qualitates, & repugnat quantitatem Panis inhaerere aeri circumstanti, cum certum ex fide sit, neque substantiam aeris, neque ullam aliam praeter Corpus Christi esse intime intra quantitatem Panis. Sed inquies, in quo ergo subjecto sunt? In nullo substantiali, nulliquae inhaerent substantiae.

XXXV. Initio Creationis id re ipsa fuisse Basilius docuit in Homilia 2. de opere 6. dierum, & rursus Homilia 6. scribens: *Lucem Solis creatam fuisse primo die, & mansisse absque sede, & vehiculo tribus diebus, & tandem die quarta creatum fuisse Corpus solare, & in eo ut in subjecto lucem fuisse positam, quae prima die fuerat creata*. S. Basilii opinionem secutus est Damascenus in libro 2. de Fide Orthodoxa cap. 7. & Thomas Waldensis Tom. 2. cap. 76. plura affert veterum Philosophorum testimonia, in quibus legitur sine ullo subjecto posse accidentia existere, neque aliud innuunt Theologi illi, qui asserunt accidentia subjici quantitati Panis, & Vini quae gerit vices substantiae, & principii, ut ajunt *receptivi, & substantivi ut quod*, & quantitatem hanc, quae nihil aliud est nisi primum accidens inter accidentia Corporea existere sine subjecto. Quod si Patres, si Philosophi in hoc errant, quod naturaliter doceant id convenire accidentibus, non errabunt illi, qui affirmabunt id supernaturaliter posse contingere, cum videant etiam substantiae contigisse olim in Mysterio Incarnationis, quod separaretur a sua subsistentia, & tamen eadem utrisque est ratio, substantiae scilicet, & accidenti, quare substantia nullo modo debeat inhaerere, & accidens nullo modo possit per se subsistere, quia scilicet non potest effectus formalis separari a caussa sua a qua intrinsece pendet, quamquam contrarium possit contingere, cum priora a posterioribus non dependeant. Si itaque substantia in Mysterio Incarnationis hoc est natura humana a Verbo sustentata est; ita a Deo in Sacramento accidentia sustentabuntur modo supernaturali.

XXXVI. Ex tanta varietate sententiarum mirum esse non debet, quod variae etiam, & maxime singulares prodierint, opiniones Theologorum, ut explicarentur generationes illae, quae vulgo repetuntur ex consecratis speciebus. Hujusmodi profecto cognoscitur opinio illa quae a Guitmundo exponitur in suis libris de Corpore, & Sanguinis Christi in Eucharistia veritate, ubi docet species Sacramentales non posse corrumpi, aut ab Animalibus devorari, sed ita dumtaxat videri sensibus volente Deo ad

puniendam Ministrorum negligentiam, vel probandam populorum fidem (sicut Christus sub hortulani, & leprosi specie visus est nulla in ipso mutatione facta, & Corpus Dominicum in Cœlum rapi) cum speciebus hæc videntur contingere. Sequitur Guitmundum Algerus in l. 2. de hoc Sacramento, & non discrepat Waldensis Tom. 2. de Sacramentis cap. 26.

XXXVII. Rejiciunt hanc opinionem Theologorum Scholæ, eo quod præter rationem esse credant experientias negare. Constat enim, inquiunt, ex hostiis consecratis vermes generari, & non minus has comburi quam non consecratas, in quibus effectibus non est tantum externa species, seu apparentia, quia hi effectus sunt permanentes, & semper eodem modo fiunt.

XXXVIII. Rationem tamen hanc illi Theologi fortasse non audient, quibus ex corruptis materiis vermes non oriri perspectissimum est, sed longe diversam cognoscunt insectorum originem, quam ex ovis omnimode repetunt. Nihil itaque prohiber quod hæc animalcula in speciebus Eucharisticis videri possint; his enim quomodocumque manentibus, locus patet explicationi hujus effectus, non certe juxta superius tradita, sed juxta veram experientiam argumentis, & factis innumeris a sapientissimis Philosophis demonstratam. Aliter etiam respondebunt iidem Theologi mutationibus illis quæ supponuntur eodem modo contingere in Hostiis consecratis, & non consecratis. Primo reponent argumentum nimis probare ex identitate enim effectus oporteret inferre identitatem caussæ, & propterea subjecta ipsa quæ in utroque casu mutantur, natura non differrent, & tamen certum est in Hostia consecrata subjectum hoc substantiale capax corruptionis non reperiri, nam præter Corpus Christi nihil aliud in Sacramento reperitur, & hoc asserere corruptibile, esset incidere in impiissimum errorem, quem invexit Monachus Sicidites versus finem Sæculi xii. Secundo reponent, quod si ad miraculum confugere necessarium est veteribus Theologis, quo Deus in illo instanti producat materiam primam, ex cujus potentia educatur forma substantialis geniti, & in qua recipiatur, quia omne materiale compositum constare debet materia, & forma, nec alio modo oriri potest compositum *physicum*; ita *Theologus* Recentior simpliciori miraculo, quo sensus decipiantur, explicabit generationes, & mutationes singulas, quæ oriuntur in speciebus Eucharisticis in constitutis a natura terminis ad promovendam naturalem cujuslibet Corporis Corruptionem, & hoc miraculum aliud ab illo non erit, quod fit, cum substantia Panis mutatur in Christi Corpus, quod accidit cum deceptione sensuum intra illius temporis mensuram, quæ consumitur cum forma Consecrationis profertur.

§. IV. *Variis Quæstionibus respondetur quæ moveri solent de Christi Corpore, quatenus existit sub Speciebus Sacramentalibus.*

XXXIX. Explicatis iis, quæ docent modum quo Christi Domini Corpus reperitur in Eucharistia, scilicet per Transubstantiationem, seu per conversionem totius substantiæ Panis, & Vini manentibus dumtaxat ejusdem Panis, & Vini speciebus, pauca supersunt addenda de rebus illis, quæ inquiri possunt de Christi Corpore quatenus sub his speciebus existit. Quæritur itaque I. quomodo Christi Corpus sub his speciebus reperiatur? Respondeo primo Corpus Christi in Eucharistia suis non carere dimensio-

ni-

bus, tamen non requiri quod hæ dimensiones spatio contineantur, hæc enim est proprietas Corporis quod a loco circumscribitur: quemadmodum non requiritur, quod hæ dimensiones commensurentur dimensionibus specierum Eucharisticarum, illæ siquidem in ordine ad istas, majores multo sunt quam istæ, sed quatenus sub speciebus Panis ineffabiliter continentur non sunt neque majores, neque minores quia existunt sine ordine ad locum.

XL. Accedit etiam his, Quantitatis Corporis Christi non esse petendam mensuram a distantia locali, quæ est inter membra sui Corporis, sed ab alterius generis distantia. Siquidem illa, quæ non sunt conjuncta immediate, inter se distant, & eo magis distant, quo plura membra sunt interjecta, sic ubi fingamus annihilatum omne locale spatium, dimensiones hujus spatii nullæ sunt, & consequenter nulla est mensura humani Corporis, quod potest concipi in loco annihilati localis spatii, nihilominus Corpus hoc suis dimensionibus non caret, quæ petuntur ab interjectis partibus inter caput, & pedes, quæ partes licet in ordine ad locum non possint dici extra partes, sed quod una est ubi est alia, dicuntur tamen extra partes in ordine ad ipsum Corpus, & una esse dicitur ubi alia non est, nam partium extensio, & distinctio in Corpore non impeditur, nec impediri potest, cum sit essentialis Corpori, extensio autem & distinctio quo ad locum potest a Deo impediri, non secus ac impeditur seu suspenditur impenetrabilitatis effectus, ut contigit in Christi ingressu in mundum per non reseratum Matris uterum, in ingressu ejusdem ad Discipulos januis clausis, & egressu ex clauso monumento, & in pluribus aliis casibus, in quibus cum tota ratio facti fuerit potentia facientis, & rationem hanc non intellexerint Marcionitæ, hi propterea una cum Valentinianis, & Origenistis veram Corporis Christi resurrectionem negarunt, quemadmodum negaverant Christum verum Corpus ex Virgine assumpsisse: redarguuntur tamen ab omnibus Ecclesiæ Patribus, qui communi consensu ex illo principio tanquam certissimo, & explorato, tum illa, tum reliqua alia dogmata probarunt. Inter ceteros audiatur Hilarius, hic libro 3. de Trinit. ita scribit: *Integra sunt omnia, & obserata, sed ecce assistit medius, cui per virtutem suam universa sunt pervia ... Nihil cedit ex solido, neque per naturam suam aliquid tamquam lapsu insensibili ligna, & lapides amittunt. Corpus D. a sese non deficit, ut sese resumat ex nihilo, & unde qui assistit, in medio est? Cedit ad hæc & sensus, & sermo, & extra rationem humanam est veritas facti. Idcirco ergo, ut de Nativitate Domini fallimus, ita & de ingressu Domini mentiamur: dicamus factum non fuisse, quia intelligentiam facti non apprehendimus, & cessante sensu nostro facti ipsius esset effectus. Sed mendacium nostrum facti fides vincit. Adstitit Dominus clausa Domo in medio Discipulorum, & Filius est natus ex Patre*. Ex his verbis cognoscimus tum hæreticorum Recentiorum profligatos errores, tum assumptæ a nobis propositionis veritatem aperte probatam. Non opponat vero Petrus Martyr manere destructam naturam Corporis si non occupet locum, natura enim alicujus rei destructa non dicitur suspensis ejusdem proprietatibus, alioquin impediente Deo effectus gravitatis, proprietates ignis, radiorum solis emissionem, deberet aliquis affirmare horum rerum naturam manere destructam, quod certe ipse Martyr non probat: Idem ergo affirmabitur, si Divina concurrente potentia fiat quod magnitudo locum non occupet; Neque valet quod Augustinus

in

in Epist. 187. alias 57. ad Dardanum scribat: *Non potuit obtinere quantitas Corporis quod potuit qualitas, nam ita distantibus partibus, quæ simul esse non possunt, quoniam sua quæque locorum spatia tenent, minores minora, & majora majores, non potuit esse in singulis quibusque partibus tota, vel tanta, sed amplior est quantitas in amplioribus partibus brevior in brevioribus, & in nulla parte tanta quanta per totum*; quia hæc verba Augustini, hoc concludunt, nimirum quod illud, quod vere est Corpus extensionem habeat in se, non vero concludunt quod coextendatur loco: ex hoc vero quod dicat, *sua quæque locorum spatia tenent*, vel verba hæc intelligi debent de loco, quem quælibet pars extensa in suo toto occupat, ut brachia non debeant esse ubi pedes, & isti ubi caput, sed unaqueque pars illi loco affixa, quam tenet in sua magnitudine, vel dici potest verba illa ab Augustino fuisse prolata, ut a posteriori probaret Corpus ideo habere extensionem, quia certum loci spatium occupat, nunquam vero Augustinus per illa verba negavit extensionem Corpori convenire. nisi quando esset in loco. Refellimus itaque illa singula quæ Durandus scripsit in 4. distinct. 10. q. 2. quod *Corpus Christi in Eucharistia reperiatur cum sua substantia, non vero cum sua magnitudine*. Refellimus etiam opinionem illorum qui asserunt Corpus Christi in Eucharistia habere quidem extensionem (quia extensionem a substantia non distinguunt) sed singulas ejus partes compenetrari cum omnibus aliis; dicimus enim habere suam formam, & figuram humanam, & partium situm, ac dispositionem, quamquam a nobis videri non possit, ut his rebus non caruit quando *transiens per medium illorum ibat*, ut Lucas narrat cap. 4. & quando abscondit se ne lapidaretur, ut legitur in cap. 8. Joannis, & cum evanuit ex oculis eorum, ut Lucæ ultimo commemoratur; & id dici oportere ex canone 1. Sessionis XIII. Concilii Tridentini colligitur, ubi totus Christus in Eucharistia esse docetur cum Corpore, cum Sanguine, cum Anima, & ejus Divinitate, ut etiam colligitur ex verbis institutionis: *Accipite & comedite hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur*, & ex his aliis Joan. 6. *Panis, quem ego dabo Caro mea est*; nam hi loquendi modi veri non essent, si alterutra ex confutatis sententiis vera esset. Solum non requiritur quod Christi Corpus sit in Eucharistia cum singulis proprietatibus suæ magnitudinis, quarum tres recensentur: extensum esse in se, & partem habere extra partem: coexistere loco, seu comensurari loco, & habere situm extrinsecum in ordine ad locum; excludere aliud Corpus ex loco, sed satis est quod prima tantummodo reperiatur, quæ magnitudini omnino essentialis est, reliquas enim duas, quia posteriores sunt, & quod est posterius semper per Dei potentiam separari potest a priore, necessarium non est magnitudini Corporis Christi in Eucharistia sociari.

XLI. Secundo Respondemus quod non solum quantitatem Corporis Christi in hoc Sacramento reperiri tenendum est, sed etiam totum Christum, totamque substantiam ejus sub singulis ejusdem Sacramenti speciebus. *Omnis Spiritus*, inquit D. Joannes in cap. 4. suæ primæ Epistolæ, *qui solvit Jesum ex Deo non est*; & propterea ex Deo non est Nestorius, qui Christi Divinitatem in hoc Sacramento nullo modo esse affirmavit; ex Deo non sunt Hæretici illi *Intinctores* appellati, qui ut refert Waldensis Tomo 2. cap. 87. Sanguinem non esse sub speciebus Panis asseruisse creduntur; quemadmodum ex Deo non sunt, qui separant animam a Corpore, &

& Sanguine, vel Sanginem ab anima & Corpore; quare Concilium Constantiense Sessione XIII. & Basileense Sess. XXX. veritatem hanc firmissime, & sine dubitatione tenendam esse dixerunt, quod iterum dixit Eugenius IV. In Florentino Concilio, & Tridentini Patres rursus loco supra citato dixerunt, & præterea definitum legimus in capite *qui manducat*, in capite *finguli*, in capite *ubi pars* de Consecratione distinctione I. & abunde legitur in constanti Ecclesiæ Patrum traditione. D. Thomas non solum eamdem veritatem tradit, sed etiam sua ratione confirmat l. c. q. 76. a. 1. *Si aliqua duo sunt realiter conjuncta, ubicumque est unum realiter, oportet & aliud esse, sola enim operatione animæ discernuntur quæ realiter sunt conjuncta*. Quæ Divi Thomæ Propositio ne sensum relinquat ambiguum ita accipi debet, ut S. Doctor intelligat loqui de his, quæ adæquata unione realiter uniuntur, ex quo necessario infertur necessaria concomitantia in mutua præsentia rerum unitarum, quod non sequitur quando unio non est adæquata. Hæc adæquata unio cognoscitur quando unum respicit aliud ut adæquatum terminum suæ habitudinis, aut quando res quæ uniuntur habent mutuam dependentiam inter se, & hac ratione Corpus quod est organicum conjungitur animæ. Ejusdem unionis necessitatem illa etiam exigunt quæ ita conjuncta sunt, ut semper conjuncta permaneant, nec hac unione aut conjunctione privantur ubicunque constituantur. Tale est Corpus Christi quod ita conjunctum est animæ, ut nunquam & nullibi possit hac unione privari, quia ubicumque reperiatur, semper est vivum, & immortale. Ubicumque est Corpus Divinum, *& ideo in hoc Sacramento necesse etiam est præter animam esse Divinitatem Christi concomitantem ejus Corpus. Unde in Symbolo Ephesino I. legitur. Participes efficimur Corporis & Sanguinis Christi, non ut communem carnem percipientes, nec ut Viri sanctificati & Verbo conjuncti secundum dignitatis unitatem, sed vere vivificatricem, & ipsius Verbi propriam factam*. Sciendum tamen est, quod cum dicimus totum Christum, totamque substantiam ejus esse in hoc Sacramento, & sub singulis speciebus ejus intelligendum est cum hac distinctione, quod scilicet sub speciebus Panis est quidem Corpus Christi ex vi Sacramenti, Sanguis autem ex reali concomitantia, & sub speciebus Vini est Sanguis Christi ex vi Sacramenti, Corpus autem Christi ex reali concomitantia sicut anima & Divinitas. Lutherus irrisit hanc distinctionem ut testantur Ruardus articulo 13. & Cochlæus libro 2. Miscellan. cap. 9. sed illam approbavit Concilium Tridentinum l. sup. cit. c. 13. *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit statim post Consecrationem verum Domini nostri Corpus, verumque ejus Sanguinem sub Panis & Vini specie una cum ipsius anima, & Divinitate existere, sed Corpus quidem sub specie Panis, & Sanguinem sub Vini specie ex vi verborum, ipsum autem Corpus sub specie Vini, & Sanguinem sub specie Panis, animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur*. Id ergo dicitur poni ex vi verborum in Eucharistia, cujus præsentia ad verborum veritatem necessaria est, seu quod præcise per verba significatur, scilicet Corpus Christi ex substantia Panis; Verba enim efficiunt Conversionem, quam vere significant. Illud vero dicitur poni per concomitantiam, quod ponitur, non quia sit necesse ad veritatem verborum, sed quia inseparabiliter connectitur cum illo quod necessario debet esse in Sacramento in vi verborum.

XLII.

XLII. Dixi *non quia sit necesse ad veritatem verborum*, quia neque verba consecrationis Panis, neque illa consecrationis Vini quidquam dicunt tum de Sanguine, tum de Corpore, neque aliter illa verba significare debuerunt, quam vel solum Corpus, vel solum Sanguinem, ut hoc Sacramentum expresse repræsentaret Mortem Christi; ut enim effusio Sanguinis, & separatio animæ a Corpore expressius repræsentaretur, voluit Christus Corpus, & Sanguinem ex vi verborum seorsim consecrari. Est etiam in hoc Sacramento Caro Christi ut unita Verbo realiter, & inseparabiliter: ergo sicuti nunquam est nisi unita; ita etiam nusquam est nisi unita: ergo ubicunque est, habet unionem ad Verbum. Ergo dicendum est habere hoc Corpus in Sacramento eandem unionem ad Verbum, quam habet in Cœlo, scilicet eodem modo Corpus Christi esse in hoc Sacramento unitum Verbo, seu esse hic non tantum Substantiam Corporis, & Sanguinis, sed etiam unionem ipsam Hypostaticam, quam habet ad Verbum: ex quo sequitur, quod cum Pater, & Spiritus S. non uniantur hypostaticæ humanitati, ideo non sunt in hoc Sacramento per concomitantiam, licet alias identificentur cum natura Divina, quæ identitas, quemadmodum non operatur, quod hæ Personæ sint concomitanter incarnatæ, ita nec operari debet, quod in Eucharistia concomitanter inveniantur.

XLIII. Quæri secundo potest, utrum Christus Dominus totus sit in qualibet parte Hostiæ, seu Calicis?

Propositam controversiam Tridentini Patres examinarunt in XIII. Sessione, & statuerunt, quod *totus, & integer Christus sub Panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte; totus item sub Vini specie, & sub ejus partibus existit*. Leguntur hæc verba in capite 3. citatæ Sessionis, ex quibus inferri posset doctrinam hanc fide Divina credendam esse, verum cum in canone 3. ejusdem Sessionis hæc alia verba legantur. *Si quis negaverit in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque partibus, separatione facta, totum Christum contineri, Anathema sit*, explicata est Patrum sententia, & quid fide Divina tenendum sit, ambiguitate quacunque sublata, apertissime innotuit. Neque jam tum primum audiri cœpit hoc Dogma, cum illud Concilium Tridentinum definivit, multo antiquius est, & abunde notum id, quod ipsa Ecclesia, & Patrum Ecclesiæ inveterata traditio docuit, ut habetur in capite *singuli* in cap. *qui manducat* in cap. *ubi pars* de Consecr. Distinc. 2. & ut constat ex iis quæ Canisius congerit in Catechismo, titulo de Eucharistia §. 8. & ex Decreto Eugenii IV. in Florentino Concilio. Suffragatur his omnibus testimoniis ipsum factum Christi Domini, quem consecrasse prius, & deinde fregisse Panem datum Discipulis non pauci credunt, ut credunt omnes unicum tantummodo Calicem consecrasse, & postea dixisse discipulis: *Accipite, & dividite inter vos*. Singuli ergo sumendo partem specierum a reliquis partibus dividebant, & tamen verum Christi Sanguinem sumebant; ergo per divisionem non amittunt Species consecrationem, sed sub eis divisis Corpus, & Sanguis Christi manet: Prætereo referre ex antiqua traditione usum Ecclesiarum in colligendis, & magna veneratione servandis Reliquiis Eucharisticis, quæ ex consecratis oblatis separabantur, nam de hac re jam aliqua attigimus in superiori cap. 2. Hæc extra omnem dubitationem fatentur omnes.

XLIV. Disputant Theologi, an idem dicendum sit ante Hostiæ fra-

ctionem, & Calicis divisionem, & affirmativam partem tuetur D. Thomas hic art. 3. quia ante consecrationem substantia Panis erat tota, & actu in singulis partibus Hostiæ: ergo & Corpus Christi, quod huic substantiæ succedit in Sacramento erit in qualibet parte Hostiæ consecratæ. *Manifestum est*, inquit S. Thomas, *quod totus Christus est sub qualibet parte specierum Panis etiam Hostia integra manente, & non solum, cum frangitur, sicut quidam dicunt ponentes exemplum de Imagine, quæ apparet in speculo, quæ apparet una in speculo integro, in speculo autem fracto apparent singulæ in singulis partibus. Quod quidem non est omninò simile, quia multiplicatio hujusmodi imaginum accidit in speculo fracto propter diversas reflexiones ad diversas partes speculi; Hic autem non est nisi una Consecratio, propter quam Corpus Christi est in hoc Sacramento*, quam Consecrationem non mutat sola separatio, neque hæc constituit Corpus Christi, vel aliquam partem ejus, ubi antea non erat. Quod a quibusdam Theologis additur de Reali præsentia Christi Domini, etiam in exiguis, vel minimis, & insensibilibus partibus Hostiæ admitti potest, si hæ minimæ partes insensibiles conjungantur aliis majoribus, quas componunt, non vero si sint separatæ, cum sub his exiguis, minimis, & insensibilibus partibus substantia Panis non conservetur, ut alibi diximus.

XLV. Supervacaneum est modo quærere utrum Christus in Eucharistia possit moveri localiter, agere, & pati actione corporea, & ab oculo corporeo videri, cum hæc singula requirant extensionem localem in agente, & patiente, qua Corpus Christi in Eucharistia caret; quare Corpus Christi neque agere, neque pati potest in Eucharistia, nec moveri localiter, nec videri oculo corporeo: quod si dicatur Corpus Christi deferri in Processionibus, elevari a Sacerdote &c. non recipitur hic localis motus in Christo, sed in solis dumtaxat speciebus, quæ dum moventur ipsum Christi Corpus per accidens movetur: potest tamen oculus Corporeus illud videre supernaturaliter, si ad illud videndum divinitus elevetur, sed non potest videre modum, quo illud est in Sacramento. Primum demonstratur, quia nulla est implicatio contradictionis, cum Deus possit speciem, & sufficientem vim activam dare oculo, & aliunde Christi Corpus sit objectum, quod est visibile, cum sit coloratum, & lucidum. Alterum eruitur ex ratione contraria, quia modus ille non est res, quæ per se videri possit, tamquam proprium objectum visus, ut lux vel color, quia modus ille neque est lux, neque est color, sed est quidam modus, qui per se convenit substantiæ tantum, & concomitanter potest convenire tam quantitati, quam cuilibet qualitati; hic autem modus præsentiæ non continetur sub objecto adæquato visus, ex quo fit, quod nec de potentia absoluta possit hic modus sic videri, quia si non potest oculus elevari ad videndum aliquid, quod omninò sit extra latitudinem proprii objecti adæquati, neque poterit elevari ad videndum aliquid, quod omninò est extra latitudinem communis sensibilis, & hujusmodi est modus præsentiæ Sacramentalis, quæ sub nullo sensibili communi continetur, cum sit extra ordinem rerum omnium sensibilium, & convenit substantiæ per se, ut substantia est, subindeque solum poterit percipi, & cognosci ab intellectu creato. Imò D. Thomas hic a. 7. ad 2. scribit. *Oculus Christi videt se ipsum sub Sacramento existentem, non tamen potest videre ipsum modum essendi, quo est sub Sacramento, quod pertinet ad solum intellectum.*

XLVI. Accidit quandoque, ut sub speciebus Panis, & Vini appa-

 rue-

fuerit, vel Puer, vel Caro, vel Sanguis. Merito igitur inquiri potest quid in his casibus sit sentiendum? Novum non est in Controversiis illis, in quibus verisimilitudo aliqua apparet, quæcunque sit illa pars, quæ propugnanda elligatur Theologos contrariis opinionibus delectari, quare mirum esse non debet, quod aliqui respondeant Christum sub speciebus vere videri qualis apparet, cum apud ipsum nihil sit impossibile, cum non repugnet naturæ Corporis Gloriosi, se se pro ut voluerit humanis sensibus manifestare, in majori, vel minori quantitate, & secundum unam partem non secundam aliam, præsertim, si hoc necessitas exigat in veritatis testimonium, aut in singularem favorem alicujus justi. Tuentur alii Christum Dominum in se non videri in his apparitionibus, nec carnem ejus, & Sanguinem, sive hæc immutatio diu permaneat, sive cito transeat, si primum *nefas est credere*, inquit D. Thomas *illud quod apparet, & Pixide clauditur esse Carnem Christi in propria specie existentem, quia indecens esset quod ab omnibus posset contrectari, & temporis diuturnitate mutari, & tabescere id, quod antea Caro, & Sanguis Christi esse videbatur*. Si secundum scilicet cito transeat, *hoc continget ex parte videntium, quorum oculi immutantur tali immutatione, ac si expresse viderent exterius carnem, vel Sanguinem, vel Puerum, nulla tamen immutatione facta ex parte Sacramenti*: Concluditur ergo in his apparitionibus id, quod videtur, non solum non esse carnem, & Sanguinem Christi in propria specie, verum etiam non esse veram Carnem, aut verum Sanguinem, sed colore tantum, & figura eadem referre, & hoc sufficit si apparitionis causæ, sint illæ, quas supra memoravimus. Et ne multiplicentur Miracula sine caussa, colorem illum adhærere ipsis speciebus Sacramentalibus opinatur D. Thomas, nec repugnare alii docent immutationem fieri etiam posse in Corpore circumstante. Docet etiam D. Thomas in eodem articulo, qui est 8. q. 76. non obstantibus his apparitionibus manere nihilominus Corpus Christi sub speciebus, quia illa immutatio solum est in qualitatibus, manente eadem quantitate, circa quam fiunt, seu in qua fundantur: fit enim hæc immutatio in accidentibus communibus, ut sunt color, qui potest esse diversus in diversis individuis, & in eodem facilius mutari potest. Accidentia autem magis intrinseca, & propria, qualia sunt odor, & sapor non necessario mutantur propter has apparitiones, quemadmodum neque sentiuntur proprietates Carnis, aut Sanguinis. Hinc est, quod consuevit Ecclesia Hostias consecratas, colore in carnes, aut Sanguinem immutatas diu conservare, & venerari, ut verum Eucharistiæ Sacramentum, etiam in longum tempus, dummodo eodem modo, & ejusdem omninò coloris semper appareant, quod observandum est, ne signis his deficientibus adoretur adoratione Christo debita res, quæ solum signum, & vestigium remansit Corporis Christi, quod aliquando ibi adfuit.

XLVII. Quæritur postremo utrum Eucharistiæ Sacramentum debeat adorari?

Christi Domini adorationem in Eucharistia multi impugnarunt. Extat apud Augustinum in Epistola 40. Maximi Madaurensis Idololatræ ipsi Augustino proposita controversia: *Quæso vir sapientissime. Ipsa re approbas, quis sit iste Deus, quem vos Christiani, quasi proprium vendicatis, & in locis abditis præsertim vos videre componitis. Non etenim Deos nostros luce palam ante oculos, atque aures omnium mortalium piis precibus adoramus, & per sua-*

ves

vos Hostias propitios nobis efficimus, & a cunctis hac cerni, & probari contendimus. Extat etiam apud Philosophos in Christianos querela: *quoniam Deum suum, quem adorant, etiam devorant*. Ita apud Espencæum Averroes de Christianis loquitur, & addit: *moriatur anima mea cum animabus Philosophorum*. Judæi ipsi Catholicos tamquam Idololatras accusant, quod procumbendo coram Eucharistia Creaturam adorant. Idem tradiderunt cum Arianis Nestoriani, quod Christum meram Creaturam esse credebant; & tandem hic communis fuit Sacramentariorum error, cum ipsis persuasum fuerit Christum substantialiter in Eucharistia non contineri. Ita tamen errorem hunc ex Sacramentariis aliqui correxerunt, ut Christum quidem in Eucharistia in ipso usu dixerint tantummodo adorandum, & propterea cultum improbant, quem Ecclesia exhibet Sacramento, quando a Sacerdotibus in Missa elevatur, quando publice exponitur, cum in Processionibus circumgestatur, & in Pixide conservatum in suo Altari colitur. Alii demum Christum a sensibili signo in Eucharistia distinguentes, illi cultum, & venerationem præscribunt, sed non Sacramento, ideft signo sensibili, ideft speciebus Eucharisticis sub quibus latet, non secus ac inquiunt adoratur Deus, sed non lapis, non lignum, non anima hominis, etiam si per suam immensitatem in illis reperiatur, & in hac tamquam in Templo suo specialiter immoretur. His præmissis defendimus Christum in Eucharistia esse adorandum, sicut si in propria specie videretur.

XLVIII. Veritatem hanc definiverunt Trident. Concilii PP. in cap. 5. & in can. 6. Sess. XIII. fundamento deducto ex illis Scripturarum locis, in quibus ad Hebr. 1. ab Angelis, Matt. 2. & 28. Lucæ 24. & Joan. 6. ab Hominibus Christus in terris dicitur adoratus. *Illum enim eumdem Deum*, ita loquuntur Tridentini PP. *præsentem in hoc Sacramento adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit*: & Adorent eum omnes Angeli Dei, *quem Magi procidentes adoraverunt, quem in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur, & quem denique constanti omnium Sæculorum traditione Ecclesia semper, & ubique in Eucharistia adoravit*. *Accede*, inquit Cyrillus Jerosol. Catechef. 5. Mystagog. *pronus adorationis in modum, & venerationis*. *Veneramur ipsum*, scribit Damascenus in libro 4. cap. 14. *tum animæ tum Corporis puritate*. Et Eusebius Emissenus Homil. 5. de Paschate, & Augustinus de Consecrat. Distinct. 2. cap. *nos autem*, inquit, *in specie Panis, & Vini, quas videmus res invisibiles, ideft Carnem, & Sanguinem honoramus*. Ejusdem adorationis Christi in Sacramento agit idem Augustinus in Epist. 120. de gratia N. T. c. 27. ubi scribit super illa verba Prophetæ: *manducaverunt, & adoraverunt omnes divites terræ: ipsi quoque adducti sunt ad Mensam Christi, ut acciperent de Corpore, & Sanguine ejus, sed adorant tantum, neque enim saturantur, quia pauperes non imitantur, de quibus alibi legitur: edent pauperes, & saturabuntur*. Pluribus in locis de eadem Eucharistiæ adoratione dixerunt etiam Chrysostomus, Nazianzenus, Theodoretus Cyrensis Episcopus, & confirmatur ex antiquo Ecclesiæ ritu, & consuetudine elevandi Hostiam apud Latinos statim post Consecrationem, & apud Græcos paullo ante Communionem, ut Populus fidelis, qui statim Christum credit præsentem, illum adoret. Dixi ex antiquo tempore, cum hujus ritus exordia innotescant apud Dionysium c. 3. Eccl. Hierar. *Pontifex divinissima consecrat Mysteria, & in aspectum ducit, quæ*

celebravit, apud Basilium lib. de Spiritu S. c 27. *invocationis verba cum ostenditur Panis Eucharistiæ, & poculum Benedictionis quis Sanctorum in scripto nobis reliquit?* Apud S. Germanum in contemplatione rerum Ecclesiasticarum circa finem, apud Anastasium Synaitam Sermone de sacra Synaxi, & apud alios. Non solum antiqua Ecclesiarum traditio testatur ritum adorationis Eucharistiæ, sed etiam ritum orandi, & invocandi Christum in Eucharistia quando a Sacerdote elevatur. Id constat ex Liturgiis Jacobi, Basilii, & Chrysostomi. Constat ex Liturgiis Maronitarum, & Æthiopum, & ex diversarum Ecclesiarum Statutis pro sonitu Campanulæ ad Elevationem Sacramenti. Extat hac de re Statutum Guillelmi Parisiensis Episcopi relati in Tomo VII. Conciliorum Binii p. 1. c. 14. *Sicut alias statutum fuit, in Celebratione Missarum, quando Corpus Christi elevatur, in ipsa elevatione, vel paullo ante Campana pulsetur, ut sic mentes fidelium ad orationem excitentur.* Agit de eodem ritu Ivo Carnotensis in 142. suarum Epistolarum. Initio Sæculi XII. invaluit ritus idem in Gallia. In Germania introductus est Sæculo XIII. ut refert Odoricus Raynaldus T. XIII. Annalium Eccles. Adorationem etiam Eucharistiæ probat antiquissimus ritus observatus ab illis, qui communicaturi erant, nam hi omnes, ut ex citatis Liturgiis manifestum est, prius Christum in hoc Sacramento adorabant, ad quem ritum respiciunt superiora Augustini verba: *ipsi quoque adducti sunt ad Mensam Christi &c.* Hæc quæ diximus de Christi adoratione in Eucharistia, extendimus ad adorationem ejusdem Sacramenti Eucharistiæ, scilicet ad adorationem Specierum Eucharisticarum; quare Concilium Viennense in Clementina unica de Reliquiis, & Vener. S. *Eucharistiam* vocat *adorandam, hoc reverendum excellentissimum Sacramentum.* Alexander Papa in sua Epistola 1. c. 4. *pura mente*, ait, *sumendam esse, atque ab omnibus venerandam oblationem, & sicut potior est ceteris, ita potius excoli, & venerari debere*; & Cyprianus in Sermone de Cœna Domini, *sicut* inquit, *in Persona Christi humanitas videbatur, & latebat divinitas; ita Sacramento visibili ineffabiliter Divina se infudit essentia, esset Religioni ad Sacramenta devotio, & ad veritatem, cujus Corpus Sacramenta sunt, sincerior pateret accessus.* Omitto, quæ in hanc rem scribunt Emesenus, Augustinus, Ambrosius, plurimique ex PP. cum constans sit, & unanimis in hac re illorum Sententia; & ratio per se patet, nam hoc Sacramentum ex Christo, & speciebus coalescit: ergo totum debet adorari, Christus principaliter, Species tamquam Christo conjunctæ, & cum illo unum componentes, quod l. c. non abhorruerunt ipsi Tridentini PP. qui non sub nomine Christi, sed sub nomine Sacramenti docent Sacramentum hoc esse adorandum. *Nullus*, inquiunt laudati Patres *dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto Latriæ cultum, qui vero Deo debetur huic Sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant.* Ex quibus verbis Concilii patet etiam exteriori cultu, non vero solum interno Sacramentum hoc adorari debere, qualis est Latriæ cultus, qui soli Deo debetur, & Sacramento Altaris, qui cultus Animo, & Corpore constat, nam Animi, & Corporis actibus hoc Sacramentum colere debemus. Aliquos ex his cultibus idem Concilium Tridentinum indicit, dum loco citato addit: *pie, & Religiose admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam, & Festo die præcelsum, hoc & venerabile Sacramentum singulari veneratione, ac Solemnitate celebraretur, atque in Proces-*

cessionibus reverenter, & honorifice illud per vias, & loca publica circumferatur. Æquissimum est enim Sacros aliquos statutos esse dies, cum Christiani omnes singulari, ac rara quadam significatione gratos, & memores testentur animos erga communem Dominum, & Redemptorem pro tam ineffabili, & plane Divino beneficio, quo mortis ejus victoria, & Triumphus repræsentatur. Atque sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio, & Hæresi Triumphum agere, ut ejus Adversarii in conspectu tanti splendoris, & in tanta universæ Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati, & fracti tabescant, vel pudore affecti, & confusi aliquando resipiscant. Momenta hæc a Tridentino Concilio exposita Urbanus Papa IV. exposuerat A. 1264. in sua Bulla, qua Festivitas Corporis Christi legitur instituta; nisi quod aliud momentum addidit hujus Festi in honorem C. Ch. instituti, scilicet *resarciendæ quotidianæ in Eucharistiam irriverentiæ*. Circumferendi Corporis Christi morem in Processionibus, de quo agit idem Concilium Tridentinum post Urbanum cœpisse probabile est, nihil enim de illo agit Urbanus, atque Auctores Urbani suppares de hoc penitus siluerunt. De illo loquuntur Martinus V. & IV. Eugenius, ille in sua Bulla A. 1429. quæ incipit ineffabile Sacramentum, hic in sua Constitutione *Excellentissimo*, quam A. 1433. edidit. Ab initio Corpus Christi in Calice seu vase aliquo absconditum deportatum fuisse Thiersius scribit in singulari Tractatu, quem de Sanctissimi Altaris Sacramenti expositione edidit Videntur tamen huic narrationi officere ea, quæ leguntur in quibusdam antiquissimis Missalibus Ecclesiarum Rothomagensis, & Melodunensis, & in Ordinario Silvanectensi, ubi legitur: *tum fiet Processio in Cappis sericis, in qua Sacratissimum Corpus Christi in aperto Vasculo positum defertur ab Episcopo, vel Decano, vel antiquiori Canonico reverenter*. Attamen Thiersii opinio suis non destituitur fundamentis, quæ nituntur tum in Constitutionibus Ecclesiæ Levomicensis scriptis A. 1470. tum in Ordinario Ecclesiæ Rurecurtensis. Processionem hanc subsecuta est publica Sacramenti expositio, quæ quando incœpit locum habebat in Missa Solemni, ut constat ex Ordinario Ecclesiæ Argentinæ A. 1364. scripto; postea a primis vesperis, & per totam Octavam Corporis Christi exponi cœpit. Apud Græcos, neque Processio, neque expositio Sacramenti est in usu. Græci nunquam illud intuentur, nisi cum facta Consecratione, a Sacerdote proponitur adorandum. Tandem in hac materia Adorationis Sacramenti observandum est, quod pro varietate consuetudinum diversi sunt ritus colendi hoc Sacramentum; quare ad cavendam tum superstitionem, tum indecentiam, uniuscujusque Ecclesiæ consuetudo servanda est, & unusquisque secretò illis actibus uti potest, qui ad augendam, promovendamque Devotionem quamquimaxime conducunt.

XLIX. Nihil vero obest quod opponant Hæretici Christum non esse adorandum in hoc Sacramento, quia hujus adorationis nullum speciale præceptum instituit. Non enim requirebatur hoc speciale præceptum, cum satis sit scire, & credere in hoc Sacramento Corpus Christi verum contineri, ut intelligamus illud esse adorandum. Magi Christum cognoverunt in Præsepio jacentem, & adoraverunt, Cæcus illuminatus, ut illum cognovit procidit, & adoravit, adoravit eumdem Leprosus, qui rogabat ut ipsum vellet mundare, & Princeps ille, cujus filia mortua fuerat, dum illum rogabat, ut veniret, & imponeret manum suam super illam, & viveret, plurimique alii illum adoraverunt. Præceptum de Christo adorando innititur legi naturali

ex qua tenemur Deum colere, & sancta sancte tractare. Falsum omnino est adorationem Christi in Sacramento fuisse imperatam ab Honorio III. & paullo post ab Urbano IV. Legatur caput *sane* de Celebrat. Missarum, & constabit Honorium tantummodo monuisse, ut Ecclesiarum Pastores caverent ne Sacramentum suo honore fraudaretur. Hæc sunt ejus verba: *honorifice tractent, & plebem doceant: ut cum in celebratione Missarum elevatur Hostia salutaris reverenter inclinet, idem faciens cum eam defert Presbyter ad infirmum.* Quartus certe Urbanus, antea dictus Jacobus Trecensis, & Ecclesiæ Leodiensis Archidiaconus, instituit fortasse, seu potius confirmavit Festum Corporis Christi (constat enim Festum hoc debere Leodiensibus suam primam originem, qui ante omnes Ecclesias illud receperunt hortante S. Juliana Montis Cornelii apud Leodium sanctimoniali, & promovente Roberto ejusdem Civitatis Episcopo, & Ugone S. R. E. Cardinali ad partes Alemanniæ a Summi Pontificis Latere Legato destinato) & post ipsum Clemens V. in Concilio Viennensi aliis fundamentis, quæ legi possunt in Clementina unica de Reliquiis, & veneratione Sanctorum. Nec quidquam prodest importuna Sacramentariorum instantia, qua ex Christi adoratione in Sacramento inferre contendunt Creaturam omnem esse adorandam, quia in omni Creatura reperitur Deus, nam ut omnibus patet, maxima in his rebus disparitas est. In Eucharistia siquidem unum tantum suppositum est, idque Divinum, cetera omnia ad illud pertinent. In Creaturis omnibus Deus quidem est, sed non est unum suppositum cum illis, neque Deus, & Creatura unum sunt. Præterea non bene infertur, ex eo quod hoc Sacramentum adorandum sit, quod alicui Creaturæ Latriæ cultus exhibeatur; nam quando dicitur Sacramentum, intelligitur præcipua ejus pars, scilicet Corpus Christi, non autem pars minus præcipua; quare ad hanc præcise, scilicet ad solas species Panis, & Vini non dirigitur hæc adoratio Latriæ, sed ad illas, quatenus sub illis latet Corpus Christi, quæ adoratio assimilari potest illi, quam exhiberemus Christi Vestibus, si Christus adesset illis indutus. Idem dicendum esset, si Corpus Christi unitum non esset substantialiter Verbo, Humanitas Christi non posset adorari cultu Latriæ: hinc est quod Cyrillus tanquam Idololatram Nestorium habuit, quod Christi humanitatem adoraret, cui accidentalem cum Verbo unionem concedebat, non autem substantialem, quemadmodum nos Catholici profitemur, & propterea immerito tanquam Idololatræ ab Hæreticis traducimur. *Non Creaturam*, ita scribebat Anastasius contra Arianos in Epistola ad Adelphium, *absit. In Ethnicos, & Arianos istiusmodi delirium competit, sed Dominum rerum Creatarum incarnatum Dei Verbum adoramus. Nam tametsi caro ipsa per se pars sit rerum Creatarum, attamen Dei Corpus effecta est, neque hujusmodi Corpus seorsim discriminatum a Verbo adoratione prosequimur, neque Verbum adoraturi Verbum a Carne longe seponimus, sed cum sciamus Verbum Caro factum esse, hoc ipsum etiam in Carne positum Deum agnoscimus.* Idem proportionaliter dicendum est, de speciebus Eucharisticis, quæ cum reipsa semper sint conjunctæ Christo, semperque per modum unius simul, cum illo objiciantur, ideo regulariter, & juxta ordinarium modum nunquam per se, nec distinctæ actu adorantur, sed simul adorantur illo eodem actu absoluto, quo solemus Christum adorare, quod si illas mente separaverimus, illas tamquam res sacras adorabimus, quemadmodum cetera Sacramenta, seu Sacra signa veneramur, ut ex VII. Synodo colligitur, ex Dionysio cap. 3. de

de Ecclef. Hjerar. Auguftino lib. de Catechizandis rudibus c. 26. & Damafceno Oratione de Imaginibus.

C A P U T VI.

DE MINISTRO SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

Nihil excogitari inverecundius, & proferri infolentius poterat, quam Laicos quofcumque Sacramenti Euchariftiæ effe Miniftros. Waldenfibus attribuitur hæc Stultitia, apud quos *omnis Laicus bonus eft Sacerdos*, ut Raineras ait in Capite 5. libri, quem contra hos Hæreticos fcripfit, e contra vero fi malus fit Euchariftiam non poteft conficere, & in hoc differunt Waldenfes a Lutheranis, apud quos Chriftianus quilibet, etiam improbus, a Baptifmo poteftatem habet confecrandi Euchariftiam, in cafu tamen neceffitatis, extra quem Lutherus vult, quod nemo Officium hoc fibi fumat, nifi fit vocatus legitime; quamquam tamen etiam non vocatus vere conficiat, ut verum effet Sacramentum, *etiam fi effet Diabolus, qui conficeret*, quod dum fcribit impius homo in libro de Miffa privata, & unctione Sacerdotum, nefcio an hoc fit deterius, quam dicere etiam fœminis hanc poteftatem ineffe, quod jam dixerunt Montaniftæ, Marcitæ, & Collyridiani apud quos nonnullæ Mulieres Sacerdotio honorabantur, ut fcribit Auguftinus libro de Hærefibus ad *Quod vult Deum* Hærefi 27. Irenæus adverfus Hærefes libro 3. & Epiphanius, qui Hærefi 79. *Quadam Mulieres*, inquit, *currum quemdam, five fellulam quadratam ornantes, expanfo fuper ipfum linteo in die quadam illuftri anni per aliquot dies Panem proponunt, & offerunt in nomen Mariæ, omnes autem Pani participant.*

§. Unicus *Catholicum Dogma eft, Solos Sacerdotes effe huic muneri deftinatos per Prefbyteralem Ordinationem, folos ipfos Euchariftiam conficere, & miniftrare.*

I. Veritas hæc ut demonftretur, animadvertendum eft cum Auguftino libro 3. de doctrina Chriftiana cap. 17. *hoc effe in obfervationibus intelligendarum Scripturarum, ut fciamus alia omnibus communiter præcipi, alia fingulis quibufque generibus Perfonarum, & difcernere inter hæc, fpectare plurimum ad antiquiffimam, & filentem traditionem, præfertim fi Scriptura defit, vel fortaffe clara non fit*, Nobis certe clariffima videntur illa Scripturæ verba ex quibus petimus præcipuum refponfionis noftræ fundamentum: *Hoc facite in meam Commemorationem*, quæ verba folis Apoftolis, eorumque in Sacerdotio fucceffuribus dicta fuiffe non temere arbitramur, ut benedicerent, fumerent, & diftribuerent Panem, non fecus ac ipfe Chriftus Dominus egerat, ut fcilicet fenfus fit illorum Verborum, quæ ego feci facite vos, non confulentis in morem, fed ad inftar imperantis, ut cum, facerent, non Confilio, fed Domini viderentur obfequi Imperio, & qui antea id facere non poterant, Sacrificandi facultate carentes, deinde facerent Sacerdotio initiati, ne illius quod Chriftus fecerat memoria interiret. *Apoftoli*, inquit Juftinus in Apolog. 2. *in*

x. *in suis scriptis, quæ vocantur Evangelia sic sibi mandasse Jesum tradiderunt, sumptoque Pane, actisque gratiis dixisse: Hoc facite*. Neque diversimode hoc factum exponit Clemens in cap. ultimo libri 8. suarum Constitutionum, & ita semper intellexit Ecclesia tum in Concilio Nicæno 1. c. 18. tum in Lateranensi in cap. *firmiter* tum in Florentino in Decreto Eugenii IV. & in Tridentino ubi PP. hæc scripserunt in primo cap. Sess. XXII. *Apostolis, eorumque in Sacerdotio Successoribus, ut offerrent, Deus, & Dominus noster præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit*, quare laudatus Clemens loco citato libro 2. cap. 28. sive 31. dixit: *Laicum, qui sine Sacerdote tentat Sacrificare, vel offerre nihil facere*, & Cyprianus Epist. 77. solis Sacerdotibus tribuit Sacrificare, & offerre, & Isidorus in cap. *perlectis* distinc. 25. *Ad Presbyterum*, inquit *pertinet Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini in Altari Dei conficere*. Neque hujus Divinæ institutionis, Divinique mandati deficit ratio. Hanc D. Thomas exponit hic q. 82. a. 1. *Quia hoc Sacramentum est tantæ dignitatis, quod non conficitur nisi in Persona Christi. Quicumque autem aliquid agit in Persona alterius oportet hoc fieri per potestatem ab illo concessam. Sicut autem Baptizato conceditur a Christo potestas sumendi hoc Sacramentum; ita Sacerdoti cum ordinatur confertur potestas Sacramentum consecrandi in Persona Christi. Per hoc enim ponitur in gradu eorum, quibus dictum est a Domino*: hoc facite in meam commemorationem. *Et ideo dicendum est, quod proprium est Sacerdotum conficere hoc Sacramentum;* non vero cujuslibet hominis, quia non naturaliter id convenit homini, sed supernaturaliter, & propterea nullibi legitur, quod hæc potestas hominibus omnibus, aut omnibus fidelibus, & Baptizatis data sit, sed solis aliquibus præordinatis Personis, juxta illud Pauli ad Heb. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*. Oportet ergo, quod a Scripturis, & a Traditione recedat, qui aliis quam Sacerdotibus Sanctificandi Oblata munus attribuit, aut Traditionem ipsam, & Scripturas in alienum sensum detorqueat; quod cum cognovisset Hilarius quidam Luciferianorum Sectæ Auctor, a qua Sacerdotes omnes arcebantur, licet ipse esset Diaconus, nunquam tamen Eucharistiam conficere ausus est, ut scripsit Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos. Imò Calvinus in lib. 4. Inst. c. 1. §. 22. & c. 3. §. 10. & alibi, sicut etiam Henricus Bullingerus Decade 5. Serm. 8. & 9. Eucharistiam non conficere illos docent, qui publico Ministerio ad hoc non sint destinati; & Martinus Kemnitius, aliique ex Lutheranis potius abstinent ab hac controversia, ne id, quod se sustinere non posse vident, ita cogantur defendere, ut a Luthero se palam dissentire videantur.

II. Qui tamen inter Hæreticos audaciores audiri volunt, contendunt D. Paulum illorum opinioni favere. Hic enim in sua 1. Epist. ad Cor. c. 11. verba Christi referens: *Hoc facite in meam commemorationem*, talibus circumstantiis illa circumscribit, ut clarum sit Christum D. non solis Apostolis hæc dixisse, ut mandatum inde acciperent de Consecranda Eucharistia, sed fidelibus omnibus, ut memores Passionis suæ ad Sacram Mensam accederent. Cum enim vidisset Apostolus apud Corinthios fere obliteratam memoriam ritus Divinæ Cœnæ manducandæ, plurimosque inde abusus irrepsisse, ut hæc inconvenientia divelleret, se a Domino accepisse ait, quod illis traderet, scilicet non quod unusquisque suam Cœnam præsumeret ad mandu-

can-

candum, ſed ut illam Cœnam acciperent, & manducarent, quæ eſſet rememorativa Dominicæ Cœnæ. Neque id repugnare addunt, vel conditioni Perſonarum, vel Evangelicæ lectioni; quod enim ſcribitur a D. Paulo, antea traditum fuerat a S. Matthæo, qui eodem modo poteſtatem conficiendi Euchariſtiam in cap. 26. exponit datam Apoſtolis, ut in capite ultimo exponit eiſdem datam poteſtatem, ut Gentes omnes docerent, & baptizarent. Nullus autem eſt qui ignoret ſecundam hanc poteſtatem, non ad ſolos Apoſtolos, ſed ad omnes homines pertinuiſſe; ita ad omnes homines ex evangelica lectione erui debet, etiam primam poteſtatem pertinere, cum apud Deum nulla ſit diſtinctio, vel *Perſonarum acceptatio, idem enim eſt Dominus omnium*; quare D. Petrus in ſua prima Epiſtola cap. 2. vocat omnes baptizatos, *Genus electum, Regale Sacerdotium*, & D. Joannes in ſua Apocalypſi cap. 2. ait, quod Dominus *fecit nos Regnum, & Sacerdotes*, ut intelligeremus, hoc munus nulli fuiſſe addictum conditioni, & ſtatui Perſonarum, ut revera locum hunc ita intellexit Tertullianus in libro de exhortatione Caſtitatis c. 7. quam Caſtitatem cum ex multis cauſſis, tum etiam ex hac inducit, quia, inquit, *Nonne, & Laici Sacerdotes ſumus? Scriptum eſt Regnum quoque, & Sacerdotes Deo, & Patri ſuo fecit. Differentia vero inter ordinem, & plebem conſtituit Eccleſiæ Auctoritas, & honor per ordinis conſeſſum Sanctificatus; adeo ut, ubi Eccleſiaſtici ordinis non eſt conſeſſus, & offers, & tingis, & Sacerdos es tibi ſolus, ſed ubi tres, Eccleſia eſt, licet Laici. Unuſquiſque enim ſua fide vivit. Igitur ſi habes jus Sacerdotii, in te metipſo, ubi neceſſe eſt, habeas etiam oportet diſciplinam Sacerdotis.* Jam ubi Caſus neceſſitatis urgeat habent Adverſarii, quomodo in ſuas partes trahant canonem 2. Ancyrani Concilii. Statuitur in hoc canone, quod *Diaconi, qui immolaverunt, honorem quidem habeant, ceſſare vero ab omni Sacro Miniſterio, ſive a Pane, ſive a Calice offerendo, vel Prædicando. Quod ſi quidam Epiſcoporum conſcii ſunt laboris eorum, & humilitatis, & manſuetudinis, & voluerint eis aliquid amplius tribuere, penes ipſos erit poteſtas.* Habent præterea canonem 15. Concilii I. Arelatenſis. *De Diaconibus, quos cognovimus multis in locis offerre, placuit minime fieri debere.* In his canonibus apparet, quænam eſſet veteris Eccleſiæ Diſciplina, cujus etiam teſtis eſt Theodoretus in cap. 23. libri 2. ſuæ Hiſtor. Eccleſiaſt. ubi ſcribit: *Frumentium adoleſcentem in Indiis commorantem Italos quoſdam chriſtianos Mercatores, qui illuc appulerant, invitaſſe ad Divinorum celebrationem*, a quibus neque abſtinuit Sancta Petronilla, cum diem extremum in carcere obiit, ut ejus Acta teſtantur.

III. Ceterum his argumentis non adducimur, ut contra noſtra ſtatuta veterem opinionem deſeramus. Apoſtoli auctoritate petita ex ejus Epiſtola ad Corinth. Adverſarii abutuntur; quemadmodum etiam traducunt Petri, & Joannis teſtimonia, quorum verum ſenſum expoſuimus jam in Prolegomenis Cap. III. §. II. N. IV. Quod abutantur auctoritate Apoſtoli patet non ignoranti uſum illorum temporum Agapas ante Sacram Cœnam celebrandi. Ibi enim Apoſtolus Dominicam Cœnam eorum vocat, qui conveniebant ad commune convivium in Eccleſia agendum. In quo non aliud reprehendit quamquod unuſquiſque propriam prius ſumebat Cœnam, adeo ut, alii quidem eſurirent, alii vero ebrii eſſent, ex quibus verbis patet eos prius cœnaſſe, deinde Euchariſtiam in illis Conviviis ſumpſiſſe, & Euchariſtiæ quidem in commune omnes participes fuiſſe, non Cœnæ illius, quæ præcedebat, & non

nus, nec communis omnium erat, cum unusquisque, quod Domo attulisset privatim ederet. Voluit autem Apostolus omnes in commune vesci, ut divites tenerentur sua abundantia inopes refocillare. Quod deinceps ex Apostoli præcepto emendatum fuit, & Agapes apud omnes ita institutæ, ut in commune epularentur tam divites quam pauperes. Nihil itaque ex hoc loco Heterodoxi proficiunt, nihilque detrahitur Catholico Dogmati, & satis appare Apostolum Paulum Auctoritatem consecrandi oblata ad Laicos non extendisse, qui tamen dum participant de Sacris Mysteriis, id ipsi quoque faciunt in Dominicæ Passionis memoriam. Quod si dicat Apostolus se a Domino accepisse, quod & traderet Corinthiis, per hæc verba non significat omnibus fuisse traditam Potestatem consecrandi, sed omnibus traditum, idest dictum, explicatum, & declaratum id, quod Dominus instituerat. Inscitiam suam certè prodit, qui Sacerdotium visibile, & externum a Spirituali, & omnibus Christianis communi nescit distinguere, ad quod respiciunt reliqua ex Scripturis petita testimonia; cum præsertim etiam in lege veteri habeatur utriusque Sacerdotii discrimen. *Regnum Sacerdotale, & Gens Sancta* Judæi omnes a Deo vocantur Exodi 19. Ergo ne Judæi omnes erant Sacerdotes? Neque ergo Christiani omnes vere, ac proprie sunt Sacerdotes, quamvis S. Petrus eos Regale Sacerdotium vocaverit. In Ministerio enim ad aliorum salutem, & ædificationem Christianam Sacerdotium positum est his verbis a Christo institutum *hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis collata est Apostolis potestas offerendi Sacrificium, quod præcipuum Sacerdotii munus est secundum illud Apostoli ad Heb. 5. *omnis Pontifex ex Hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum ut offerat Dona, & Sacrificia pro Peccatis*. Ejusdemque Sacerdotii a Christo consummata potestas est his verbis: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis Peccata remittentur, eis, & quorum retinueritis retenta sunt*, quam potestatem ad omnes Christianos non pertinere manifestum est. Hanc semper fuisse Ecclesiæ Cath. fidem, ac doctrinam Ignatius Martyr, Cyprianus, & Epiphanius in suis Epistolis expresserunt, quibus additur Chrysostomus in libro 3. de Sacerdotio, Hjeronymus in Dialogo adversus Lucifer. Augustinus lib. 2. contra Epistolam Parmeniani c. 13. & S. Gaudentius Brixiensis Episcopus Sermone 2. in Exodum, & luculentissime id probat Joannes Roffensis Episcopus in libro de Sacri Sacerdotii defensione contra Lutherum. Nobis sufficere potest animadvertere, quod si ad Sacram Eucharistiam conficiendam fideles omnes in Baptismo inaugurarentur, inanem operam insumpsissent Concilia illa, quæ Sacrarum Ordinationum Ritum tradunt, nihilique faciendi essent antiquissimi Rituales libri, in quibus Episcoporum, Presbyterorum, Sacrorumque Ministrorum Ordinationes leguntur. Denique Gentium omnium Christianarum, etiam a R. Ecclesiæ Communione divulsarum consensus reprobandus esset, Græcorum, Syrorum Nestorianorum, Syrorum Jacobitarum, & Eutychianorum, Merchitarum, Cophtorum, seu Jacobitarum Ægyptiorum, Æthiopum, Armenorum Moscovitarum in Sacris Ordinationibus admittendis, quod cum non sine maxima impudentia dici possit, dicendum erit non Christianis omnibus, sed selectis Ministris ab Ecclesia consecratis a Christo Domino dictum fuisse: *hoc facite in meam commemorationem*.

IV. Ad paritatem petita ex administratione Baptismi, a qua facultate nullus hominum excluditur facile respondetur, id Divina providentia, & volun-

luntate factum esse, ne in casu necessitatis sine tanto Sacramento aliquis interiret; hæc necessitas locum non habet in Eucharistia, & propterea ab illa conficienda Laici omnes arcentur. Neque ex validitate Babtismi a Laico collati etiam extra casum necessitatis quidquam inferatur contra principalem propositionem. Prima enim ratio hujus validitatis legitur in cap. *Romanus* de consecrat. distinct. 4. *Romanus Pontifex non hominem judicat, qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam Baptismi, etiamsi Paganus sit qui baptizat*. Secunda habetur in discrimine Baptismi ab Eucharistia, illud enim Sacramentum iterari non potest. Tertia ratio est quia facultas Babtizandi est absoluta Potestas ministerialis, ad conficiendum tale Sacramentum, quæ non limitatur secundum substantiam, vel facultatem suam ad casum necessitatis, hæc enim potestas data est a Christo per solam institutionem, & extrinsecam deputationem, seu voluntatem suam, quæ ad hunc effectum æque sufficiens, & efficax esse potest. His accedit non dedisse tunc Christum Dominum *potestatem* Apostolis baptizandi cum ait: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos &c.* quæ est necessaria, ut Sacramentum teneat, quemadmodum tunc eisdem Apostolis facultatem dedit in suum Corpus Verum, ut illud consecrarent, & ceteris distribuerent quando ait: *Hoc facite in meam commemorationem*, illam enim potestatem multo ante habuerunt Apostoli, qui vivente Christo baptizabant; unde creditur Christum hanc potestatem hominibus dedisse ab eo tempore, quo ipse vim regenerativam aquæ attribuit, ut per voluntatem suam posset quilibet esse Minister sufficiens hujus Sacramenti. Jus postea illud administrandi ex Officio post suam Resurrectionem Apostolis impertitum esse, vel Episcopis, vel Sacerdotibus. Ex hac igitur observatione patet ratio disparitatis, & quam frivola sit Novatorum difficultas. Ad id quod additur de Personarum acceptatione dicimus, quod ubi agitur de Ministris Sacramentorum instituendis, non solum observatur, sed imperatur Electio: *Segregate mihi*, in Actis Apostolorum cap. 13. dixit Spiritus S. *Saulum, & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos*, & Paulus ad Timotheum 5. *nemini cito manum imposueris*, & suo exemplo Christus Dominus demonstravit, cum duodecim elegit, quos, & Apostolos nominavit; hinc Canonicæ Sanctiones, & Conciliorum decreta statuunt, ut Ecclesiis, & Sacris Altaribus illi assignentur Ministri, qui scientia, & probitate præesse aliis, & exemplo esse sciant, qui Ecclesiasticis muneribus perfungi queant, & ne quid faciant, quod possit regulis Patrum obviare, e contra repellantur, & non assumantur illiterati juxta illud, quod legitur, *quia tu repulisti scientiam repellam, & ego te, ut non fungaris mihi Sacerdotio*, & ii ejiciantur, quorum probitas, & mores bono exterorum schemenio non commendentur.

V. Oscitanter certe Novatores Tertulliani Auctoritatem reponunt, quem derisisse illorum morem apertissime constat ex capite 41. libri de Præscriptionibus Hæreticorum. Sic itaque loquitur de illorum Ordinationibus, *Ordinationes eorum temeraria, leves, inconstantes, nunc Neophytos collocant, nunc Sæculo obstrictos, nunc Apostatas nostros; ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quam in Castris rebellium, ubi ipsum esse illic promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius, hodie Diaconus, qui erat Lector, hodie Presbyter, qui erat Laicus, nam & Laicis Sacerdotalia munera injungunt*. Nunquam hæc Tertullianus scripsisset,

si quod

si, quod Novatores optarent, illorum voluisset errori suffragari. Scripsit tamen in loco ab Adversariis citato: *Nonne, & Laici Sacerdotes sumus?* Utique hæc scripsit, sed minime hoc Lutheri Heresi favere potest, siquidem intelligi debent hæc verba, ut illa interpretatur Pamelius; *quod scilicet Reges, & Sacerdotes Spiritales Fideles omnes censeantur, utpote qui Sacrificia Spiritualia offerunt*; alioquin eodem argumento posset quis concludere omnes Reges esse. Hujus expositionis veritatem satis indicat Auctor verbis sequentibus, quæ proferuntur ab Adversariis, & ita a Pamelio corriguntur. *Differentiam inter ordinem, & plebem constituit Ecclesiæ Auctoritas, & honor per ordinis consessum Sanctificatus a Deo: ubi Ecclesiastici ordinis est consessus, & offert, & tingit Sacerdos, qui est ibi solus*. Verum potest etiam literalis sensus sustineri, dummodo in qua persona hoc dixerit Tertullianus dignoscatur. Hanc itaque personam in lib. de Monog. explicat c. 12. *Quum extollimur, & inflammamur adversus Clerum. Tunc unum Corpus sumus; tunc omnes Sacerdotes, quia Sacerdotes nos Deo, & Patri fecit: Quum ad perequationem Disciplinæ Sacerdotalis provocamus, deponimus Infulas, & pares sumus*; satis superque indicans, Laicos propterea Sacerdotes dici, quod ad Disciplinam Sacerdotalem teneantur. Huc pertinet etiam, quod infra sequitur in laudato c. 7. de exhort. Castit. *Dicam, omnes nos Deus ita voluit dispositos esse, ut ubique sanctiones ejus obeundi sit Disciplina. Usque adeo nisi Laici ea observant, per quæ Presbyteri adleguntur, quomodo erunt Presbyteri, qui de Laicis adleguntur?* neque aliud est id, quod in eundem locum scripsit Hieronymus: *Quamquam Lege Sacerdotali tenetur & Laicus, qui talem præbere se debet, ut possit eligi in Sacerdotium*. Non autem eligitur, si Digamus fuerit: porro eliguntur ex Laicis Sacerdotes: ergo & Laicus tenetur mandato, per quod ad Sacerdotium pervenitur. De eadem differentia *inter ordinem, & plebem* plurima scribit Tertullianus in cit. lib. de Præscrip. c. 40. & 41. cum de Ordinis Sacramento, & singulis ejusdem gradibus. Agit etiam in lib. de Orat. de Corona Militis c. 3. & in lib. de Veland. Virgin. aliisque in locis. Quod vero dicat *Laicum offerre, & tingere*, affirmat illud, quod erat in more illorum temporum. Jam de Oblationibus nos supra egimus in CAP. III. §. II. N. VIII. & infra agemus de more tingendi, quod pertinet ad Eucharistiæ sumptionem.

VI. Sed neque in Casibus necessitatis unquam consuevit Ecclesia Laicis concedere, ut Eucharistiam conficerent, imò neque Diaconis: oportet itaque, ut nesciant Novatores, quid dicant, dum has Ecclesiæ permissiones fingunt; & revera nullum exemplum in medium afferunt, e contra vero nos exemplum habemus caruisse Catholicos Eucharistia in summis etiam necessitatibus, Sacerdotibus ex suis sedibus exturbatis, quod contigit temporibus Valentis Imperatoris Ariani, ut Scribit Theodoretus lib. 4. suæ Histor. Legimus etiam urgentibus necessitatibus magna diligentia curatum esse a Pastoribus Ecclesiarum, ut Christiana plebs non careret Sacerdotibus, ne simul etiam hoc Sacramento privaretur, ut constat ex Epist. 180. Augustini ad Honoratum, & ex Epistola Epiphanii ad Joannem Jerosolymitanum. A Laicis, & Diaconis in casu necessitatis Eucharistiam ministratam fuisse certe legimus, sed nullum affertur Documentum, quo probetur Diaconos ex Indulgentia Ecclesiæ Eucharistiam administrasse, quia cum hoc Sacramentum, ut supra dicebamus, non sit necessitatis simpliciter, non oportuit, ut propter alicujus ne-

cel-

cessitatem, ejus consecratio aliis, quam Sacerdotibus committi possit. Adversariis tamen canones Conciliorum venditant, & monumenta Historiarum, sed hæc multo ambigua sunt, nec illi ipsi Auctores, a quibus petuntur, hæc referunt. Divinorum Celebratio magis late patet, quam Eucharistiæ confectio; ita ut nisi voluerimus asserere, aut Frumentium Sacerdotem fuisse, quod non esset improbabile, aut una cum Mercatoribus adfuisse Presbyterum, dicere oportebit Italos Mercatores ad persolvendas Divinas laudes fuisse invitatos, quod illi præstant, qui Divinis intersunt Officiis, Orationibus, & Concionibus. Et revera solius Orationis meminit hujus Facti Scriptor præcipuus Ruffinus in lib. 1. suæ Hist. c. 9. Nec aliud addunt ii, qui narrationem a Ruffino mutuarunt, laudatus Theoderetus, Sozomenus, & Nicephorus. Ex vita S. Petronillæ constat Sacerdotem, qui ad illam invisendam quotidie venerat Sacra celebrasse Mysteria; quare neque ex hoc Facto quidquam inferri potest pro Adversariorum Sententia, quam neque minus erroneam, & falsam probant relati canones, cum in illis agatur de Fidelium Oblationibus, quas Diaconi excipiebant, & ad Sacrum Altare deferebant, vel de distributione Eucharistiæ. Quod si canones illi intelligendi sunt de stricta Oblatione, nullus est, qui ignoret Ecclesiæ Ritum in Missa Solemni, in qua Diaconus Sacerdoti Calicem offert, & deinde Sacerdos una cum Diacono eundem offert Deo. Nullam etiam Oblationem præter hanc esse intelligendam eruitur ex contextu canonum ejusdem Ancyrani Concilii; nam in canone 1. in quo agitur de Presbyteris lapsis simpliciter statuitur, quod illis non liceat offerre; in 2. vero canone, in quo agitur de Diaconis lapsis decernitur, ut cessent a Pane, sive Calice offerendo. Offerre simpliciter idem significat ac Eucharistiam conficere; hac enim voce utuntur Concilia, dum agunt de Sacrificii oblatione. Hæc legitur in canone 8. & 13. Neocæsariensis Concilii A. 319. in quibus decernitur, quod Presbyter, qui ante suam Ordinationem in peccatum carnis se lapsum esse confessus fuerit ab oblatione Sacrificii abstineat, & quod Presbyteri Ruris Sacrificium non offerant, vel Eucharistiam porrigant in Ecclesiis Civitatis. Cessare a Pane, sive Calice offerendo idem est ac prohiberi a suo Ministerio, ut legitur in c. 10. laudati Concilii, & constat ex verbis, quæ Episcopus profert in Ordinatione tum Presbyteri tum Diaconi. Quod vero statuitur in canone 15. Arelatensis 1. non favet sententiæ Adversariorum; imò Catholicum Dogma confirmat: ibi enim Diaconorum supercilium, & fastus reprimitur, qui tantus erat, ut multis in locis offerre, idest Sacrificare, & Eucharistiam consecrare præsumerent. Vel (quod potest etiam dici) fortasse canon ille conditus est, quod quemadmodum Presbyteri in die Ordinationis solent cum Episcopo consecrare, sic Diaconi Altari assistentes verba consecrationis cum Sacerdote proferebant, vel ut in Parasceve ex præsanctificatis ipsa Oblata offerrebant, aut quid simile agebant, quod hic vetatur.

VII. Hæc igitur est Ecclesiæ fides nullum posse Eucharistiam conficere, sive sit Laicus, sive sit Clericus ex Minoribus, & etiam ex Majoribus Subdiaconus scilicet, & Diaconus. Solis Sacerdotibus concessa est hæc facultas, ob quam unam eximiam potestatem Angelos ab ipsis superari Chrisostomus sæpe scripsit in libro 3. & 6. de Sacerdotio, & homil. 51. & 63. in Matth. & homil. 60. ad Populum Antiochenum. Verum tamen est quod ut vere conficiant Forma a Christo Domino instituta uti debent, & adæquata materia cum de-

debita intentione faciendi Sacramentum, quod Christus instituit, aut quod facit Ecclesia. Solum addere opportunum est hanc facultatem non pendere ab illius sanctitate, & fide, sed fundari in Charactere Sacerdotali, qui nec deleri, nec auferri potest, eamdemque potestatem non esse temporariam *tantummodo potestatem*, ut loquitur Concilium Trident. Sess. XXIII. c. 4. sicuti neque semel rite Ordinatos iterum Laicos effici posse si Verbi Dei ministerium non exerceant. Praeterea illud etiam addere duximus quod a Magistro Sententiarum in 4. dist. 13. scribitur: *Illi qui excommunicati sunt, vel de Haeresi manifesta notati non videntur hoc Sacramentum posse conficere licet Sacerdotes sint, quia nemo dicit in ipsa consecratione offero, sed offerimus, quasi ex Persona Ecclesiae*. Addere inquam haec duximus, non ut doctrinam hanc amplectamur, sed ut moneamus contrariam esse manifestis principiis fidei, quamquam qui illam sequuntur in medium afferant, & sacros canones, & Patrum auctoritates. Innocentius Papa Epistola 18. & 22. *Solum Baptisma*, inquit, *Haeretici verum esse permittimus*. Gregorius *sacrilegam* vocat *consecrationem Arianorum*. Cyprianus *quaecumque ab Haereticis fiunt carnalia, & inania, & falsa judicat*: Hjeronymus omnia quae ab eis offeruntur *contaminata in conspectu Dei asserit*. Leo extra *Ecclesiam nec rata Sacerdotia nec vera Sacrificia* esse testatur, ut Augustinus etiam docet in lib. 2. contra Cresc. Gram. c. 13. Sed contrarium est quod respondit Nicolaus Papa in c. *sciscitantibus* ad Consulta Bulgarorum cap. 17. *Non Potest aliquis quantumcumque pollutus sit Sacramenta Divina polluere*, & quod legitur Causa 15. c. 8. & quod in cap. *Christus*, in cap. *non nocet*, & in multis aliis quae habentur in Causa 1. q. 1. Ne igitur laudatos Patres ita sentientes reprobemus intelligamus necesse est aliud esse potestatem conficiendi Eucharistiam, aliud esse executionem illius potestatis. Qui enim intra unitatem Catholicae Ecclesiae constituti Sacerdotalem unctionem accipiunt, Officium & executionem sui Offici ex consecratione adipiscuntur, recedentes vero ab integritate fidei potestatem acceptam Sacramento tenus retinent, sed effectu suae potestatis penitus privantur. Illi vero qui in Schismate, vel Haeresi positi Sacerdotalem unctionem accipiunt, si hanc a Simoniacis accipiant, Calcedonense Concilium sancivit in cap. *si quis Episcopus*: quod nihil ex hac Ordinatione vel promotione proficiant. si ab aliis Haereticis accipiant, statuit Innocentius in cap. *ventum est* Caussa 1. q. 1. illos *vulneratum per illam manuum impositionem habere caput, nihilque accepisse, quia nihil in dante erat quod illi possent accipere*. Juxta eamdem distinctionem Controversiam hanc diremit Urbanus Papa in cap. *Ordinationes* Caussa 9. q. 1. Et primum Nicaenum Concilium non rejicit Clericos, qui a Novati Haeresi revertuntur, sed sic in Clero permanere permittit. Quamvis possit generaliter dici, Sacramenta quae apud Haereticos, non aliter quam in Ecclesia Dei celebrantur, vera & rata esse quantum ad se, falsa vero, & inania quantum ad effectum, & in iis, a quibus male tractantur, & in illis a quibus male suscipiuntur. Dixi *non aliter, quam in Ecclesia Dei celebrantur*, quia si aliter fiant Ordinationes, ut accidit apud Lutheranos, & Calvinistas, Consecrationes factae a Ministris sic Ordinatis omninò irritae sunt.

VIII. Quod pertinet ad veteris Ecclesiae Disciplinam quam reponunt, & in qua plurimum Novatores confidunt, dicimus in utraque, & Orientali, & Occidentali Ecclesia per plura Saecula nulli Presbyterorum licuisse sine Episcopo, vel offerre, vel Sacrificium immolare, vel Missas celebrare. Hoc scribit

bit S. Ignatius ad Smirnen. & definitum legimus in canone 7. Hispalensis II. Concilii in can. 14. Concilii Arvernensis, & in Constitutionibus Bracharensis Ecclesiæ. Celebrante itaque Episcopo Presbyteri concelebrabant cum in Ecclesiis unum esset Altare, & cuilibet Presbytero illo die vetitum esset ad Altare celebrare, in quo Episcopus Sacrum fecisset. Hanc Disciplinam viguisse in Ecclesia Orientali legimus in lib. 8. Constit. Apostolic. cap. 16. in Apologia 2. S. Athanasii pro fuga sua in qua Ischyram calumniatorem suum arguit quod nunquam cum aliis Presbyteris Synexam fecerit, in Relatione Patrum Ephesini Concilii ad Cælestinum Papam, in Actione XI. Calcedonensis Concilii, in Histor. Ecclesiast. Evagrii lib. 1. c. 13. & demum in libro Juris Greco-Romani ubi legitur: *Agapius Archiepiscopus Seleuciæ in Syria imperante Basilio Porphyrogenito, factus Jerosolymitarum Patriarcha, cum Constantinopolim venisset Missarum Solemnia celebravit una cum Patriarcha Constantinopolitano Nicolao, & cum Sacra Synodo*. In Ecclesia vero Occidentali, & præsertim in Romana eumdem morem fuisse hæc Ammalarii verba probant, quæ petuntur ex ejusdem libro 1. de Ecclesiast. Officiis cap. 12. *Mos est Romanæ Ecclesiæ, ut in Confectione immolationis Christi adsint Presbyteri, & simul cum Pontifice verbis, & manu conficiant*. Idem docet Jacobus a Vitriaco in cap. 38. Historiæ Occidentalis, & Innocentius III. lib. 4. de Mysteriis Missæ cap. 25. & Durandus in suo Rationali lib. 4. c. 41. His monumentis accedunt Pontificalia Ecclesiæ Bellovacensis, Rotomagensis, & Senonensis. Accedit testimonium Morini ex ejusdem libro de Sacris Ordinationibus parte 3. exercit. 8. cap. 1. n. 4. & Mos, qui adhuc apud Maronitas viget, ut testatur Auctor Gallicus Historiæ Criticæ in cap. 13. Quinimò ex usu Romanæ Ecclesiæ temporibus Melchiadis, Syricii, & primi Innocentii mittendi diebus Dominicis per titulos Eucharistiam, ut ab eorum communione plebs non putaret se separatam, quia recipiebat Corpus Christi de fermento ab ipsis consecrato, nonnulli inferunt (nescio tamen quantum probabiliter) titulares Presbyteros eodem die Dominico Missas integras non celebrasse, idest quod non vere ipsi consecrarent, & offerrent. Solemnis hæc fuit in utraque Ecclesia Græca, & Latina vetus disciplina, ut unum, & idem Sacrificium a pluribus interdum Sacerdotibus celebraretur, qui mos apud nos in solis Ordinationibus Presbyterorum, & Episcoporum permansit. Præter hunc, nullius alterius moris in tota antiquitate vestigium habemus, quod probet Laicos ad celebrandum aliquando accessisse. Ejusdem Sacrificii participes fuisse solum probatur, communionis scilicet Eucharistiæ sub utraque specie, cum Solemni Sacrorum Mysteriorum celebrationi aderant, & offerebant, ac de oblatis participabant, quod ad aliam meam Controversiam pertinet, de qua infra agemus.

IX. In altera responsionis parte statuimus solos Sacerdotes posse Eucharistiam dispensare, quod a nobis dictum intelliget unusquisque hac adjecta clausula. *Ex Officio*. *Ad Sacerdotem*, inquit D. Thomas hic q. 82. a. 3. *pertinet Dispensatio Corporis Christi propter tria. Primo quidem quia ipse consecrat in Persona Christi. Ipse autem Christus sicut consecravit Corpus suum in Cœna, ita & aliis sumendum dedit. Unde sicut ad Sacerdotem pertinet consecratio Corporis Christi, ita ad eum pertinet dispensatio. Secundo quia Sacerdos constituitur medius inter Deum, & Populum. Unde sicut ad eum pertinet Dona Populi Deo offerre, ita ad eum pertinet Dona sanctificata Divinitus*

tus Populo tradere. *Tertio quia in reverentiam hujus Sacramenti a nulla re contingitur nisi consecrata, unde, & Corporale, & Calix consecrantur, & similiter manus Sacerdotis ad tangendum hoc Sacramentum. Unde nulli alii tangere licet, nisi in necessitate, puta si caderet in terram, vel in aliquo alio necessitatis casu*. Ratio D. Thomæ corroborari potest ex verbis Apostoli 1. ad Cor. 4. *sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei*: ex verbis Lucæ c. 22, *hoc facite in meam commemorationem*, & ex Concilio Rhemensi cap. 2. in capite *pervenit*, de Consecratione distinc. 2. quo cavetur *ne Præsbyteri Laico, vel fœminæ Sacrum Corpus Domini tradant ad defferendum infirmis, sed Presbyter per semetipsum infirmum communicet*. Et demum ex Auctoritate Dionysii c. 3. de Eccles. Hierar. part. 2. & 3. *Orat Sacerdos, ut Sacramenta Sancte conficiat, & caste distribuat*.

X. Videtur nihilominus his obstare antiquissimus Ecclesiæ usus, de quo loquitur Clemens in cap. 2. libri 8. Constitut. Obstat etiam Cypriani Auctoritas in libro de lapsis ubi circa finem hæc scribit. *Solemnibus adimpletis Diaconus Calicem offerre præsentibus cœpit* Obstat Justinus qui in sua Apologia 2. scribit *absoluta gratiarum Actione Præsulis, & ominatione totius Populi, Diaconi (quos nos vocamus) dant singulis præsentibus partem Panis, & Calicis diluti, super quos facta est gratiarum Actio, quod alimentum apud nos vocatur Eucharistia*, & ut cetera omittam obstat S. Laurentii Archidiaconi ad Xistum Pontificem apud Ambrosium lib. 1. Officiorum cap. 41. querimonia. *Experire utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem*, caput 7. Concilii Aquisgranensis, canon 14. Concilii Niceni, 15. Arelatensis, & 38. Carthaginensis IV. Obstat etiam quod per Laicos, & inferiores Clericos legitur Eucharistiam sæpe fuisse ad infirmos delatam sicut Dionysius Alexandrinus refert apud Eusebium lib. 16. cap. 44. & colligitur, tum ex Decreto supra laudati Concilii Rhemensis apud Reginonem lib. 1. de Ecclesiasticis disciplinis cap. 120. tum ex Capitularibus Hincmari, tum ex Epistola Synodica Ratherii Veronensis Episcopi, quæ habetur in Tomo 2. Spicilegii. Et quod magis mirum videri potest ex can. 45. Parisiensis VI. ubi fœminæ leguntur Corpus, & Sanguinem Domini aliquando porrexisse.

XI. Igitur ut certa ab incertis distinguamus, & quæ sunt dubia expliemus, animadvertimus aliud esse Eucharistiam distribuere, & aliud esse Eucharistiam tangere, deferre, & ad os sumentis applicare, quamvis hæc omnia sæpe in unica actione conjungantur. Discrimen hoc in ipsa Cœna apparuit, quando Christus Dominus Sacramentum instituit, dedit Discipulis & dixit ut illud acciperent, & manducarent. *Accipite*, scilicet propriis manibus sumite, ut clarius constat hoc illis dixisse, de Calice: *accipite, et dividite inter vos*. Colligitur itaque ex facto Christi actiones dandi, & accipiendi posse separari, & licet singulæ pertineant ad Sacerdotes, non tamen eodem modo. Prima ita propria est Sacerdotis, ut nulli alii conveniat, altera vero potest etiam aliis personis permitti ex dispositione Ecclesiæ. *In Sacramentali sumptione* inquiunt Tridentini Patres in cap. 8. Sess. XIII. *semper in Ecclesia Dei mos fuit ut Laici a Sacerdotibus communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent, qui mos tamquam ex traditione Apostolica descendens jure ac merito retineri debet*. Quod vero Ecclesia Diaconis permiserit in necessitate, & jussu Presbyteri hoc posse, Clemens Papa l. c. cap. 28. seu 34. asseruit: *Diaconus non offert*,

fert : oblationem vero ab Episcopo, vel Presbytero factam dat populo, non tamquam Sacerdos, sed tamquam qui ministrat Presbytero. Scilicet non ex vi suæ ordinationis sed tamquam instrumentum alterius, & hoc est id quod dicunt supra laudati Canones Concilii Nicæni, Arelatensis, & Carthaginensis, & ratio esse potest, quia non spectat ad substantiam Sacramenti, quod hoc dispensetur a Sacerdote vel a Diacono: Sicut ergo Ecclesia recepit a Christo potestatem hanc ut *salva substantia Sacramentorum*, quemadmodum inquit Tridentinum Sess. xxi. cap. 2. *in eorumdem dispensatione ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum veritate magis expedire judicaret*, ita potuit hoc ministerium committere Diaconis; necesse enim non est ut iis, quibus conficiendi non est data potestas, sit semper prohibita dispensatio. Argumenta, quæ in contrarium afferuntur, ostendunt tantummodo variam fuisse locorum diversorum circa Ministrum Communionis consuetudinem, & dubitari non potest morem hunc in Romana Ecclesia viguisse, ut Corpus Christi Celebrans ministraret, Sanguinem Diaconus porrigeret, & ad absentes Acholythus sacra dona deferret. Quibus vero ex Laicis sacra dona commendabantur, ut in suas domos deferrent, ii in opus hoc dispensandorum sacrorum munerum non assumebantur. Sed primis Ecclesiæ temporibus & maxime sævientibus Persecutionibus sacri Præsules id permittebant, ne diebus illis quibus Missæ Sacrificio fideles interesse non potuissent sacris privarentur Mysteriis, vel ne percussis, dispersis, occisisque Pastoribus ad longum tempus sacræ refectionis aditus ceteris, qui superfuissent ex fidelibus præclusus esset. Perseveravit certe hic mos Persecutionibus omnino avulsis, immo eo processit, ut deffides hinc facti Presbyteri tam parvi penderent Divina Mysteria, ut Laico, aut fœminæ sacrum Corpus Domini traderent ad deferendum infirmis, quare oportuit quod huic malo occurrerent Ecclesiarum Antistites, ut tam detestabilis consuetudo convelleretur; hinc nata sunt illa Decreta, quibus varia Concilia abusum hunc avellere studuerunt, qui tamen abusus usque ad Sæculum x. perseveravit, post quod non amplius legitur quod Laici infirmis Eucharistiam tradiderint. Si vero necessitas urgeat, etiam his temporibus Diaconi Eucharistiam fidelibus dispensare possunt, imò etiam extra casum necessitatis, si tamen Episcopi licentia accedat.

XII. Licet proprium sit cujuslibet Sacerdotis Eucharistiam fidelibus dispensare, non potest tamen suo arbitrio munus hoc quilibet Sacerdos exercere quemadmodum potest, quando ipse voluerit Sacrificium offerre. Homini sibi non subdito, scilicet in aliena Ecclesia nullus Sacerdos sine prævia illius Pastoris licentia potest Sacramentum hoc ministrare propter defectum jurisdictionis, quæ requiritur in administratione omnium Sacramentorum, facile tamen hæc licentia præsumitur si Sacerdos admittatur ad sacrum faciendum, nam qui permittit principale, etiam accessorium permittit cum communio sit quasi pars ipsius Sacrificii, & propterea optat Concilium Tridentinum Sess. xxii. cap. 6. *Ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicent.* Verum tamen est hoc Parochorum Privilegium esse antiquatum, ita ut quicumque Presbyteri soleant passim sine ulla speciali Parochialis Presbyteri licentia quibusvis petentibus Eucharistiam extra tem-

 pus

pus Paschale administrare in illis Ecclesiis, & Sacellis, in quibus publice conveniente populo Missas celebrant. Quæ consuetudo verisimiliter invaluit postquam in locis illis publicæ Missæ, idest ad quas populus admittitur, celebrari cœperunt; atque ita tandem jus Ecclesiæ Parochialis ad solam communionem Paschalem & jus Parrochorum ad hujus Communionis dispensationem, nec non Viatici administrationem redactum esse, con-

C A P U T VII.

IIS, QUIBUS EUCHARISTIA POTEST ADMINISTRARI.

§. Unicus. *Omnibus, quibus Lex non prohibebat, nec Infantibus ipsis prætermissis, olim Eucharistia dispensabatur.*

Ex antiquissima Ecclesiæ Disciplinæ nullus sacris Mysteriis interesse permittebatur nisi qui offerre poterat, & de oblatis participare. Qui communicandi jus non habebant iidem offerre prohibebantur. *Episcopum placuit*, ita decreverunt Patres in c. 28. Eliberitani Concilii *ab eo, qui non communicat munera accipere non debere*; atque ideo juri offerendi annexum erat jus communicandi. Hinc rejiciebantur oblationes illorum, qui ab Ecclesia omnino erant præcisi, tum Pœnitentium primi, secundi, tertii, & quarti gradus, tum Catechumenorum, & Energumenorum, & demum illorum quorum conscientiam mortale aliquod peccatum licet non ex gravioribus, deturparet. His exceptis, aliis quibuscumque omnibus fidelibus sacra dona dispensabantur absque ulla ætatis differentia, nec ipsis infantibus prætermissis, Constat enim a primis Ecclesiæ Sæculis usque ad Sæculum XI. Calicem ipsorum ori admotum fuisse, cujus ritus insigne extat tum apud Cyprianum testimonium in libro de lapsis, tum in Sacramentario S. Gregorii Magni, tum in Ordine Romano, tum apud Hugonem a S. Victore qui XI. Sæculo florebat, tum apud alios quos recensuimus in Tract. de Baptismo Cap. V. §. II. N. X. Licet vero hic mos in Ecclesia Latina obsoleverit tamen tum Græcorum, tum Maronitarum Ecclesia antiquam praxim his etiam temporibus observat, ut constat ex illorum Euchologiis, ex Arcudii testimonio in lib. 3. de Sacramento Euchar. cap. 11. ubi scribit. *Communicare pueros & infantes, quod Græci faciunt, antiquum valde est, atque id veteres in usu habebant:* tum ex Testimonio Jani Nicii Erithræi lib 7. Epistola 24. & ex relatione Gabrielis Sionitæ in Epistola ad Bertoldum Nihusium de quibusdam ritibus Maronitarum. In aliquibus tamen Ecclesiis apud Latinos receptus est ritus administrandæ Eucharistiæ Pueris in ultima vitæ periculo, quod constat tum ex Capitularibus Regum Francorum libro 1. n. 161. a quibus hæc Communio præcipitur, tum ex Epistola, quam S. Lanfrancus scribebat, ad Domnaldum Hiberniæ Episcopum, in qua hæc leguntur: *Credimus generaliter omnes omnibus ætatibus plurimum expedire, tam viventes, quam morientes Dominici Corporis, & Sanguinis perceptione sese munire*. Verum hic etiam mos in desuetudinem abiit: quare contrariam hanc

hanc disciplinam sæculo duodecimo, & sequentibus sensim inductam Synodus Tridentina declaravit esse retinendam, ipsosque infantes nulla necessitate obligari ad sacram Communionem ac per consequens declarat contrariam antiquorum praxim ad disciplinam dumtaxat pertinuisse: Denique eadem Synodus docet (hæc sunt verba quibus Tridentini PP. suam sententiam aperiunt in cap. 4. Sessionis XXI. ubi agunt de Communione) *parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ Communionem. Neque tamen ideo est damnanda antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servaret. Ut enim Sanctissimi illi Patres sui facti probabilem caussam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certe eos nulla salutis necessitate fecisse sine controversia credendum est.* Ubi igitur Pueri non attingunt rationis usum de sacris Mysteriis participare non permittuntur, ita decrevit Sistariensis Synodus, & praxim hanc Ritualia plura commendant, & inter cætera Rituale Romanum quod in Pueris ad sacram Communionem admittendis, non tantum requirit ut habeant cognitionem hujus Sacramenti, sed insuper gustum exigit, qui sine probitate, ac pietate in suscipiente non habetur. *Iis etiam*, ait, *qui propter ætatis imbecillitatem nondum hujus Sacramenti cognitionem, & gustum habent administrari non debet*.

Ipsis quoque Energumenis in ultimo vitæ conflictu constitutis decrevit Elliberitanum Concilium in canone 37. dandam esse communionem, & hic mos perseveravit usque ad V. Sæculum scilicet usque ad Synodum Arausicanam primam, quæ antiquam Elliberitanorum Patrum, austerioremque disciplinam temperavit, nam in Canone 14. hujus Synodi dixerunt Patres. *Energumeni jam baptizati si de purgatione sua curent, & se Solicitudini Clericorum tradant, monitisque obtemperent omnimodo communicent Sacramenti ipsius virtute, vel muniendi ab incursu dæmonum quo infestantur, vel purgandi quorum jam ostenditur vita purgatior*. Cujus disciplinæ etiam apud Orientales Monachos (contra tamen usum Orientalium Ecclesiarum, apud quas Leges hac de caussa editæ vigebant) documentum suppeditat Cassianus in Collatione 7. c. 29. & 30.

Etiam Amentibus morituris si non esset irreverentiæ periculum Eucharistiam esse conferendam idem Concilium Arausicanum sancivit in can. 12. *Amentibus, quæcumque sunt pietatis conferenda sunt*: & idem statuit Concilium Carthaginense IV. in can. 76. *Is qui in infirmitate pœnitentiam petit si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit oppressus infirmitate obmutuit, vel in phrenesim conversus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, & si continuo credatur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia*: & D. Thomas hic non dissentit in articulo 9. q. 80. ubi quærens Sanctus Doctor: Utrum non habentes usum rationis debeant suscipere hoc Sacramentum? *Respondeo*, inquit, *dicendum quod aliqui dicuntur non habere usum rationis dupliciter, uno modo quia habent debilem usum rationis, sicut dicitur non videns, qui male videt, & quia tales possunt aliquam devotionem hujus Sacramenti concipere non est, ait, hoc Sacramentum denegandum, alio modo dicuntur aliqui non habere totaliter usum rationis, aut igitur nunquam habuerunt usum rationis, sed sic a nativitate permanserunt, & sic talibus non est hoc Sacramentum exhibendum, quia in eis* nul-

nullo modo praecessit hujus Sacramenti devotio: aut non semper caruerunt usu rationis, & tunc si prius, quando erant compotes suae mentis apparuit in eis devotio hujus Sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc Sacramentum exhiberi, ni forte timeatur periculum vomitus vel expuitionis. Verum quia fere semper hæc pericula timeri possunt, & defectus pietatis ac reverentiæ, quæ tanto Sacramento debetur; quare circa Sæculi XII. exitum Ecclesia ab illo more cessavit, & iis omnibus, qui sua ratione non utuntur, licet morituris Eucharistiæ Sacramentum desiit elargiri. Ex veteri etiam Ecclesiæ disciplina ab hoc Sacramento Rei ultimo supplicio damnati arcebantur, quemadmodum neque illis scelerum sacramentalis absolutio impendebatur, si illam in vitæ exitu postulassent. Ab hac severiori Disciplina recesserunt Italiæ, & Germaniæ, non ita vero Hispaniarum Ecclesiæ, ut constat ex verbis Statuti XI. Concilii Rhemensis, & ex testimonio Claudii Espencæi libro 2. de Eucharistiæ adoratione. De more hoc qui viget in Ecclesiis Hispaniarum agit Dominicus Soto in 4. sententiarum Distinct. 12. q. 1. a. 11.

II. Utrum vero natum sit quod cum ipsis mortuis aliquando consepulta fuerit Eucharistia definiri non potest. Duo in tota Ecclesiastica Historia habemus hujus rei monumenta. Alterum in facto S. Basilii apud Amphilochium, cujus fragmentum citat Æneas Parisiensis Episcopus in libro adversus Græcos Spicilegii Tomo 7. pag. 81. Alterum in facto S. Benedicti, quod narratur a D. Gregorio in libro 2. Dialogorum cap. 24. De S. Basilio scribitur quod celebratis quodam die Sacris Mysteriis consecratum Panem in tres partes divisit, ut una sumpta duæ reliquæ partes superessent, altera Aureæ Columbæ imponenda ut super altare appenderetur, altera vero ut ipsi mortuo consepeliretur. De S. Benedicto traditur quod adolescentem Monachum posito super ejus pectore Dominico Corpore sepulturæ tradidit. Scio hæc facta a severioribus Criticis in dubium revocari; oportet nihilominus quod abusus aliquis circa ritum hunc irrepserit in Ecclesia, cum Carthaginense III. Concilium hanc praxim damnet in canone 6. in quo statuitur: *quod nemo mortuorum Corporibus Eucharistiam impertiatur, scriptum est enim: Accipite, & comedite. Cadavera autem neque possunt accipere, neque comedere*. Idem decrevit Synodus Antissiodorensis a. 563. in can. 12. & demum Quinisexta in canone 23. in quo reperiuntur verba canonis Concilii Carthaginensis, ex quibus verbis colligitur, quod solus viator, qui tamen sit baptizatus, nisi obstet Ecclesiæ disciplina, capax est hujus Sacramenti, fructus vero illius solus ille est capax, qui accedit dispositus. Hinc neganda est Eucharistia publico Peccatori donec conversionem publica pœnitentia probaverit. Pubblicus autem Peccator vel dicitur propter artem, quam exercet, ut sunt histriones, vel si propter gravia ejus flagitia nominatim per excommunicationem ab Ecclesia ejicitur: & de his inquit Christus Dominus Matth. 7. *Nolite dare Sanctum Canibus*, hac de causa jam pridem usitatum fuit ut ante Communionem Diaconus magna voce, terribili clamore, ut inquit S. Chrysostomus homil. 17. in cap. 9. Epist. ad Hæbreos, tamquam præco manum tollens in altum stans excelsius, & omnibus manifestus clamaret, *Sancta Sanctis*, quasi diceret, si quis non est Sanctus non accedat. *Non solum*, inquit, *a peccatis purus, sed etiam Sanctus. Sanctum enim non facit solum liberatio a peccatis, sed etiam præsentia Spiritus, & bonorum* ope-

operum copia. *Non solum* inquit, *volo vos a cæno esse liberatos sed albos esse, & speciosos*. De publicis peccatoribus ita loquitur Rituale Romanum: *Arcendi sunt publice indigni, quales sunt excommunicati, interdicti, manifesteque infames, ut Meretrices, Concubinarii, Fœneratores, Magi, Sacrilegi, Blasphemi, & alii ejus generis publici peccatores, nisi de eorum pœnitentia, & emendatione constet, & publico scandalo prius satisfecerint*, quam postremam conditionem attentissime expectandam alia Ritualia monent, & Sanctus Carolus in suis Instructionibus decernit; ita ut velit esse arcendos etiam si sanctissime confessi fuerint, & absolutionis a Pœnitentiariis acceptæ testimonium produxerint. Occultos vero peccatores si occulte petant, & non eos emendatos Sacerdos agnoverit, idem Rituale Romanum repellendos decernit non autem si publice petant, & sine scandalo ipsos præterire nequeat. *Sic in Ecclesia semper fuisse observatum*, scripsit Augustinus Homil. 50. *A communione prohibere quemquam non possumus, quamquam hac prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo judicio, sive sæculari, sive Ecclesiastico nominatum, atque convictum. Quis enim utramque sibi audeat assumere, ut cuique ipse sit accusator, & judex?* Sed jam est inquirendum utrum latum sit præceptum aliquod obligans ad Sacramentalem usum Eucharistiæ.

III. Existere præceptum aliquod sumendæ Eucharistiæ nullus est qui dubitet. Exinde vero utrum inferri possit necessitas Communionis Eucharisticæ ad salutem obtinendam duplex est Theologorum sententia. Antiquissimus Ecclesiæ usus in administranda Eucharistia statim post susceptum Baptismum non adultis tantum, sed etiam infantibus creditur ab aliquibus adeo efficax argumentum pro affirmativa sententia, ut ubi accesserit Scripturæ auctoritas, quæ legitur in cap. 6. Joannis in illis verbis: *Nisi manducaveritis Carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem non habebitis vitam in vobis*, nihil præterea possit ad id probandum sperari opportunius. Hoc testimonio Primus Innocentius usus est in Epistola 93. ad Patres Concilii Milevitani, ut explicaret aliud Scripturæ documentum, quo Pelagiani urgebantur ut Baptismi necessitatem agnoscerent. *Prædicare parvulos*, inquit S. Pontifex, *æterne vitæ præmiis, etiam sine Baptismatis gratia posse donari prefatuum est. Nisi enim manducaverint Carnem filii hominis, & biberint Sanguinem ejus non habebunt vitam in semetipsis. Qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi Baptismum etiam ipsum cassare velle, cum prædicant hos habere, quod in eos creditur non nisi Baptismate conferendum*. Hujus argumentationis efficaciam profecto non videt, quem præterit in laudato Evangelico textu ab Innocentio supposita sacræ Communionis necessitas. Clarius idem scripsit Gelasius in Epistola ad Picæni Episcopos: *Ipse Dominus Jesus Christus inquiens cælesti voce pronuntiat: Qui non manducaverit Carnem &c. ubi utique neminem videmus exceptum, nec opus est aliquem dicere parvulum sine hoc Sacramento salutari ad æternam vitam posse produci. Sine autem illa vita in perpetua futurum morte non dubium est*. Et Apertissime adhuc id tradidit Augustinus in libro 1. de peccatorum meritis cap. 10. ubi hanc absolutam Eucharistiæ necessitatem ex absoluta necessitate Baptismi in Parvulis ita adstruit: *Dominum audiamus non quidem hoc de Sacramento san-*

sancti lavacri dicentem, sed de hoc Sacramento sacræ Mensæ suæ, quo nemo rite nisi baptizatus accedit. Nisi manducaveritis &c. *An vero quisquam hoc dicere audebit, quod ad parvulos hæc sententia non pertineat, possintque sine participatione Corporis hujus, & Sanguinis in se habere vitam, quia non ait: Qui non manducaverit, sicut de Baptismo: Qui non renatus fuerit, sed ait: Si non manducaveritis, velut eos alloquens qui audire, & intelligere poterant, quod utique non valent parvuli: sed qui hoc dicit non attendit, quia nisi omnes sententia ista teneat, ut sine Corpore, & Sanguine filii hominis vitam habere non possint, frustra etiam ætas major id curat: potest enim si non voluntatem, sed verba loquentis attendas, eis solis tunc videri dictum, quibus tunc Dominus loquebatur quia non ait: Quia non manducaverit, sed: si non manducaveritis. Et ubi est quod eodem loco de hac ipsa re ait: Panis, quem ego dedero, Caro mea est pro sæculi vita? secundum hoc enim etiam ad nos pertinere illud Sacramentum intelligimus, qui tunc nondum fuimus, quando illa dicebat, quia non possumus dicere ad sæculum nos non pertinere pro cujus vita Christus carnem suam dedit. Quis autem ambigat sæculi nomine homines significatos esse, qui nascendo in hoc sæculum venimus? etiam pro parvulorum vita Caro data est, quæ data est pro sæculi vita, & si non manducaverint Carnem filii hominis, nec ipsi habere possunt.*

IV. Altera sententia necessariam quidem adstruit Eucharistiæ sumptionem, non ita tamen, ut vitam æternam ii non consequi possint, qui Eucharistiam non manducaverint. Pro Parvulis (quoniam ad illos diriguntur argumenta superioris sententiæ) hoc jam decrevit Concilium Tridentinum loco supra citato Sess. xxi. c. 4. *Eadem Sancta Synodus docet parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ Communionem.* Si nulla necessitate obligantur; ergo neque necessitate præcepti, neque necessitate medii: tum quia hæc obligatio per se, est impossibilis: tum etiam quia hoc Sacramentum non est medium necessarium Infantibus, ut ex Romanæ Ecclesiæ universali consuetudine satis supra declaratum est, quæ eis denegat Eucharistiam etiamsi in ea ætate moriantur, & certe credendum non est. quod mater Ecclesia hæc agens contra Divinum præceptum agat; impossibile enim est universalem Ecclesiam approbare errorem contra bonos mores, & præsertim in usu, & dispensatione Sacramentorum, ut idem Concilium laudato loco cap. 2. declaravit & ut traditur in cap. *ad abolendum* de Hæreticis, & latius in materia de fide.

V. Constat ex his verba illa Christi: *nisi manducaveritis &c.* solis adultis dicta fuisse, quod enim dicitur hac intentione, ut præceptum aliquod imponatur, illis solum dictum credendum est, qui possunt præceptum exequi, & id competit solis adultis. Huic explicationi cohæret locutionis modus varius, qui observatur in verbis Christi Domini nuper laudatis, & in illis, quæ apud Matthæum leguntur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* in duobus his locis insinuatur duplex præceptum, alterum de Eucharistia sumenda, alterum de sumendo Baptismo. De hoc agens Christus Dominus generaliter agit, ostendens se loqui ad baptizandos, non tamquam ad eos qui intelligere poterant & vim obligationis, & magnitudinem communicationis, quod nimirum amissuri essent vitam æternam, nisi præceptum

cu-

custodirent, sed usus est ea locutionis forma quæ propriissime cadere posset in omnes homines, sive possent intelligere, aut præcepto obligari, sive non. Agens vero de Eucharistia sermonem ad eos direxit qui audiebant, & percipere poterant vim præcepti, & propterea inquit: *nisi manducaveritis &c.* Igitur in his verbis Christi Domini non videtur idem sensus, neque militat eadem ratio, & eadem intelligentia, & dum Augustinus, & quicumque alter ex Patribus, Innocentius scilicet & Gelasius illa ad infantes extendunt, non secundum proprietatem, neque de hoc Sacramento ea interpretantur, sed de spirituali Christi manducatione, quæ fit per unionem fidei, & charitatis, & ita dicunt, Parvulos manducare Christum cum baptizantur, quia illi per fidem, & charitatem uniuntur. Hanc fuisse Augustini mentem non solum patet ex ejusdem Tract.26. in Joan., sed ex S. Fulgentio ejusdem Augustini Discipulo, qui in Epist. ad Ferrandum de Baptismo Æthiopis cap. 11. asserit non perire virum, qui fuerit baptizatus licet actu Christi Carnem non manducaverit. *Nullus debet moveri fidelium in illis, qui etsi legitime sana mente baptizantur, præveniente velocius morte Carnem Domini manducare, & Sanguinem bibere non sinuntur propter illam sententiam Salvatoris, qua dixit: Nisi manducaveritis &c. Quod quisque non solum secundum veritatis Mysteria, sed secundum Mysterii veritatem considerare poterit, in ipso lavacro sanctæ regenerationis hoc fieri prævidebit. Quid enim agitur Sacramento S. Baptismatis, nisi ut credentes membra Domini Nostri J. C. fiant, & ad compagem Corporis ejus Ecclesiastica unitate pertineant? Qui ergo membrum Corporis Christi fit quomodo non accipit quod ipse fit, quando utique illius fit verum Corporis membrum, cujus Corporis est in Sacrificio Sacramentum? Hoc ergo fit ille regeneratione Sancti Baptismatis, quod est de Sacrificio sumpturus Altaris.* Quod etiam Sanctos Patres credidisse ac docuisse cognoscimus. Neque prisca Ecclesiæ consuetudo, qualiscumque fuerit vel universalis, vel tantum quarumdam Ecclesiarum, introducta fuit ex necessitatis, vel obligationis existimatione, sed utilitatis tantum, & cujusdam pietatis, ut supra innuimus cum auctoritate Concilii Tridenti; unde ex illa solum inferri potest non esse per se malum dare parvulis hoc Sacramentum, atque adeo seclusa Ecclesiæ prohibitione esse licitum, non vero quod sit necessarium. Nunc vero in Ecclesia Latina non solum necessarium non est, sed nec etiam licitum, ita enim existimatum est, considerata personarum, & temporum qualitate, ad debitam hujus Sacramenti venerationem ita expedire. Etiam antiquitus non sejungebatur Confirmatio a Baptismo; ergo illa necessitate necessaria erat Confirmatio, ut necessarius erat Baptismus? Ex iis igitur quæ tunc temporis fiebant in Ecclesia illatio non valet ad asserendam necessitatem qualem nusquam Ecclesia agnovit, sed solum inferri potest diversam pro diversis temporibus fuisse inductam Disciplinam, quam pervertere nefas est. Non est igitur necessaria necessitate medii Eucharistiæ participatio Pueris, sed neque quibuslibet aliis ex fidelibus, qui tamen Divino præcepto aliquando tenentur ad Eucharisticam Communionem.

VI. Hoc præceptum insinuant laudata verba Joannis: *Nisi manducaveritis &c.* & ex sua argumentatione illud sic concludit S. Thomas hic q. 80. a. 11. *Dicendum quod duplex est modus percipiendi hoc Sacramentum, sci-*

scilicet spiritualis, & sacramentalis. Manifestum est autem quod omnes tenentur saltem spiritualiter manducare, quia hoc est Christo incorporari. Spiritualis autem manducatio includit votum, seu desiderium percipiendi hoc Sacramentum, & ideo sine voto percipiendi hoc Sacramentum non potest homini esse salus. Frustra autem esset votum nisi impleretur quando opportunitas adesset. Et ideo manifestum est, quod homo tenetur hoc Sacramentum sumere, non solum ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini *dicentis Lucæ* 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Non ita tamen luculenter erui Christi Domini præceptum de usu Eucharistiæ ex his Lucæ verbis aliquibus Theologis visum est, qui præcipi ajunt tantummodo modum, seu intentionem, qua debent fideles accedere ad hoc Sacramentum cum illud sumpserint, idque eo confidentius dicunt, quo animadvertunt explicationem eamdem ante illos Chrysostomum tradidisse in Homil. 17. ad Hebræos, & Magnum Basilium in Moralibus regula 21. cap. 3. quæ explicatio congruit cum verbis Apostoli in 1. ad Cor. c. 11. *Quotiescumque manducabitis Panem hunc, & Calicem bibetis mortem Domini annuntiabitis donec veniat*. Juxta hanc igitur interpretationem non est hoc præceptum de usu, sed de fide, & reverentia qua suscipiendum est hoc Sacramentum cum sumitur, quod præceptum locum habet, licet ipsa susceptio sit voluntaria. Non secus ac cum Ecclesia præcipit jejunium ante communionem, non sequitur quod propterea præcipiat communionem, sed præcipit modum servandum etiam in libera, & voluntaria sumptione Eucharistiæ. His accedit quod cum Christus Dominus dixit: *hoc facite in meam commemorationem* non designavit id, quod tunc fecerunt Apostoli communicando, scilicet sumendo Corpus & Sanguinem Christi, sed indicavit id quod ipse fecerat consecrando, offerendo, & sacramentum dispensando: ergo ex illis verbis non potest demonstrari datum Apostolis, & fidelibus præceptum Communionis, sed Apostolis, & Sacerdotibus datam auctoritatem conficiendi, & dispensandi hoc Sacramentum, & si aliqua Sacramenti hujus sumptio præcepta est, illa certe, quæ pertinet ad integritatem Sacrificii, & propria est Sacerdotum, non communis præcipitur, aut quæ sit propria Laicorum.

VII. Ceterum quidquid sit de efficacia harum rationum, & verborum Lucæ dicendum nihilominus est cum Tridentinis Patribus, *quod Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem Sacramentum hoc instituit, & in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamque annunciare mortem, donec ipse ad judicandum veniat. Sumi autem voluit Sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum*. Leguntur hæc verba in cap. 2. Sessionis XIII. & attente notanda sunt, quia apertissime per hæc demonstratur Christum non præcepisse nobis quasi sub conditione, ut recoleremus memoriam passionis ejus in hoc Sacramento, si vellemus illo uti, sed simpliciter præcepisse nos debere uti Sacramento, & in illius sumptione sui memoriam colere. *Sumi autem voluit*, inquit Concilium, idest *præcepit*, & dum Concilium addit: *Sumi autem voluit hoc Sacramentum tanquam spiritualem animarum cibum*, quo alantur, & confortentur viventes vita illius qui dixit: *Qui manducat me, & ipse vivit propter me*; Evidens est fidelibus omnibus, & singulis intellexisse Concilium dicta hæc Salvatoris verba: *qui manducat me &c.* &. factum præceptum de sumenda Eucharistia. Ratio-

tiones pro contraria sententia adductæ non sunt admodum efficaces; quamquam enim similes locutiones aliquando explicationem datam patiantur, hoc tamen semper non est verum, præcipue dum conditio continet propriam, & essentialem rationem actus præcepti. Hujus rei exemplum habemus apud S. Mattheum in illis verbis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua &c.* per quæ verba Christus Dominus non modum tantum insinuavit divinæ dilectionis, sed utrumque profecto tradidit, actum scilicet amoris, & conditionem hujus actus; ita si legitur apud S. Lucam *in mei commemorationem hoc facite*, non ad illam solam limitari debet præceptum, sed præcipitur id, in quo cum fit talis memoria recolitur. Adde quod si vera esset Cajetani expositio sequeretur, neque ex illis verbis inferri præceptum absolutum consecrandi, offerendi, & dispensandi hoc Sacramentum, sed tantummodo sub conditione, scilicet quod si hæc fiant in commemorationem ejus fiant, non est enim in utroque casu major ratio: igitur non potest esse ille verus sensus Verborum Lucæ, sed per illa verba absolute præcipitur Sacramenti sumptio, & simul modus talis sumptionis. Nec quidquam obest quod aliqui velint ad solos Apostolos, ut Sacerdotes dictum fuisse a Christo Domino *hoc facite*. Si enim illis præceptum est facere hoc, quod ipse fecit, pronomen *hoc* absolute totum Christi factum demonstrat, & non est ratio ob quam una magis actio quam alia excludatur. Præceptum igitur est Sacerdotibus per hæc verba ut dispensent hoc Sacramentum, & hinc aliis etiam consequenter præceptum est ut sumant, quia dare, & sumere correlativa sunt, nec unum sine alio impleri potest. Quare Sancti Patres tum ad Sacerdotes, tum ad Laicos secundum id quod singulis convenire potest verba illa applicanda esse significarunt. Chrysostomus Homil. 17. ad Hebræos, & Damascenus libro 4. cap. 14. ad consecrationem referunt: *Ex quo a Domino dictum est: hoc facite, Omnipotenti ejus verbo hoc efficitur*, & Cyprianus in sermone de Cœna Domini illa Christi verba ad totam actionem refert: *Ex quo a Domino dictum est: Hoc facite, Panis ille solemni benedictione sacratus ad totius hominis vitam, salutemque proficit, simul medicamentum existens, & holocaustum*. Cyrillus autem e contra lib. 12. in Joan. c. 58. & Basilius loco supra citato verba ipsa intelligunt de participatione, & de ipsa Sumptione hujus Mysterii.

VIII. Ut de tempore, quando obligat hoc præceptum aliqua addamus. Dicimus hoc inquiri posse, vel ex vi solius Juris Divini, vel solius præcepti Ecclesiastici. Hominem in morte obligari ad Communionem ex jure Divino tuentur plures Theologi, sive prius communicaverit in vita, sive non. Id tamen non videtur certum ex contraria disciplina Ecclesiæ, de qua agit, tum Innocentius I. in sua Epistola tertia, tum Concilium Eliberitanum in variis canonibus, tum Sardicense in cap. 2. & ex illo usu, qui in Gallia, & Hispania a longissimo tempore vigui non dandi Communionem his, qui Morte plectuntur. Probabilius igitur videtur dicendum, hoc Divinum præceptum obligare in articulo mortis, si id commode fieri possit, sed etiam ante illum, & aliquoties in vita. Exempla hujus rei habemus in præcepto eliciendi actum fidei, & dilectionis Dei, tum in præcepto sacrificandi, de quibus aliis in locis agitur, quæ præcepta non certe semel tantum in vita obligare, vel limitari ad unum actum, aut unum tempus om-

omnes norunt; ita a pari idem affirmabitur de præcepto communicandi; sed melius est Ecclesiastica monumenta super hoc scrutari, & ab Ecclesiæ ritibus quid sit agendum inquirere, & his legibus definire tempus Sacramentalis Communionis.

IX. In primordiis Ecclesiæ fideles omnes, quorum erat cor unum, & anima una quotidie perseverabant in communicatione fractionis Panis, ut Acta Apostolorum testantur, & hanc consuetudinem per aliquot sæcula retinuerunt; id eruitur ex Clemente in lib. 2. Constitut. c. 37. & libro 8. cap. 20. & ex Dionys. cap. 3. de Eccles. Hjerar. parte 2. & ex Epistola 1. Anacleti Papæ quæ recensetur, in cap. *Episcopus* de Consecrat. dist. 1. *Peracta Consecratione omnes communicent qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus, sic enim, & Apostoli statuerunt, & Sancta Romana tenet Ecclesia.* Temporibus Cypriani vigebat idem mos, sic ille in lib. de orat. inquit, *hunc Panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam, quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti, & non communicantes a Cœlesti Pane prohibemur, a Christi Corpore separemur.* Temporibus Hjeronymi erat Romæ, & in Hispania idem mos, ut scribit in Epist. 50. ad Pammachium, & 28. ad Lucinium Bæticum. Temporibus Augustini idem mos erat in Africa, ut scribit in Epistola 118. ad Januarium, & Walfridus qui Sæculo IX. vivebat refert etiam sua ætate fuisse quosdam, qui semel in die communicare, etiam si pluribus interfuerint Missis, solebant, esse vero alios, qui sicut in una, sic in omnibus, quibus affuerint Missis, in die communicare vellent, quorum neutros culpandos existimabat, quia sicut Augustinus ait: *de his qui quotidie Communicant, & illis, qui rarius, illos reverentia sanctarum retrahit rerum, illos vere amor salubrium invitat Sacramentorum. Nam & ipse Sacerdos quoties in die Missas facit communicare non omittit, Quod si non faciat Canonico est feriendus judicio.* Ethyopes etiam nunc hanc consuetudinem servare dicuntur: ceterum ex his momentis præceptum non insinuatur de tempore Communionis faciendæ, nam licet hæc esset in primis Ecclesiæ Sæculis fidelium devotio, non erat tamen lex, ut quotidie Sacris Mysteriis Laici interessent, & quotidie Laici Communicarent, quamquam hoc crediderit Casaubonus in sua Exercitat. 18. adversus Baronium.

Neque superiora verba Anacleti Laicis hanc legem imponunt, sed ad Clericos pertinuisse, qui Sacerdoti ministrabant multi graves Auctores censent, inter quos Halensis 4. parte quæst. 51. membro 1. art. 2. Hosius in Confess. cap. 41. Turrianus lib. 1. pro canon. Apostol. cap. 22. Nec alienum est a mente Anacleti, nam de his specialiter loquebatur Anacletus in illa prima Epistola, & cum dicit Apostolos sic statuisse, citat canonem 9. Apostolorum, in quo sic legitur: *si quis Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet ex Sacerdotali Cathalogo facta oblatione non Communicarit, aut caussam dicat, ut si rationabilis fuerit veniam consequatur, aut si non dixerit Communione privetur.*

X. Sed neque aliqua lex pro quotidiana Communione cognoscitur in canone, qui decimus dicitur Apostolorum, quem sic interpretatur Dionysius Exiguus: *omnes fideles, qui ingrediuntur Ecclesiam, & Scripturas audiunt, non autem perseverant in Oratione, nec Sanctam Communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ commoventes, convenit communione privari,*

cum

cum in hoc canone de Eucharistiæ participatione non agatur, ut Binius testatur, sed vel de iis, qui ex superstitione, aut propter aliquam insolentiam juxta canonem 2. Concilii Antiocheni Sanctam Eucharistiæ participationem aversabantur, vel de iis, qui intrabant ad Ecclesiam Dei, & Sacras Scripturas audiebant, & pro luxuria sua avertebant se a Communione Sacramenti, & in observandis Mysteriis declinabant constitutam Regulæ Disciplinam, quos projiciendos esse de Ecclesia Catholica Bracharense secundum Concilium suo Decreto 83. sancivit. Licet etiam alii non desint, qui velint in hoc canone Apostolorum illos ex comunicari, qui ex Sacrificio exeunt antequam consumatum fuerit, quod inferunt ex alia lectione ejusdem Canonis Gentiano Herveto interprete: *Quicunque fideles ingrediuntur, ut Scripturas audiant, in precatione autem: & Sacra Communione non permanent, ut Ecclesia confusionem afferentes segregari oportet*. Itaque ante annum 505. nihil innovatum est in Ecclesia, quo anno in Synodo Agathensi canone 18. Decretum est non ut quotidie, sed ut saltem in præcipuis festivitatibus hoc Divino alimento Laici reficerentur, & inviti pœnis constringerentur. Legitur hic canon apud Gratianum Distinct. 2. de Consecr. c. 19. *Saculares qui in Natali Domini Pascha, & Pentecoste non communicaverint Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur*. Idem præceptum triplicis annuæ communionis legitur in Concilio III. Turonensi sub Leone III. A. 813. can. 50. *Et si non frequentius, vel ter Laici homines communicent, nisi forte quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur*. Verum labente per universum orbem pietatis studio, tandem Ecclesia coacta fuit præceptum suum ad annuam communionem restringere, & hujus innovationis Decretum emanatum in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. A. 1225. legitur in cap. *omnis utriusque sexus* de pœnitentiis, & remissionibus. *Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injuncta sibi pœnitentia propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, alioquin, & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat Sepoltura*. Stante hoc Ecclesiastico præcepto quemadmodum nulli licet aliquid contra annuam Communionem intentare, ut Tridentinum Concilium: Sessione XIII. can. 9. de Eucharistia definivit; ita nemo obligatur ad majorem frequentiam, nec ille peccat, qui semel tantum in anno tempore ab Ecclesia præscripto communicat, & qui præceptum implet, simul satisfacit Divino præcepto, quia hoc præceptum Ecclesiæ, est determinatio præcepti Divini quo ad tempus, quo utendum est, hoc Sacramento extra mortis periculum, & hæc determinatio sufficit ad satisfaciendum.

Dixi *extra mortis articulum* quia quo ad illud tempus, hoc præceptum Ecclesiæ non determinavit Divinum præceptum, quia quo ad hoc ex se erat sufficienter determinatum. Certe tutum existimo in illo articulo dari Communionem cuicumque homini habenti usum rationis ad peccandum, & capaci Confessionis; imò Siricius Papa iis etiam, in exitu positis dispensari voluit, qui cum essent sani prohibebantur. *De his vero*, ita loquitur laudatus Pontifex *in prima Epistola* ad Himerium Tarraconensem cap. 5. *non incongrue dilectio tua Apostolicam sedem credit consulendam, qui acta pœnitentia tamquam canes, ac sues ad vomitus pristinos, & ad volutabra redeuntes*,

 & mi-

& militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuo appetivere concubitus. Quorum professam incontinentiam, generati post absolutionem filii prodiderunt. De quibus quia jam non habent suffugium pœnitendi, id duximus decernendum, ut sola intra Ecclesiam fidelibus Oratione jungantur, Sacra Mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint. A Dominicæ autem Mensæ convivio segregentur, ut hac saltem districtione correpti, & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscænis voluptatibus retrahantur. Quibus tamen (quoniam carnali fragilitate ceciderunt) Viatici munere, cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus subveniri. Viatici, & Communionis nomine hic Eucaristiam esse intelligendam, licet ut notat Albaspinæus l. 1. observat. c. 1. aliud per has voces non raro antiqui canones intellexerint, paret ex concessione Sacramentalis Absolutionis, quam relapsis concessit morientibus Siricius Papa, & juxta sacros canones hæc regula invaluit: *In illo verbo, per quod Pœnitentiam morientibus non negamus, Viaticum etiam quod vere pœnitentibus exhibetur intelligi volumus, ut neque ipsum decedentibus denegetur*, ut dicitur in capite, *quod in te* de pœnitent. & remissionibus, idque clarius expressit Sæculo VII. Gregorius II. in Epistola ad Bonifacium ubi inquit; *De his, qui Patrem, Matrem, Fratrem, aut Sororem occiderint, ut toto vitæ suæ tempore Corpus Dominicum non suscipiant, nisi tempore exitus pro Viatico*. Id semper maxime cavit Ecclesia ne morientes sine Viatico decederent, ut constat ex Concilio Nicæno can. 13. Toletano XI. cap. 18. Agatensi ca. 11. Ancyrano ca. 22. Arausicano cap. 13. Arelatensi II. cap. 12. Aurelianensi cap. 24. & demum ex Carthaginensi IV. cap. 77. & 78. & Consuetudo hoc faciendi ita est recepta, ut sine magno scandalo vitari non possit, adeo antiquissima est, ut non immerito illam credamus Apostolicam traditionem, & demum ita immutabilis est, ut ex ejus immutabilitate cognoscamus hanc in Christi mandato fundari.

XI. Non ita vero Præcepto annuæ Communionis fideles coarctantur, ut non possint, si velint sæpius in anno imò in Mense, & in hebdomada communicare. *Paterno affectu admonet S. Tridentina Synodus* Sess. XIII. cap. 8. *hortatur, rogat, & obsecrat per viscera Misericordiæ Dei Nostri, ut omnes, & singuli, qui Christiano nomine censentur hæc Sacra Mysteria Corporis, & Sanguinis ejus ea fidei constantia ea animi devotione, ac pietate, & cultu credant, & venerentur, & Panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint*. Quinimò in Sess. XXII. cap. 6. *optare ait, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos Sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior perveniret*. Favent etiam frequentiæ Communionis tum Rhemense Concilium A. 1583. in titulo de Eucharistia, tum Burdigalense A. 1624. in titulo de Sacramentis cap. 3. Neque aliud hisce temporibus sentit Ecclesia de usu frequentis Communionis quamquod senserat vetus, quæ eodem quo illa Spiritu Sanctificatur, & regitur. Sed quia multoties pluribus hominum multa impedimenta occorrunt propter indispositionem Corporis, vel Animæ, profecto non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere, sed quotiescumque se ad illud homo invenerit præparatum: quare pro praxi ab his regulis non esse recedendum viri pietate, & doctrina maxime commendati censuerunt 1. Qui in sua flagitia sæpius relabuntur frequenti Communionis

nis usu donari non debent 2. Ii qui licet in externa flagitia non prolabuntur, gentiliter tamen vivunt arcendi sunt a frequenti Communione 3. Ad frequentiam Communionis non satis est, ut quis illius desiderio teneatur 4. In praefiniendis Communionis temporibus neque satis est, ut cujusque hominis status, & vitae generis habeatur ratio. Quinto tandem, iis tantum octavo quoque die concedi debet Communio, qui, & a peccati mortalis reatu, & ab affectu venialium liberi sunt.

XII. Si non agatur de frequenti Communione, sed de dispositionibus, quae in genere praemittendae sunt Communioni. Certum est quod nemini lapso in antiqua Ecclesia Eucharistia concedebatur, nisi poenitentiae laboribus perfuncto, quod ex pluribus Ecclesiasticae Historiae monumentis patet, tum ex pluribus Canonicis Sanctionibus, quae citantur a D. Basilio in Epistola ad Amphilochium, & ex Conciliis Ancyrano, & Niceno primo. Haec tamen poenitentiae praxis his temporibus non observatur cum iis, qui lethalium peccatorum sibi sunt conscii. Quare Alexander VIII. hanc propositionem damnavit. *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem praetendunt antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint*. Id quod Apostolus exigit in sua prima ad Corinth. epistola c. 11. est, quod: *Probet seipsum homo, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat, qui enim manducat, & bibit indigne judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini*. A veritate itaque longissime absunt Haeretici, qui non solum dispositionem gratiae non requirunt, sed potius asserunt, quod quo magis ejus conscientia peccatorum onere gravatur, eo melius est dispositus ille qui ad hoc Sacramentum recipiendum accedit, dummodo firmiter credat ea peccata sibi non esse imputanda propter Christum, quia hoc Sacramentum non solum est cibus animae, sed etiam medicamentum, quia Christus etiam in hoc Sacramento non venit vocare justos, sed peccatores, quia non sani egent medico, sed qui male habent. Sed peto ubinam Haeretici invenerint Eucharistiam esse institutam ad remittenda peccata mortalia? Hoc nullibi legit Isidorus, qui tamen in libro de summo bono cap. 24. ita scribit: *Qui scelerate vivunt in Ecclesia, & Communicare non desinunt putantes se tali Communione mundari, discant nihil ad emundationem sibi proficere dicente Propheta*: Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? *Numquid Carne, Sancta auferent a te malitias tuas*? Eadem scripsit ex eisdem verbis Pauli Cyrillus Alex. in l. 12. in Levit. non longe a fine, & Cyprianus in libro de Lapsis circa medium, ubi addidit illa verba Levitici 22. *Omnis homo qui accesserit ad ea, quae consecrata sunt, & quae obtulerunt Filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino*. Chrysostomus nihil saepius repetit quam puros, & purgatos esse debere, qui ad Eucharistiam accedunt, idque multis & argumentis, & exemplis probat homil. 30. in Genesim homil. 83. in Matth. homil. 45. in Joan. homil. 24. in priorem ad Cor. & homil. 3. in epist. ad Ephes. nec ullum possunt Haeretici invenire ex Patribus, qui non cognoverit reum esse Corporis, & Sanguinis Domini indigne accedentem, ut Panem illum edat, & Calicem bibat. Quod ergo Lutherani dicant Christum advenisse, ut non justos, sed peccatores vocaret utique verum est, sed oportet illos distinguere vocationem ad fidem, & poenitentiam, a vocatione ad Eucharistiam. Vocavit certe peccatores per fidem, & poenitentiam, deinde per Baptismum justifica-

fica-

ficavit, & demum cibo suo aluit. Præterquamquod verba illa dixit Christus Dominus tempore, quo ipse quoque viator erat, & cum hominibus versabatur, ut facilem se ostenderet Publicanis, & Peccatoribus, qui ad illum accedebant, non dixit ut illos ad Eucharistiam sumendam invitaret, cum aliunde sciamus Matthæi scilicet c. 22. illum docuisse in Parabola illius Regis, qui fecit nuptias filio suo, quod homo non vestitus veste nuptiali illi Cœnæ cum invitatis non interfuit. Non negamus etiam in ipsa institutione Sacramenti fuisse promissam remissionem peccatorum, sed quatenus per eam repræsentatur effusio Sanguinis Domini, per quem omnia peccata remittuntur, & propterea advertimus Christum Dominum dixisse: *Hic est Sanguis, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, non vero dixit hic est Sanguis in remissionem peccatorum. Verum habet etiam Eucharistia hanc vim delendi peccata mortalia, ut infra dicemus, si quæ invenerit, quorum conscius non sit, qui ad Eucharistiam accesserit, idque operatur de secundario, cum etiam hoc Sacramentum gratiam conferat, non de primario, quia solummodo ordinatur ad vitam spiritualem conservandam, quia cibus est. *Si quis dixerit præcipuum fructum Sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum anathema sit*, ita definiverunt Tridentini Patres in canone v. Sess. XIII. Oportebit igitur, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quamtumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione, ad sacram Eucharistiam accedat, ne tantum Sacramentum indigne, atque adeo in mortem, & condemnationem sumat: Hæreticum enim est dicere solam fidem esse sufficientem præparationem, ut in canone 11. ejusdem Sessionis definivit Concilium Tridentinum, quod Concilium præterea addit semper fuisse in Ecclesia hanc consuetudinem præmittendi confessionem ante Communionem interveniente conscientia peccati mortalis post Baptismum commissi, cujus consuetudinis optimum indicium est, cum consensus antiquorum Patrum, & Doctorum, cum ritus semper in Ecclesia observatus peccatores non prius admittendi ad Communionem quam ipsi Ecclesiæ condignam satisfactionem reddidissent, illique reconciliati essent, & hoc contigisse narrat Euseb. lib. 6. histor. cap. 27. & Nicephor. lib. 5. cap. 25. cum Philippus primus Imperator Christianus a Pontifice petiit admitti ad participationem Sacrorum Mysteriorum cum aliis fidelibus, quod ante Confessionem non obtinuit. Præter dispositionem gratiæ habitualis, utrum aliquid aliud requiratur ad dignam sumptionem hujus Sacramenti ex rigoroso præcepto, ita ut illius omissio sit peccatum mortale? Negative respondent Theologi, quæcumque enim dispositio necessaria esse posset se haberet in ordine ad augmentum gratiæ per Eucharistiam consequendum, ad quem effectum nihil prætera requiritur. Sed ut hoc intelligatur.

XIII. Advertendum est quod duplex dispositio consideratur in ordine ad consequendum hoc augmentum gratiæ. Altera est carentia omnis actualis venialis peccati, & actualis devotio altera. Neutram tamen esse necessariam ex pluribus probari solet. D. Thomas hic q. 79. a. 8. docet, *quod peccata venialia prout sunt præterita, nullo modo impediunt effectum hujus Sacramenti. Potest enim contingere, quod aliquis post multa peccata venialia commissa devote accedat, ad hoc Sacramentum, & plenarie hujus Sacramenti consequatur effectum. Prout vero sunt actu exercita, non ex toto* im-

impediunt hujus Sacramenti effectum, sed in parte, nam effectus hujus Sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiæ, vel charitatis, sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis, quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente distractus, non autem tollitur augmentum gratiæ habitualis, vel charitatis. Sequuntur D. Thomam plures Theologi, quos plurimum movet auctoritas Concilii Tridentini, a quo solum requiritur pœnitentia, & confessio peccatorum mortalium, ut dicebamus supra, & persuadet ratio, quæ non solum probat accedentem ad Sacramentum cum peccato veniali non accedere indigne, alioquin mortaliter peccaret, qui ita susciperet Sacramentum, quod est contra mentem omnium, qui in hac materia scripserunt; sed ulterius demonstrat peccatum veniale non posse per se impedire augmentum gratiæ; imò posse simul esse cum quocunque augmento gratiæ habitualis, cum non sit hoc peccatum veniale obex respectu ejus, ut est peccatum mortale, & non possit tollere vim, & efficaciam ipsi Sacramento, seu usum ejus, ut illam non tollit aliis Sacramentis. Neque ex Scriptura, neque ex Patribus oppositum constat.

XIV. De altera dispositione, quæ se tenet ex parte actualis devotionis eodem modo sentiunt Doctores hanc non esse necessariam, ut constat in casu, quo oporteret Sacramentum administrari infantibus, amentibus, aut phreneticis, siquidem Sacramentum iis administratum, suum effectum operaretur, & ratio esse potest, quia Sacramenta dant gratiam non ponentibus obicem ad illam, quia non conferunt illam per actum operantis, sed per se ipsa. Nec aliud sentiunt etiamsi carentia hujus dispositionis esset voluntaria, quæ neque ex sua natura habet ut sit obex effectui gratiæ Sacramenti, quia illi non opponitur, neque id habet, propter culpam, quæ illi inesse potest propter rationem voluntarii, cum hæc culpa non sit mortalis, ut supponitur, quia non est gravis irriverentia, culpa autem venialis hanc efficaciam non tollit, quia licet hic actus denominetur malus, & ut talis non sit operanti fructuosus, tamen sumptio ipsa Sacramenti de se bona est, & efficax ad dandam gratiam non ponentibus obicem. Consultius est tamen si fieri possit accedere cum justitia propter Sacramenti dignitatem, & cum animi devotione, ut utilior sit, & magis fructuosior Sacramenti perceptio, idque est magis consentaneum fini hujus Sacramenti, quod non tantum ad actualem, sed etiam ad habitualem charitatem augendam per se primo ordinatur. Et hæc dicta sint de dispositionibus illis, quæ ex parte animæ requiruntur.

XV. Aliæ dispositiones desiderantur ex parte corporis, quæ revocantur ad carentiam corporalis maculæ, & abstinentiam cibi & potus. De priori multa dicuntur a Theologis, sed revera nullum extat præceptum, quod involuntarie, vel inculpabiliter immundos a Divinorum Mysteriorum participatione retrahat. Solum ergo pro ratione maculæ, vel defectus cavendus est aliorum horror, vel etiam scandalum, sicut in capite *Tua nos* de Clerico ægrot. ministrante præcipit Clemens III. ut *Sacerdos qui Divino judicio lepræ morbo respersus sit, ab Altaris ministerio removeatur*. Si vero macula perpetua non sit, sed temporalis, & quæ brevi auferenda speratur, ad reverentiam hujus Sacramenti pertinebit prius illam auferre, aut per breve tempus expectare, donec auferatur: & juxta hunc sensum scripsit D. Dio-

Dionysius Alexandrinus in Epistola ad Basilid. can. 2. *Ad Sancta Sanctorum, qui animo, & corpore purus non est, accedere prohibetur, præsertim si propter hoc homo se sentiat ineptum ad res spirituales, & divinas tractandas, vel si magnam mentis distractionem, vel varias cogitationes patiatur, quod si nihil horum accidat, non est cur communio prætemittatur*, præcipue si aliqua rationabilis caussa intercedat, puta vel necessitas; vel aliqua specialis utilitas.

De altera corporis dispositione, videlicet de jejunio Communioni præmittendo nulla est sententiarum varietas inter Auctores catholicos, cum censeant omnes a temporibus Apostolorum servatam esse in Ecclesia consuetudinem non sumendi cibum, vel potum aliquem ante Eucharistiam, quam consuetudinem Epiphanius libro 3. contra hæreses in fine, Nazianzenus Oratione 40. de Baptismo, Chrysostomus hom. 27. in 1. ad Cor. Basilius in Epistola ad Cæsarium Patricium, & August. Epist. 118. & ex eo Isidorus lib. 1. de Offic. Eccles. cap. 18. inter Apostolicas traditiones numerarunt. De eodem jejunio agunt non pauca Concilia, præcipue vero Africanum in cap. 8. Carthag. III. in cap. 29. Bracharense I. in cap. 16. imò Carthag. citatum in cap. 48. asserit hanc consuetudinem sumendi Eucharistiam ante omnem cibum fuisse confirmatam in Concilio Nicæno; quamquam vero in eodem Concilio Carthaginensi excipiatur dies Cœnæ Domini, in quo permittitur post sumptum cibum Communicare, fortasse propter speciales caussas Patribus illius Concilii occurrentes, tamen sextæ Synodi Patres canone 29. *non oportere hanc Apostolicam traditionem etiam in eo die immutari dixerunt*. Eamdem traditionem retinuerunt Patres secundi Concilii Bracharensis, in quo cap. 10. dicitur: *Reliquias hujus Sacramenti solitas fuisse dari quarta vel quinta feria Pueris innocentibus indicto prius eis jejunio*, neque aliud statutum fuit in Concilio Toletano VII. cap. 2. in Concilio Altissiodorensi cap. 19. & in Constantiensi Sessione XIII.

XVI. Contra hanc Consuetudinem, & Conciliorum Decreta insurgunt Hæretici, eo quod velint non potuisse Ecclesiam præcipere hoc jejunium ante Communionem servandum, quia Christus hoc non præcepit, quia tempore Apostolorum non observabatur, demum, quia sumpto moderato cibo homo ad mentis opera exercenda sit promptior. Sed his facile respondetur; nam caussæ ob quas Christus Dominus illud vespere instituit, & post esum agni, fuerunt propriæ, & peculiares illius temporis, & illius individuæ actionis: *At enim non mane*, inquit D. Cyprianus Epistola 63., *sed post Cœnam mixtum Calicem obtulit Dominus. Numquid ergo Dominicum post Cœnam celebrare debemus, ut sic mixtum Calicem frequentandis Dominicis offeramus? Christum offerre oportebat circa vesperam diei, ut hora ipsa ostenderet occasum, & vesperam mundi. Nos autem resurrectionem Domini mane celebramus*. Quare vero jejuni Apostoli non Communicarent S. Isidorus loco supra cit. cap. 18. scribit: *Non communicaverunt jejuni Apostoli, quia necesse erat, ut Pascha illud typicum antea impleretur, & denuo ad verum illud Paschæ Sacramentum transirent. Hoc enim in Mysterio tunc factum est, quod primum Discipuli, Corpus, & Sanguinem Domini Nostri non acceperunt jejuni. Ab universa autem Ecclesia nunc a jejunis semper accipitur, ut dum sobrietas flagrat in Corpore, dum omnis fervor carnis conquiescit, & omnes animi sensus intelligentia, & discernendi ratione*

for-

fortius viget, illo prius cibo interior noster homo inebrietur, quatenus deinceps quod praeminet in nobis vegetatum cœlesti dulcedine, illud regas, & gubernes. Expediebat etiam quod dum Sacramenta reliqua a jejunis ministrabantur, Apostoli, & eorum Successores in Augustissimo hoc Eucharistiæ Sacramento statuerent, ut jejuni tantum possent illud recipere. Sed de hac re plura disserit Augustinus in Epistola 118. quam quilibet potest consulere. Non inficiamur sub ipsis temporibus Apostolorum in aliquibus Ecclesiis fuisse introductum morem Agapas ante sacram Cœnam celebrandi, ut videtur inferri posse ex 1. ad Cor. cap. 11. ex animadversione Sedulii Scoti in Collectaneis, ubi inquit: *Apud Corinthios quondam prava invaluit consuetudo Ecclesias passim dehonestare conviviis, in quibus reficiebantur ante Dominicam oblationem, quam Cœnam noctibus adoriebantur, cumque divites Ebrii ad Eucharistiam venirent, vexabantur inopes fame*. Mos vero ille, ut referunt de Gentili adhuc superstitione veniebat, unde etiam in quibusdam locis per Egypti, vel Syriæ loca die Sabbati nocte post cœnam dicitur ad Ecclesiam conveniri. Habemus hujus rei apertissimum testimonium apud Sozomenum in cap. 9. libri 7. suæ Eccles. Historiæ, & perdurasse morem hunc usque ad Sæculum secundum non longe a fine observavit Salmasius in Apparatu ad libros de Primatu Papæ. Ceterum ex his documentis nihil inferri potest pro Heterodoxorum sententia, cum unicuique certum sit universali consuetudini per singularem contrariam non derogari, quæ positivis legibus, traditioni, & consensui Patrum adversetur; unde merito laudatus Sedulius vocat *pravam consuetudinem*, *& alienam a more Christianorum*; addit Socratem, qui illam describit in libro 5. suæ Historiæ cap. 21. quanquam si hæc ipsa singularia facta spectentur, non omnino certum est particularibus his recensitis Ecclesiis fuisse communia, cùm plerique ex Patribus velint etiam apud Corinthios Agapas post Cœnam Dominicam celebratas fuisse. Ita certe sensit Chrysostomus homil. 27. in 1. ad Corinth. & homil. 54. Eum imitatus est Theodoretus in eamdem Epistolam, & Theophylactus, qui eundem Pauli locum sic commentatur: *Quemadmodum illi, qui primum crediderant, communia omnia habentes communiter epulabantur, sic per quamdam eorum imitationem, etiam si minus accuratam Corinthii statis quibusdam diebus, festis fortasse, post Mysteriorum participationem communiter convivabantur*. Eodem modo senserunt Photius apud Oecumenium in 1. ad Cor. 11. Zonaras ad canonem 74. Concilii in Trullo, & Stuckius Antiq. Conviv. lib. 1. cap. 1. & cap. 33. Agapas vocans S. Cœnæ appendices.

Quod tandem addit Lutherus moderato cibo hominem aptiorem esse ad communionem falsum profecto est, nam etiam si cibus prosit ad opera Corporis, non tamen ad opera Spiritus, & præcipue ad orationem, ad quam plurimum confert jejunium, & quæ frequentissime jejunio conjungitur in Sacris Scripturis. Tobiæ 12. *Bona est oratio cum jejunio*. Judic. 4. *In jejunio, & orationibus*. Lucæ 2. *Jejuniis, & orationibus serviens Deo*. Matth. 17. *Hoc genus non ejicitur nisi in oratione, & jejunio*. In aliqua persona particulari, & in aliqua occasione juvare poterit moderatus cibus, & pectus ad animæ attentionem, tamen generaliter, & regulariter non ita est, & præsertim si vulgaribus hominibus id permittatur. *Quando caro tabescit jejuniis*, inquit S. Paulinus Sermone 36. *anima puritate pinguescit quan-*

quantum enim illi ciborum succus subtrahitur tantum huic justitiæ virtus augetur. Debet autem hoc jejunium esse naturale, quod includit carentiam, seu abstinentiam ab omni cibo, & potu, seu re, quæ sumatur per modum cibi, aut potus, quare si quid sumatur per modum salivæ, aut si per modum respirationis aliquid attrahatur non violat jejunium. Cum autem hoc præceptum naturale non sit, sed positivum certum est posse interdum propter gravem caussam cessare, quia lex positiva non obligat tam stricte, quin aliquando cesset. Unde additur in Sessione XIII. laudati Concilii Constantiensis; *nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis a jure, vel ab Ecclesia concesso*. Et ita ab hoc generali præcepto excipiuntur infirmi, qui statim communicandi sunt etiam post cibum, si de eorum periculo dubitatur, ne sine communione decedant, ut habetur in capite *presbyter* de Consecr. distinct. 2. & tradit Rupertus Tuicienses de Divinis Officiis lib. 10. cap. 18. Nec cuiquam hæc Divina Mysteria post cibum corporis traduntur, nisi urgeat ea, qua retardari non potest instantis necessitas mortis.

Potest etiam Sacerdos non jejunus communicare si Sacrificium quod alius incœperat præ inopinata infirmitate non potuit consumare. Concilium Toletanum VII. hoc decrevit in can. 2. *Censemus convenire, ut cum a Sacerdotibus Missarum tempore sancta Mysteria consecrantur, si ægritudinis accidat cujuslibet eventus, quo cœptum nequeat consecrationis expleri Mysterium, sit liberum Episcopo, vel Presbytero alteri consecrationem exequi officii cœpti. Ne tamen quod naturæ languoris causa consulitur in præsumptionis crimen convertatur nullus post cibi, potusque quamlibet minimam sumptionem Missas facere, nullus absque patenti proventu molestiæ Minister, vel Sacerdos, cum cœperit, imperfecta officia præsumat omnino relinquere*.

Extenditur hæc doctrina ad casum, in quo quis post verba consecrationis adverteret vinum non fuisse positum, sed aquam; nam si hoc advertat post sumptionem calicis, apponet aliam hostiam iterum consecrandam, & vinum cum aqua in calice offeret, utrumque consecrabit, & sumet quamvis non sit jejunus. Extenditur etiam ad alios casus, qui apud suos auctores videri possunt; præsertim vero apud Theologos morales. Solum additur per communionem Eucharisticam, neque naturale, neque Ecclesiasticum violari jejunium; quare Concilii XII. Toletani Patres in capite *relatum* 11. de consecrat. distinct. 2. reprehendunt Sacerdotes, qui dum in una die plures Missas celebrabant, tantum in ultima Corpus Domini sumebant prætextu fortasse violati jejunii, si in ceteris communicassent, discrimen non agnoscentes inter sumptionem Corpus & Sanguinis Domini, & purificationem Calicis per Vini perfusionem. Verum cum in citato capite nulla fiat mentio vini non perfundendi, aut purificationis non sumendæ, sed tantum ut quotiescunque sacrificans Corpus, & Sanguinem Jesu Christi Domini Nostri in Altari immolat toties perceptionis Corporis, & Sanguinis participem se præbeat, dicendum est quod hæc perfusio adhuc in Ecclesia non esset in usu, & revera Sacerdotes illi putaverint frangi naturale jejunium per sacrorum Mysteriorum participationem. Stercoranistarum stupiditati alter error attribuitur, quod per communionem Eucharisticam jejunium Ecclesiasticum solvatur. De his itaque Algerus hoc scribit in libro 2. contra Berengarium cap. 1. *Non*

sunt

sunt observanda Graecorum Haereticorum. Fallitur hic Algerus, qui errorem hunc attribuit Graecis, a quo alieni fuere, *qui merito Stercoranistae vocantur deliramenta, qui dicunt participatione Corporis, & Sanguinis Christi solvi Eucharistica jejunia & caelestem escam, veluti terrenam, indifferenter accipiunt*, & Humbertus Cardinalis contra Nicetam Pectoratum: *Perfidi*, inquit, *Stercoranistae, qui putant fideli participatione Corporis, & Sanguinis Domini, Quadragesimalia, atque Ecclesiastica dissolvi jejunia*.

XVII. Quaecumque ex ore ad stomacum per modum cibi, & potus trajiciuntur jejunium naturale tollunt, & ideo inquit D. Thomas hic q. 80. a. 8. *neque post assumptionem aquae, vel alterius cibi, aut potus, vel etiam medicinae in quantumcumque parva quantitate, licet hoc Sacramentum accipere, nec refert utrum aliquid hujusmodi nutriat, vel non nutriat, aut per se, aut cum aliis, dummodo sumatur per modum cibi, vel potus*. Reliquiae tamen cibi remanentes in ore, si casualiter transglutiantur, non impediunt sumptionem hujus Sacramenti, quia non trajiciuntur per modum cibi, sed per modum salivae, & eadem ratio est de reliquiis aquae, vel vini, quibus os abluitur, dummodo non trajiciantur in magna quantitate, sed permixtae salivae, quod evitari non potest. Neque abstinere debet a Communione qui post cibum praecedente nocte sumptum nullum somnum interposuit, quia nullum est in hoc praeceptum, nam quod aliqui objiciant Alexandri III. decretum in capite *si constiterit* de accusationibus, hi longius absunt ab intentione Pontificis, ut legenti textum patebit, ibi enim Sacerdos punitur, quia in taberna pernoctavit nocte, quae Missam praecesserat, & inde ivit ad Missam cantandam, punitur propter scandalum, & propter irreverentiam, & quia rationabiliter praesumebatur non fuisse jejunum. De cetero non refert utrum post cibum, vel potum assumptum aliquis dormierit, aut etiam digestus sit, quantum ad rationem praecepti. *Refert autem*, inquit D. Thomas l. c. *quantum ad perturbationem mentis* quam patiuntur homines, vel propter indigestionem, vel quia non dormierunt, ex quibus si mens multum perturbetur, homo redditur ineptus ad sumptionem hujus Sacramenti.

CAPUT VIII.

DE EUCHARISTICA COMMUNIONE.

I. P*Erfectionem Sacramenti Eucharistiae, non esse in usu fidelium, sed in consecratione materiae, & ideo nihil derogare perfectioni illius, si populus sumat Corpus sine Sanguine, dummodo Sacerdos consecrans sumat utrumque*, docuit Praeceptor Angelicus hic q. 80. a. 12. ad 2. Ex quibus verbis perperam Sectarios fremere intelligimus contra introductum in Ecclesia Catholica morem fideles communicandi sub sola specie Panis. Dixi *introductum morem*; nam qui vel levissima rerum Ecclesiasticarum peritia imbutus est, ignorare non potest quoscumque sive Clericus, sive Laicos, viros, & mulieres cum solemni Mysteriorum celebrationi aderant, offerebant, & de oblatis participabant, sub utraque specie

 sa-

sacra Mysteria antiquitus sumpsisse. Extra Sacrificium vero, & extra Ecclesiam semper, & ubique Communionem sub una specie in usu fuisse. Sed his non obstantibus, ut difficultatibus occurramus, quæ sub variis opinionibus possent excitari, hujus Controversiæ argumentum ita dividere opere pretium duximus, ut inquiramus 1. Utrum licita sit Eucharistiæ participatio sub una, vel sub utraque specie. 2. Utrum sit necessaria 3. An Ecclesia potuerit veterem disciplinam immutare.

§. I. *Licitum fuisse de sacris Mysteriis participare fidelibus non conficientibus sub utraque, vel sub una specie constanti fere quatuordecim Sæculorum usu luculentissime demonstratur, contra Sectariorum calumnias, qui utriusque speciei necessitatem adstruunt ex Divino præcepto.*

II. Probatur prima pars ex facto Christi Domini in Cœna, cum Apostolis suis Corpus suum dedit in cibum, & Sanguinem in potum, ut rem describunt Matth. in caput 26. Marcus in cap. 14. Lucas in c. 22. & Apostolus Paulus in 1. ad Cor. 11. Secundo vero, & specialiter etiam ex Apostolica commonitione, qua fidelium cuilibet dictum est, ut *probet seipsum homo, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat*. Tandem ex usu, quem per Ecclesias fuisse propagatum tradiderunt Justinus in Apol. 2. pro Christianis, Cyprianus in libro de Lapsis, Hieronymus in cap. 2. Sophoniæ, Ambrosius in libro 9. histor. tripartitæ cap. 30. Gelasius Papa in cap. *comperimus* de Consecrat. dist. 2. Magnus Leo in Serm. 4. de Quadragesima, Patres XI. Concilii Toletani in can. 11. Ordo Romanus sub titulo qualiter celebrandum sit officium Missæ, & demum Sugerius Abbas S. Dionysii in vita Ludovici VI. Galliarum Regis ad an. 1136. Imò sub temporibus ipsis S. Thomæ, in aliquibus Occidentis Ecclesiis eundem morem viguisse publicis in conventibus communicandi sub utraque specie idem S. Doctor docet 3. p. q. 80. a. 12. Constat igitur prima pars nostræ Propositiones.

Altera pars non inferioribus momentis demonstratur. De primis enim ad fidem conversis, hæc in secundo capite Actuum Apostolorum leguntur: *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis Panis;* ex quibus verbis nihil aliud insinuari posse præter communionem sub una tantum specie confirmatur ex eo, quia plurimi erant in Jerusalem Christiani, qui illo tempore legalia Moysis custodiebant Apostolis permittentibus, inter quos præcipue Nazaræi, qui toto Nazareatus tempore a vino abstinebant, quos profecto incredibile est contra votum suum bibisse de Calice Domini, aut a Communione abstinuisse, cum S. Lucas neminem excludat a Sacrorum Mysteriorum participatione, quapropter dicendum est revera illis sub una tantum specie Eucharistiam dispensatam fuisse. Nec aliter communicabant in primis nascentis Ecclesiæ incunabulis illi fideles, qui domum, ut alibi diximus, sacra dona deferebant, quorum meminit Tertullianus in libro 2. ad Uxorem, Clemens Alexandrinus libro 1. Stromatum, Basilius in epistola ad Cæsariam Patriciam, & Hieronymus in Apologia pro libris in Jovinianum. Huc etiam referri potest usus sacram Eucharistiam mittendi a Romanis Pontificibus ad Episcopos Asiæ in mutuæ communionis signum, de quo Irenæus Lugdunensis Episcopus in Epistola ad Victorem Papam hæc scribit: *Præcessores tui Romani Episcopi,* ve-

nostratibus Episcopis (idest Asiaticis) *Eucharistiam miserunt*. Nec certe credi debet in tanto itineris intervallo vini species fuisse delatas: Vinum siquidem diu conservatum exacessit, & corrumpitur, nec potest sine periculo effusionis longe portari. Nec aliter communicabant Anachoretae in vastis solitudinibus quam particulis, quas secum deferebant, cum in Solemnioribus Festis ad Ecclesiam conveniebant. Eandem praxim ostendit ritus Communionis infantium, quibus, cum sacrum edere Panem non possent, Sacramentum sub specie Sanguinis administrabatur Calice ori eorum admoto, sive cum folio, sive cum digito intincto in Sanguine Domini, & posito in ore ipsorum ab eisdem sugendo, ut ex pluribus Pontificalibus confirmatur. Ex ritu Communionis infirmorum luculentius hoc demonstratur. Hi communiter ex reservata Eucharistia communicare solebant, haec vero sola erat Panis species, nam hanc solam in eorum gratiam olim asservatam fuisse loco supra citato indicavimus ex decreto Concilii Turronensis a. 567. in canone 3. nec aliam praeter speciem panis conservare poterant illae vasorum formae, quae ad usum hunc adhibebantur, Turres scilicet, & columbae argenteae, vel aureae, mox urnae eburneae, & argenteae pixides, & apud Graecos sacculi, qui muris appendebantur. Dionysius Alexandrinus apud Eusebium libro 6. Historiae Eccles. cap. 44. asserit Presbyterum quemdam exiguam Eucharistiae partem puero tradidisse, ut in aqua intinctam Serapioni seni ad mortem infirmo in os instillaret, quem modum legimus in can. 16. Concilii IV. Carthaginensis approbatum ubi decernitur: *infundatur ori ejus Eucharistia*. Sanctum Ambrosium sub una specie ab Honorato Episcopo Vercellensi Eucharistiam accepisse scripsit Paulinus Diaconus in ejus vita, idemque contigit S. Basilio ex relatione Amphilochii. Hinc ortum habuit mos separandi in Missa ex Hostia consecrata tertiam partem, ut pro viatico distribueretur aegrotis, ita hujus consuetudinis caussam describunt Ammalarius de Offic. Eccles. lib. 3. c. 33. & Micrologus de rebus Ecclesiasticis cap. 37. Demum ut monumenta cetera praeteream recolenda sunt ea quae diximus cum agebamus de Eucharistia non asservanda in diem chrastinum, quod cum Communioni plurimae reliquiae supererant advocabantur bis in hebdomada pueri, qui eas in templis manducarent.

III. Effugia quaerunt adversarii, dum vim sentiunt argumenti, quod ex constanti Ecclesiae disciplina petitum est, & propterea reponunt Serapionem defraudatum fuisse Sacramento, & Paulinum per Synecdochen locutum fuisse, cum scripsit Sanctum Domini Corpus morienti Ambrosio oblatum. Addunt insuper nova exempla, ex quibus constat utramque speciem fuisse dispensatam infirmis extra casum summae necessitatis, quem excipiunt, quemadmodum excipiunt singularem quarumdam Ecclesiarum abusum, qui contra Divinam, & Ecclesiasticam institutionem mutila Sacra dona porrigebant aliquibus, ut vel in Ecclesia reciperent, vel domum illa deferrent, quem abusum Concilia Caesaraugustanum, & Toletanum primum, Romanique Pontifices proscripserunt.

IV. Contra haec Adversariorum effugia faciunt primo, tum Basileensis Concilii in Sessione xxx. tum Constantiensis Decretum in Sessione XIII. latum, tum Martini V. Epistola, & id, quod in cap. 1. Sessionis XXI. Tridentini PP. statuerunt videlicet Laicos, & Clericos non conficientes non adstringi jure Di-

Divino ad Communionem sub utraque specie. Primo quidem, quia probabilitate non caret Christum Dominum in Castello Emaus dedisse Discipulis Corpus suum ad manducandum, quando, ut scripsit S. Lucas c. 24. cognoverunt eum in fractione Panis, & statim, scilicet nulla interposita mora, qua illis Sanguinem porrigeret ad bibendum, evanuit ab oculis eorum. Quodsi Christus Dominus duobus Discipulis tunc Eucharistiam non distribuit, ut aliqui asseruerunt, Augustinus tamen, aliique non pauci testantur saltem illo facto Christum adumbrasse Communionem sub una specie, & innuisse non esse illicitam, quemadmodum illam jam adumbraverat in multiplicatione quinque Panum, in Manna, & in Panibus Propositionis. Secundo quia, ut in laudato loco arguunt Tridentini Patres: *etsi Christus Dominus in ultima Cœna venerabile hoc Sacramentum in Panis, & Vini speciebus instituit, & Apostolis tradidit, non tamen illa constitutio, & traditio eo tendunt, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendam adstringantur. Nam multa tunc egit Christus propter speciales rationes, quæ tunc occurrerunt, & quæ per se ad Mysterium non sunt necessaria, quæ quidem licet conjecturis, & rationibus discerni possint, maxime tamen Ecclesiæ Auctoritate, & Traditione, quæ optima est interpres Verborum Christi. Decuit tunc Apostolos sub utraque specie Sacramentum sumere, vel quia erat initium institutionis, neque effusionis, vel indecentiæ erat periculum, vel quia in illa Cœna Apostoli ordinati sunt Sacerdotes, quibus oportet totum sumere, quæ congruentiæ, non semper, & semel concurrunt in omni dispensatione Eucharistiæ. Sed neque ex Sermone illo* (argumentum prosequuntur Tridentini Patres) *apud Joannem* 6. *recte colligitur utriusque speciei Communionem a Domino præceptam esse, utcumque juxta varias Sanctorum Patrum, & doctorum interpretationes intelligatur, namque qui dixit: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis, dixit quoque: si quis manducaverit ex hoc Pane vivet in æternum, & qui dixit, qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem habet vitam æternam, dixit etiam: Panis, quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Et denique qui dixit: qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem in me manet, & ego in illo, dixit nihilominus, qui manducat hunc Panem vivet in æternum.* Neque timendum est in hac singulari unius speciei manducatione Christi memoriam non fieri cum in singulis speciebus sit totus Christus; & certe si Lucas solummodo post consecrationem Corporis addit hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, quæ Paulus 1. ad Cor. 11. addiderat post consecrationem utriusque speciei; etiam sola sumptio Corporis fieri potest in Christi commemorationem, cum non solum dicat Apostolus: *Probet autem se ipsum homo, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat*, sed scribat etiam l. cit. c. 10. *Panis quem frangimus nonne participatio Corporis Christi est?* et post pauca: *Unus Panis, & unum Corpus sumus, qui de uno Pane participamus*; sic enim legitur in omnibus Bibliis correctioribus vulgatæ editionis, nec non in omnibus Græcis. Præterea neque exigit ipsius Sacramenti natura, ut semper utraque species sumatur, sive consideretur hujus Sacramenti effectus, sive id, quod hoc Sacramentum significat, sive id, quod in hoc Sacramento sumitur. Si consideretur hujus Sacramenti effectus, certum est Laicos communicantes in una tantum specie non pati aliquod detrimentum, quia totus Christus sub quacunque specie continetur: hinc S. Thomas Opusculo 58. cap. 29. *Sanguinem Christi, ait a Laicis sumpsum sub spe-*

specie Panis esse eis tam utilem, tamque dulcem, sicut Sacerdotibus sub specie Vini, & S. Bonaventura in 4. distinct. 11. part. 2. a. 1. q. 2. dicit: *sumpta una specie sumi totum Sacramentum, quo ad efficentiam*, & Paschasius in libro de Corpore Christi cap. 14. Sacramentum hoc cum Manna comparans, inquit, *si ergo in figura unicum alimentum omnia præstabat; quanto magis ipsum Christi Corpus Sanguine plenum unica specie sumptum omnia perficiet, licet enim hoc Sacramentum ex duabus speciebus constet, tamen singulæ ad unum finem, & formalem effectum ordinantur, unionis scilicet cum Christo, & fervoris charitatis, neque alicui ex illis promissio facta est sub conditione alterius, sed una promissio utrique speciei facta intelligitur in toto, seu ratione totius, & hæc adimpletur, & ideo neque augetur, nec imminuitur effectus ex hoc, quod utraque species sumatur, aut una sola*. Quamvis vero ipsæ species, quo ad res sensibiles, & materalia signa diversa sint, tamen quo ad rationem, & modum significandi conveniunt, quia significant per modum unionis, vel unius rei coalescentis ex granis, vel nutrimenti, quod per unionem conjungitur, & unitur sumenti. Hinc utraque species ordinatur ad nutriendam charitatem, & consequenter ad accendendum fervorem ejus, & efficiendam unionem cum Christo, & propterea utraque confert auxilia ejusdem rationis æqualia, & ad eundem finem ordinata, & qualibet earum sufficienter adjuvat hominem ad perseverandum in vita gratiæ. Non negamus certe etiam utrique speciei convenire, ut speciali modo repræsentent Christi Passionem, sed hoc magis pertinet ad rationem Sacrificii, quam Sacramenti, & propterea supra diximus Sacerdotem debere utramque speciem sumere, quia ad ipsum pertinet Sacrificium perficere; non est vero de ratione Sacrificii, ut omnes, qui adstant de ipso participent, & communicent in omnibus Missis, quas audiunt, & consequenter minus erit necessarium, quod de utraque illius specie participent, cum in singulis speciebus totus Christus contineatur, & tantumdem sumatur uno modo, sicut altero, vel semel, vel bis sumatur, vel sub Hostia majoris, vel minoris quantitatis, aut sub una, aut sub duabus, hoc nihil refert ad integram ejus sumptionem, & ad perfectam cum ipso unionem. Posset aliquis ex parte ipsarum specierum hanc obligationem inducere; imperite tamen, si hanc obligationem nasci vellet, aut propter earumdem significationem, aut propter effectum, aut propter rem contentam, ut modo demonstratum est. Neque inferat, propter hoc injuriam Sacramento irrogari, quod in una tantum specie sumatur: quia si consideretur id, quod est res, & Sacramentum simul, hoc totum sumitur in singulis speciebus, si vero id, quod est Sacramentum tantum, licet materialiter una tantum pars sumi videatur, tamen formaliter in ratione signi, & virtualiter in ratione caussæ totum sumitur in singulis partibus, quia totum est in illis, quod etiam sufficit, ut in sumptione unius speciei integrum, ac perfectum Convivium, & consequenter perfecta Refectio significetur.

V. Patet ex his primo merum esse effugium id, quod adversarii in superiori argumento pronunciarunt, & revera, tum Dionysium, tum Paulinum rem narrasse pro ut contigerat juxta Disciplinam, quæ tunc in Ecclesia erat introducta. Hinc Serapion non est conquestus, quod dimidiato, & mutilo Sacramento donatus fuerit, sed ubi bucellam glutivit in pace quievit, & S. Ambrosius, accepto Christi Corpre efflavit animam. In Paulini verbis nullus re-

relinquitur locus, ut illa interpretemur, quæ scripsit, tamquam ab illo figurate narrata: *Honoratus*, inquit, *Sacerdos Ecclesiæ Vercellensis, cum in superiora Domus, sequi eum compulisset, tertio vocantis se vocem audivit, dicentisque sibi, surge, festina quia modo est recessurus. Qui descendens obtulit Sanctum Domini Corpus. Quo accepto ubi glutivit emisit Spiritum.* Si Vini speciem obtulisset Honoratus, cum præsertim tunc temporis utramque bene valentes reciperent, id narrare Paulinus non omisisset; imò qui de morientium Communione scripserunt, nec alii Scriptores utriusque Speciei meminerunt. Neque valet objicere, quod sumere potuerint Panem Sanguine intinctum, nam ante Sæculum VII. moris hujus nullum in Ecclesiastica Historia monumentum habemus. Ultro tamen concedimus utramque speciem etiam infirmis fuisse porrectam, quod contingebat, cum infirmi statim post Missam Eucharistiam accipiebant, maxime cum satis eis superesset virium, ut sub utraque specie refici possent. Id constat ex MS. Codice S. Remigii apud Menardum in notis ad Sacramentarium S. Gregorii p. 380. & ex can. 11. Concilii Toletani XI. & apud Reginonem in lib. 1. de Ecclesiasticis Disciplinis c. 119. ubi legitur *V. Bedam præscripsisse, quod postquam infirmus Sacra Unctione fuerit delibutus, statim Corpore, & Sanguine Domini recreandus est.* Verum ipse Venerabilis refert in Histor. Anglic. lib. 4. c. 14. *quemdam Puerum nuper ad fidem vocatum in Monasterio infirmitate correptum accersivisse Presbyterum, qui statim vocatis Fratribus, parari prandium, Missas fieri, atque omnes communicare more solito præcepit, simul & infirmanti Puero de eodem Sacrificio Dominicæ Oblationis particulam deferri mandavit.* Sequitur itaque ex his, aliquando unam, aliquando utramque Panis, & Vini speciem Infirmis fuisse dispensatam, non vero introductam pro una Specie disciplinam esse condemnandam. Et certe Ritus Græcorum est, quod Ægrotis sub una tantum præbeatur, quam ut scribit Arcudius lib. 3. de Sacram. Euchar. c. 55. per totum annum præparant fer. 5. Sanctioris hebdomadæ in memoriam Cœnæ Domini. Leo Allatius de eodem Græcorum Ritu agit in Epistola 2. ad Nihusium in suis Symmictis lib. 1. Etiam Abrahamus Ecchellensis Maronita testatur invaluisse eundem morem, non solum apud Maronitas, sed & penes reliquas Nationes Orientales præbendi Ægrotis Communionem sub unica specie Panis, & citat caput tertium Sectionis 3. Constitutionum Ecclesiæ Orientalis ubi hæc leguntur. *Ægrotis, & qui longe distant ab Ecclesia, & qui impedientibus sunt distracti negotiis, ut sunt Pastores, & Agricolæ, qui incolunt Villas, nec habens Ecclesias, nec Ecclesiam remotam adire possunt, similiter quoque Mulieres, præsertim cum timetur, ne hinc accidat eis ignominia aliqua propter itineris distantiam deferre ad hos Calicem periculosum est, ideoque Corpus sive Sanguine datur illis.* Tandem apud Abyssinos quoque Viaticum moribundis dari sub sola specie Panis Lucas Holstenius ad Nihusium scribit.

VI. Neque illud negamus, quod quidam addunt, in casu necessitatis unam tantum fuisse Speciem concessam temporibus illis, quibus utraque in usu erat imò dicimus ex necessitate introductum, quod sub una tantum specie Fideles communicarent, neque id improbavit S. Thomas hic q. 80. a. 12. ubi scripsit: *provide in quibusdam Ecclesiis observari, ut Populo Sanguis sumendus non detur, sed solum a Sacerdote sumatur, idque ex incomodis pluribus, quæ sequebantur ob communicandorum multitudinem, & Ministrorum infrequentiam, ob periculum effusionis, propter Vini alterationes, aut maximam*

ejus-

ejusdem penuriam, aut demum, quia non pauci inveniuntur, vel ex Nativitate, vel ob infirmitatem abstemii, qui ne quidem odorem Vini ferre possunt. Gravibus his, & justis caussis adducti Ecclesiarum Præsules, veterem consuetudinem sumendi Eucharistiam sub utraque specie, in alteram commutarunt sub una dumtaxat communicandi, atque hanc pro lege habendam decreverunt, nec propterea mutilum Sacramentum fidelibus tradiderunt, & nulla Synodus, nullus Episcopus, nullus Auctor hanc Communionem sub una tantum specie damnavit; imò constat Græcos nunquam Latinis hoc objecisse tamquam erratum, cum tamen alia multa objecerint, in quibus a nobis diffidebant. Sectarii, hoc quidem jus sibi arrogarunt, & arrogant, ut mutilent Sacramentum. Joannes Brentius in 2. parte Apologiæ pro Confessione Wittembergensi admittit Abstemios posse sub una specie communicare, *non obstante*, inquit ille, *jure Divino utramque Speciem præcipiente*. Philippus Melanchon in lib. de usu integri Sacramenti scripsit, *Rutheranos ob Vini inopiam recte facturos, si pro Vino uterentur aqua mellita, seu Medone.* Unde nam vero Brentio, & Melanchoni fuit hoc jus, ut Divinum interpretarentur, & declararent Abstemios, & Rutheranos in illo Mandato non comprehendi? Quod si nihilominus id sibi licuisse crediderunt, multo magis Catholica Ecclesia jus habebit interpretandi, & declarandi solos Sacerdotes teneri se ipsos sub utraque specie communicare.

VII. Dum addunt domesticam Communionem abusum fuisse, non sine maxima injuria id dicunt Sanctissimorum illorum Antistitum, qui secundo, tertio, & quarto Ecclesiæ Sæculo, sævientibus maxime Persecutionibus permiserunt unicuique ex Populo Eucharistiæ partem sumere, ut in propria domo illa reficeretur. In hoc vero usu refellendo, dupliciter a Sectariis erratum est. Erravit Kemnitius, cum asseruit illos, qui unam speciem domi sumendam reservabant, alteram speciem, scilicet Sanguinem in Ecclesia sumpsisse. Primo quidem, quia usus Ecclesiæ non fuit quod adultis sola Sanguinis species daretur, utraque dabatur, & utraque sumebatur, & qui alteram sumere respuebat ab utraque arcebatur, quoadusque utramque non sumeret. Secundo vero, quia participationem Sanguinis in Ecclesia, & Corporis Christi in propriis domibus unam eamdemque dixit Communionem factam per temporum intervalla; una enim Communio esse non potest, cum diversis diebus Eucharistiæ species sumuntur, ab illis autem fidelibus pluries in hebdomada Sacra Dona domi sumebantur, illis scilicet diebus, quibus ad Sacrificium convenire, non poterant. Errarunt etiam illi, qui asseruerunt speciem in privatas ædes a fidelibus deferri solitam, fuisse non solum Panis, sed etiam Vini, quod probant ex Gorgonia, de qua ejus Frater Gregorius Nazianzenus scribit, quod *Coporis Christi, & Sanguinis Antitypa lacrimis suis domi in Oratorio domestico solita esset perfundere.* In hoc autem erratum est primo, quod Gregorius non scripserit Gorgoniam utramque speciem recondidisse, sed *quidpiam signorum Corporis, aut Sanguinis D.* cumque illorum temporum praxis unam speciem fidelibus porrigeret, hanc Gorgoniam secum detulisse tenendum est, & Christi Corpus propriis lachrimis, sæpius perfudisse, & hoc patet etiam ex eo, quod tunc Viri nudis manibus, Mulieres linteo Eucharistiam excipiebant, ut describit Cæsarius Sermone 229. in Appendice novæ Editionis S. Augustini. Quomodo autem in linteo potuisset accipere Sanguinem Christi? Deinde quomodo illum Domi asservasset? Nam ut Athanasius in Apolog. 2

contra Arianos demonstrat, non erant in domibus Laicorum ulli Calices Sacri, seu vasa, quibus Sanguis D. posset contineri. His accedit, quod nunquam fuit usus in Ecclesia consecrandi simul multos Calices, ut patet ex iii. Gregorio, qui in sua ad Bonifacium Episcopum Moguntinum Epistola quosdam reprehendit, qui contra morem Ecclesiæ plures Calices consecrabant, neque fuit usus unum Calicem consecrandi adeo magnum, qui tantum Vini posset capere, quantum universo Populo sufficeret; quomodo ergo fieri potuisset, ut ex Calice consecrato aliquid fideles acciperent, quod in suas domos deferrent, & postea sumerent simul cum Pane? Importune vero Decreta opponunt Adversarii Cæsaraugustanæ, & Toletanæ Synodi, cum hæc Decreta non prohibuerint Communionem domesticam, quasi scilicet malum esset, & Divina Lege prohibitum communicare sub unica specie, sed illam abrogarunt ob irreverentiam, qua tantum Sacramentum afficiebatur, & quia Hæretici domestica Communione abutebantur in Catholicæ Fidei detrimentum, quod satis in suo Canone Toletani PP. exposuerunt, & Bossuetus docuit in sua Historia Variationum.

VIII. Neque Sectariorum opinioni patrocinantur Romani illi Pontifices, qui ab ipsis citantur Gelasius, & Magnus Leo: *Comperimus*, inquit Gelasius, *quod quidam sumpta tantummodo Corporis sacri portione a Calice sacri cruoris abstineant, qui procul dubio (quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio unius, ejusdemque Mysterii sine grandi Sacrilegio non potest provenire*. Leguntur hæc verba apud Gratianum de Consecrat. dist. 2. cap. 12. Nullus Theologus in recitatis verbis hujus canonis se mentem Pontificis esse assecutum putaverit: qui non dixerit Gelasium iterum errorem illum, & Hæreticos illos hoc canone perstrinxisse, contra quos disserens S. Pontifex Leo Sermone 4. de Quadrages. hæc ait: *Cum ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse Mysteriis; ita in Sacramentorum Communione se temperant, ut interdum tutius lateant: Ore indigno Corpus Christi accipiunt; Sanguinem autem Redemptionis nostræ haurire omnino declinant. Quod ideo vestram volumus scire Sanctitatem, ut vobis hujuscemodi homines, & his manifestentur indiciis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio notati, & prohibiti a sanctorum societate, Sacerdotali auctoritate pellantur*. Manichæorum erat hæc superstitio, qui, ut alibi etiam notavimus, eo quod Vinum crederent a Diabolo factum, Communionem sub specie Vini sumere recusabant. Adversus hos Hæreticos fuit hic Gelasii canon promulgatus, de quibus Anastasius scribit, quod temporibus Gelasii plures Romæ reperiebantur sub Catholico nomine latitantes, ideoque ut proderentur, optimum Gelasius duxit ad remedium illud confugere, quod optimum fuisse experientia probaverat ætate S. Leonis, & propterea Gelasius Papa præcepit, quod sub utraque specie omnes communicarent ne, ut inquit Bona, *si Catholici a Calice abstineant se de Hæresi Manichæorum suspectos redderent, aut ipsi Manichæi eo signo detegi non possent si idem facerent quod Catholici, sub specie sola Panis communicantes*. Neque alter est sensus Verborum Augustini quæ leguntur apud Algerum libro 2. de hoc Mysterio cap. 8. & apud Bedam 1. ad Corinth. 10. *Nec Carnem sine Sanguine, nec Sanguinem sine Carne jure communicari*, idque eruitur ex hoc, quod non raro contigit Augustino scribere contra Manichæos, nisi asserere velimus, Augustinum contra illos hæc scripsisse, qui Corpus sine

San-

Sanguine contineri in Hostia Consecrata putantes, nihilominus solam speciem Panis sumebant, & propterea de his dici potest, quod de Manichæis Gelasius scripsit: *Divina Mysteria proculdubio mutilare, seque grandi Sacrilegio obstringere*. Patet igitur ad his Romanis Pontificibus non condemnari Communionem sub una tantum specie Panis, quæ tunc certe Romæ oportuit quod esset libera sub utraque, quandoquidem non potuissent Manichæi latere, qui Sanguinem Domini numquam sumebant; sed utriusque sumptionem imperari, non quia per se esset necessarium, sed quia ex impia superstitione aliter fiebat. Utilitatem hujus Decreti eventus comprobavit, nam refert Anastasius Bibliothecarius Manichæos sub Pontificatu Gelasii fuisse detectos, in exilium deportatos, & eorum Codices publice concrematos. Patet secundo abuti Sectarios Auctoritate Concilii Constantiensis, cum dicunt Constantiense Concilium sic in suo Decreto locutum fuisse: *Licet Christus instituerit, ut omnes Communicent sub utraque, tamen hoc non obstante nos volumus, ut omnes communicent sub una specie*. Ecclesia, quæ per xii. Sæcula indifferenter fidelibus distribuit Eucharistiæ Sacramentum sub duabus, aut sub una specie, in Concilio Constantiensi aliud docere non potuit, & revera id non docuit, sed Lutherus hoc impudentissimum mendacium pronunciavit in disputatione, quam edidit contra hoc generale Concilium: *In Sess. xiii. hujus Synodi Promotores Concilii allegarunt reperiri inter Sacerdotes Petrum Dresdensem, & Jacobellum Misuensem Joannis Hus socios, qui Laicis non jejunis, post Cœnam, Eucharistiam sub utraque specie porrectam distribuerant, simulque contra antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem publice docebant cuilibet etiam Laico in participatione, sumptione, & communione hujus Sacramenti utramque speciem Panis, & Vini necessario distribuendam esse. Quæ cum Ecclesiæ constitutionibus, & consuetudinibus repugnarent, eorum petitione, ex quatuor Nationibus diversis constituti sunt cognitores Judices, qui habita desuper deliberatione, communi voto, & suffragio Patrum Concilii, erroneam & Hæreticam doctrinam de Eucharistia extra Sacrificium sub utraque specie necessario sumenda damnaverunt, simulque Sacerdotibus omnibus inhibuerunt, ut sub pœna excommunicationis ulli homini utramque speciem Panis, & Vini communicent. Licet Christus*, inquiunt Constantienses Patres *instituerit, & dederit Sacramentum post Cœnam sub utraque specie Discipulis, hoc non obstante S. C. Auctoritas laudabilis, & approbata consuetudo Ecclesiæ servavit, & servat, quod hujusmodi Sacramentum non debet confici post Cœnam, neque a fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis. Et sicut hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula, & scandala est rationabiliter introducta, quod licet in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie, postea a conficientibus sub utraque, & a Laicis tantummodo sub specie Panis suscipiatur. Cum hujusmodi consuetudo ab Ecclesia, & Sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutissime observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut non sine Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare &c.* Quæso ex quibus verbis ex recitatis potuit inferre Lutherus Constantiense Concilium Divinum præceptum cognoscere Communionis sub utraque specie? Sed est aliud etiam ejusdem Lutheri mendacium in libro de Captivit. Babyl. cap. de Eucaristia, ubi dicit *Basileense Concilium in Sess. xxx. concessisse Bohemis Communionem sub utraque specie contra Decretum Concilii Costantiensis*; verum nec verbum quidem Decreti Concilii Constantiensis legitur in ci-

tata Sessione, in qua tantummodo decernitur quod Laici, & Clerici non Sacerdotes Communicare sub utraque specie non adstringuntur, quodque Ecclesia potestatem habeat ordinandi modum quemdam, juxta quem non conficientes, Eucharistiam sumere debeant, & in his Basileense Concilium idem docet, quod antea docuit Constantiense. In speciali vero Controversia cum Bohemis dictum est, ut *Bohemis ac Moravis suscipientibus Ecclesiasticam unitatem, & pacem realiter, & cum effectu, & in omnibus aliis quam in usu Communionis utriusque speciei Fidei, & ritui universalis Ecclesiæ conformibus illi, & illæ, qui talem usum haberent communicarent sub duplici specie cum auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, & Ecclesiæ Sponsæ ejus, & hunc articulum in Sacro Concilio discussum, in quo ad quæstionem de præcepto, & constituendum quid circa illum articulum pro Catholica veritate sit tenendum, & agendum ad utilitatem, & salutem Populi Christiani, & omnibus mature pertractatis, si nihilominus in desiderio Communionis sub duplici specie perseveraverint Sacrum Concilium Sacerdotibus dictorum Regni, & Marchionatus communicandi sub utraque specie Populum eas videlicet Personas, quæ in annis discretionis constitutæ reverenter, & devote postnlarent, facultatem in Domino pro eorum utilitate, & salute concessurum. Hoc semper observato quod Sacerdotes sic communicantibus semper dicerent ipsos firmiter credere debere quod non sub specie Panis Caro tantum, nec sub specie Vini Sanguis tantum, sed sub qualibet specie est integer, & totus Christus.* Ex hac Basileensium Patrum responsione nihil certe erui posse videtur, quod adversetur Constantiensi Decreto, ut propterea Lutherus possit asserere Ecclesiam Romanam contra jus Divinum Populis Calicem subtraxisse.

IX. Ne vero quis modo temere objiciat (quod Illyricus olim tentavit in Apologia Confessionis Antuerpiensis) etiam Tridentini Concilii superius expositam argumentationem non esse legitimam, eo quod Tridentini Patres adducant quidem alia testimonia Scripturarum, ex quibus inferunt licere usum Communionis sub una specie, non tamen explicant quomodo intelligenda sint verba illa, quæ apertissime utriusque speciei necessitatem videntur proponere: *Nisi Manducaveritis Carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem non habebitis vitam in vobis*, adverto Patribus Tridentinis satis fuisse declarare Christi mentem non fuisse, ut metaphorice loqueretur quando illa verba pronunciavit: *Si quis manducaverit ex hoc Pane vivet in æternum: Panis quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita: qui manducat me, vivet propter me*, aut voluisse loqui sub aliqua conditione, sed simpliciter, & absolute, ut verba sonant, quia revera Christus ipse manducatus, & vere Animæ unitus ad salutem sufficit, Superiora autem verba: *nisi mandacaveritis &c.* clarius PP. non explicarunt, ne viderentur rejicere varias Sanctorum Patrum, & Doctorum interpretationes, sed satis illis fuit indicere ex prædictis verbis nullo modo erui præceptum Communionis sub utraque specie, cum neque præceptum Divinum ex eisdem inferatur absolute communicandi solum sub aliqua, ut suo loco probavimus.

Verum supponamus modo ex hac sententia induci præceptum Communionis, adhuc stat præceptum hoc non utriusque, sed unius tantum speciei usum præcipere, & hoc colligitur ex modo loquendi Joannis, ex quo modo hæc propositio: *nisi manducaveritis Carnem, & biberitis &c.* æquivalet huic alteri: *qui comederit Carnem, vel biberit Sanguinem Domini vitam habebit:*

Oci-

Oritur hæc consequentia a negatione, quam includit illa particula *nisi*, quæ legitur in initio sententiæ, & æquivalet his aliis *si non* mandecaveritis, quæ leguntur in Græcis Codicibus. Dum autem negatio incipit propositionem copulativam, singulas ejusdem partes negat, quia singulis propositionibus simplicibus præmissa intelligitur. Neque hæc explicatio refugit Hebraicam phrasim, ut docti Expositores advertunt, qui propterea hanc sententiam Psalmi 1. *Non resurgent impii in judicio, neque Peccatores in consilio justorum* legunt ex Hebraico Textu: *Non resurgent impii in judicio, & peccatores in consilio justorum*, & hanc alteram Psalmi 128. *De quo non implebit manum suam, qui metit, & sinum suum qui manipulos colligit*, explicant, *neque sinum suum*; quemadmodum hæc verba Actorum 3. *Argentum, & Aurum non est mihi* exponunt: *neque Aurum habeo, neque Argentum*; & hæc alia Joan. 15. *si non venissem, & locutus eis fuissem*, vertunt, *& nisi eis locutus fuissem*. Cum itaque Joannes Hebraicam phrasim, ut notant ejus interpretes passim retineat, etiam hæc altera illius sententia *nisi manducaveritis &c.* datam explicationem non respuet idest: *si non manducaveritis Carnem Filii hominis, & si non biberitis ejus Sanguinem non habebitis vitam in vobis*, juxta quem sensum solus ille non habebit vitam, qui neque Carnem Domini manducaverit, neque biberit Sanguinem: ergo qui comederit Carnem, vel biberit Sanguinem vitam habebit. Prior comminatio solum cadit in eum qui utrumque omittit, qui ergo ex his alterutrum elegerit, non afficietur hac pœna. Hæc enim est natura propositionum, quæ vere copulativæ sunt, scilicet quarum particulæ copulativæ non conjungunt terminos, sed propositiones, ut possint revocari ad sensum propositionum quarum extrema disjuncta sunt, ut patet in hoc exemplo: *Qui occiderit Patrem, & Matrem morte moriatur*, cujus propositionis, quia hic sensus est, qui occiderit patrem morte moriatur, & qui occiderit matrem morte moriatur, quæ duæ propositiones sunt, ideo utraque æquivalet huic disjunctivæ, qui occiderit Patrem, vel Matrem morte moriatur, & patet etiam in hoc alio exemplo: *Beatus qui legit, & audit verba Prophetiæ hujus*, in quo, quia superior indicata Propositionum divisio attenditur, propterea vera consurgit Propositio disjunctiva: *Beatus qui legit*, vel *audit verba Prophetiæ hujus*.

X. Sed ut omnia dirimantur, quæ ex Sacris literis, & Sanctis Patribus repeti solent a Sectariis contra usum Communionis sub una specie tantum, monendum est, quod non semper in suppositione distributiva accipiuntur voces illæ, quæ videntur universitatem significare ita ut id, quod affirmatur de omnibus, & id, quod dicitur omnibus imperari, generalissime semper affirmetur, & imperetur, scilicet de omnibus omnino affirmetur, & ad omnes omnino, & singulos dirigatur. Plures sunt illæ propositiones Scripturæ, in quibus hæc generalis nota, *omnis* exprimitur: quare legitur: *omnis caro corruperat viam suam*, & alio in loco: *omnes peccaverunt*, & rursus: *clamaverunt omnes crucifige eum &c.* locus ergo non superest, ut de aliquibus affirmetur, quod in viam omnis corruptæ Carnis non abierunt? Et tamen Noe erat vir Sanctissimus, & Filii ejus a rectis viis nondum declinaverant, cum Deus dixit se vidisse omnem carnem ad malum intentam; quemadmodum non latuit Apostolum Christum peccatum originale non contraxisse, & Evangelistis omnibus notum erat pias Mulieres, Apostolos, & occultos Discipulos in Christi Crucifixionem non conspirasse. Ita cum invenerimus hæc ver-

verba apud S. Matthæ. cap. 26. *Bibite ex eo omnes*, ex quibus posset inferri Turcas, Judæos, & Gentes non esse ab Eucharistiæ Sacramento repellendas, affirmabimus non fuisse illa verba ita prolata a Christo Domino, ut ad omnes homines dirigerentur, imò neque ut biberent fideles omnes, nam ipsi Sectarii fatentur, tum fideles, tum infantes, & plerumque abstemios oportere excipi, sed neque etiam, ut biberent adulti omnes, cum solos Apostolos bibere oportuerit, ut patet tum ex contextu Sermonis Matthæi, tum etiam ex Marco dicente: *Et biberunt ex eo omnes*, scilicet ii, qui interfuerunt Cœnæ, & ii, quibus antea datum fuerat Panis, ut manducarent *ex eo omnes*, quemadmodum ex Apostolica traditione edocta Ecclesia in Sacro canone recitat. In præsenti ergo loco nihil est, quod cogat ad intelligenda illa verba nisi de solis personis Apostolorum, quia nec præceptum, neque aliquid aliud continent, quod ad communem regimen Ecclesiæ pertineat, sed solum familiarem quemdam sermonem inter assidentes eidem Mensæ, quamquam non repugnet ibi Apostolos repræsentasse Sacerdotes omnes, & propterea ibi quoque indicatum esse id, quod ab ipsis Sacerdotibus in futurum agendum fuisset. Quod si importunus, & molestus aliquis esset, qui contenderet illa verba a Christo Domino Apostolis dicta, ut repræsentabant omnes fideles, ut colligi posset ex ejusdem Christi Domini verbis apud Matth. cap. 13. *quod vobis dico, omnibus dico*, & ut eadem verba interpretatus est Paschasius in c. 15. sui Operis: *Accipite, & bibite ex hoc omnes, tam Ministri, quam & reliqui credentes*, id illi ultro concederetur; ceterum hoc nihil referret; primo quia verba hæc non sunt præcipientis, sed invitantis, seu dantis, ut solet fieri in quocunque Convivio, & ut sunt verba illa, quæ Christus pronunciavit apud Joannem 20. *Accipite Spiritum S.* nihil præcipiendo, sed dando, simulque explicando quid daret: secundo quia facultas bibendi jure Divino nemini denegata est, quod vult significare Paschasius (nisi illius textus sit corruptus, ut suspicatur Joannes a Lovanio) qui respiciens suorum temporum consuetudinem communicandi in utraque specie, Christum consideravit verba hæc dicentem, cum per manus Ministrorum Sacramentum distribuisset credentibus, non cum ipse per se Sacramentum distribuebat discumbentibus. Dixi *testimonium Paschasii probabiliter afferri vitiatum* quia cum Panis non frangatur ad bibendum sed ad comedendum, probabilius est illum scripsisse: *Accipite, & edite*, non vero: *Accipite, & bibite*.

XI. Monendum secundo est etiam, & potum apud Ecclesiæ Patres ad eandem pertinere rationem. Hoc expresse scripsit in Sermone de Cœna Domini quicumque fuerit illius Auctor, sive Cyprianus, sive alter, qui prope initium sic ait: *Manducaverunt, & biberunt de eodem Pane secundum formam visibilem &c.* quia vere accipiunt Catholici Sanguinem Domini cum Corpore sub specie Panis: nam ut supra diximus cum Augustino relato ab Algero, *non Caro sine Sanguine, nec Sanguis sine Carne jure communicatur*, & hoc est, quod volunt aliqui intellexisse Paschasium, cum superius notata verba pronunciavit, ut testatur Thomas Valdensis Tom. 2. de Sacramentis c. 13. & Augustinum, cum in lib. quæst. in Levit. q. 57. scripsit: *ad bibendum Sanguinem omnes exhortantur, qui volunt habere vitam*, non ut in modo bibendi vim faceret, sed in ipsa Sanguinis sumptione, qui idem efficit, sive sumatur per modum cibi, sive per modum potus; cognoscit enim Augustinus vel esse duo contraria non comedere Sanguinem, ut observetur Legis scriptæ man-

mandatum, & bibere Sanguinem ut obediatur Evangelio: quare utrique Legi satisfit per solam Communionem sub specie Panis, & satis est, quod ab aliquibus bibatur, ut institutio Sacramenti sub specie Vini salvetur, & fit quotidie a Sacerdotibus. Ab opinione Cypriani, Augustini, & Paschasii non dissentit Tertullianus dum scribit in lib. de Resurr. Carnis: *Caro Corpore, & Sanguine Christi vescitur, ut Anima de Deo saginetur*. Quid enim aliud est vesci Corpore, & Sanguine, nisi Sanguinem sumere per modum cibi sub specie Panis, quem cibum D. Bernardus Sermone tertio in Ramis Palmarum dixit: *alimonium Corporis, & Sanguinis Domini*.

XII. Monendum est tertio nos non contendere pro necessitate unius Speciei, ut Sectarii contendunt pro necessitate utriusque, & ideo nostram sententia non urgent singula illa documenta, quæ videntur duplicem speciem comendare, ut efficaciter urgent Sectarios momenta illa pro una specie, quæ a nobis hactenus allata sunt, & pleræque illæ figuræ, quæ Eucharistiæ manducationem sub una specie significant, ut lignum vitæ in medio paradisi, quod Sacramenti hujus figuram fuisse docuit Paschasius in libro de Corpore Domini cap. 7. Agnus Paschalis, & Manna, ut omnes norunt, & denique participatio Sacrificiorum in Lege Veteri, in quibus de sola Carne Victimarum Populus participabat, Sanguis, & libamina Deo effundebantur, ut legitur in cap. 25. Exodi.

XIII. Monendum est tandem nullum inter Christianos ante Sæculum XIV. asseruisse Communionem sub utraque specie Panis, & Vini esse Laicis jure Divino necessariam. Errorem hunc Primi omnium excitarunt Pragæ in Bohemia Auctores duo Petrus Dresdensis, & Jacobellus Misnensis. Occasionem erroris desumpserunt ex illis verbis Joannis 6. *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Wiclefum nunquam huic errori adhæsisse probant, tum Litteræ Gregorii XI. Decreta Synodi Londinensis, Concilii Romani sub Joanne XIII. & Concilii Constantiensis, ex quibus monumentis Cathalogus Errorum Wiclefi texitur. Joannes Huss inter Sectarios primus egit de præcepto Communionis sub utraque specie a Christo suis Ministris indicto, ut illam cuilibet dispensarent, quem secuti sunt Taboritæ, & Calixtini sic appellati, quod Calicis usum necessarium esse defenderent. Carlostadius A. 1521. ritum Communionis sub utraque specie in Vittembergensem Ecclesiam invexit, detestatus Ecclesiæ Romanæ Sacerdotes, quod contra Christi præceptum eam Populis sustulissent. Lutherus diversis temporibus varia de hoc articulo scripsit, ut testatur Joannes Cochlæus in cap. 23. Septicipitis. *In initiis suæ Apostasiæ optavit, quod res per Generale Concilium definiretur, deinde vero sibi consultum videri ait, ut non modo per Concilium, sed per quamque Diœcesim quilibet Episcopus, etiam invito Papa Christum sequutus in Evangelio, utramque speciem Laicis daret*; tandem in formula Missæ scripsit: *Si quod Concilium statueret, aut permitteret utramque speciem, nos nequaquam utraque uti velemus, sed in despectum Concilii, ejusque statuti, aut una, aut neutra, & minime utraque uti velemus maledicturi universos, qui ex potestate, aut statuto Concilii utraque uterentur*. Docet insuper in libro de Captivit. Babyl. cap. 1. *Sacerdotes Divino jure compelli, ut dent Laicis utramque speciem, si ipsi eam velint, Laicos vero non teneri, neque ad unam, neque ad utramque sumendam*. In articulo 16. Assertionis, impios habet Laicos illos, *qui cum impetrare non possint utramque*

que speciem saltem utramque non poscant. *Demum* in libro de Saxonica visitatione penitus damnat tamquam Divinæ institutioni contrariam, *Communionem sub una tantum specie*. Calvinus tandem in cap. 17. suarum Institut. §. 47. *edictum ait æterni Dei est, ut omnes bibant, quod homo nova, & contraria lege antiquare, & abrogare audet ediceus ne omnes bibant. Ex officina Diaboli prodiisse audit Constitutionem, quæ dimidium Cœnæ partem Dei Populo, vel furata est, vel eripuit, Symbolum nempe Sanguinis, quod Laicis interdictum Clericis ibi peculium cessit*. His Auctoribus inter Sectarios latissime disseminatus est error Communionis sub utraque specie Laicis necessariæ ex Divino præcepto Contra quos doctissimi viri scripserunt quem superiora laudata Concilia Constantiense, & Basileense damnarunt, & postremo Tridentina Synodus, quæ Constantiensi, & Basilensi decretis inhærens hunc canonem edidit in Sess. xxi. *Si quis dixerit ex Dei præcepto, vel necessitate salutis omnes, & singulos Christi fideles utramque speciem Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere Anathema sit*.

Quæ diximus de licito usu Communionis, vel sub una, vel sub utraque specie, per integra fere quatuordecim Sæcula nullo, vel Divino, vel Ecclesiastico jure reprobato, quam longe absint a veritate Sectarii profecto probant, verum eorumdem errores singulos non evertunt, posse adstruunt, ut impugnent Ecclesiam potuisse justis ex caussis a veteri usu recedere, & Laicis, Clericisque non conficientibus præcipere Communionem sub una specie; quare ut modo demonstretur, quam hoc sit impudenter dictum, & Ecclesiæ in administratione Sacramentorum Auctoritas, cum Tridentini Concilii PP. asserimus

§. II. *Licet ab initio Christianæ Religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset; tamen progressu temporis latissime jam mutata illa consuetudine, Ecclesia gravibus, & justis caussis adducta hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, & pro Lege habendam decrevit, quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ Auctoritate pro libito mutare non licet*.

XIV. In hac Propositione Catholicam Doctrinam Tridentini Patres exposuerunt, & ne imposterum, quis auderet Sectariorum errorem defendere, hoc canone, qui secundus est post decreta de hac re edita in Sectione xxi. illum confixerunt. *Si quis dixerit Sanctam Ecclesiam Catholicam non justis caussis, & rationibus adductam fuisse, ut Laicos, etiam Clericos non conficientes sub Panis tantummodo specie communicarent, aut in eo errasse, Anathema sit*. Et revera erat in Ecclesia necessaria hæc potestas, quia ea quæ pertinent ad modum dispensandi Sacramenta pro temporum, & circumstantiarum varietate, possunt etiam requirere usus, seu modos diversos, vel ad fidelium utilitatem, vel ad Sacramentorum venerationem pertinentes. Quemadmodum igitur Ecclesia non destituitur facultate ferendi Leges in iis, quæ conducunt ad perfectum ejusdem regimen, ita oportuit quod eadem facultate donaretur in Sacramentorum dispensatione, ea statuendi, quæ magis expedire judicaret. Neque ab hoc unquam abstinuit cum id necessitas postulavit, nam aliquando imperavit dari Baptismа sub triplici mersione, aliquando vero, ut sub una tantum mersione daretur; aliis temporibus invexit formam conditionalem Sacramentorum, & alia tradidit circa materiam Sacramenti Confirmatio-

tionis, Ordinationis, & Matrimonii, quæ singula ad hujusmodi Sacramentorum substantiam non pertinebant. Cum itaque etiam ad meram disciplinam pertineat Calicis usus, seu modus sumendi Eucharistiæ Sacramentum sub una, vel duabus speciebus, propter legitimas caussas potuit Ecclesia hunc prohibere, & illum retinere, atque ipsum quidem Apostolum hac potestate usum esse agnoverunt Tridentini Patres, cum in multis aliis, tum in hoc ipso Sacramento, cum ordinatis nonnullis circa illius usum *Cætera*, inquit, *cum venero disponam*.

XV. Jam vero duas illas res considerare oportet, quæ Ecclesiam ad hanc Legem ferendam movere potuerunt, quarum alteram occasionem Legis nuncupamus, alteram vero propriam ejus rationem. Varia ex variis caussis sese obtulit Ecclesiarum Pastoribus, neque infrequens hæc occasio, ita ut fere ab ipsis Ecclesiæ incunabulis ritum Communionis, quoad utramque speciem variare debuerint. Primum Documentum habemus apud Cyprianum in libro de Lapsis, cum enim tunc soleret Ecclesia Neophytis Corpus, & Sanguinem Domini distribuere, ritus hic non negligebatur in Pueris, sed cum species Panis incongruæ essent illorum ætati, Sanguis Domini ori eorum admovebatur, & ita de una tantum specie infantes participabant. Recensuit eumdem ritum Jobus Monachus Auctor VI. Sæculi in libro 3. de Incarnatione Verbi cap. 18. ubi agit de Sacramentis, & vigebat adhuc labente Sæculo XI. Consultum etiam fuit ipsis infirmis, ut ad illos Corpus Dominicum deferretur, & eisdem præberetur tantum sub specie Panis, & si opus esset, in aqua intincti, nam sola hæc species tunc temporis reservabatur ad morientium Viaticum, ut ex pluribus factis, & monumentis alibi demonstravimus.

XVI. Alter postea introductus est ritus pro Communione Adultorum. Primis temporibus Sacerdotes, & Altaris Ministri, & omnes Laici Christi Corpore nutriebantur, & ex puro Sanguine reficiebantur. Crescente fidelium multitudine Sacerdotes tantum, & Altaris Ministri & puro Sanguine participabant, reliqui fideles Sanguinem, Vino infusum sumebant. Hujus ritus praxim suppeditant Ordo Romanus, & Consuetudines S. Benigni Divionensis, eumdemque confirmant antiquum Pontificale Ecclesiæ Apamiensis in Syria MS. Ordinarium Ecclesiæ Cusentinæ A. 1203. Ordinarium Narbonense A. 1528. & plurima alia Missalia diversarum Ecclesiarum; ita ut mirum sit opinionem adeo erroneam, cui innitebatur hæc Praxis, quod scilicet ex contactu Speciei consecratæ Vinum non consecratum consecraretur, tam late fuisse propagatam. Verum tamen est oppositam sententiam, quam Joannes Boletus, & Durandus, alique tuentur, longe communiorem fuisse, & propterea æquiores rerum æstimatores, qui de ritibus sacris scripserunt, post octavum Seculum, de hujusmodi consecratione, aut silent omninò, aut illam negant, sincerioresque Ordines Romanos reponunt, qui in Cœna Domini præscribunt reservari pro sequenti feria sexta consecratas Oblatas integras, de quibus communicant abique Sanguine Domini, Sanguis vero eodem die penitus consumitur, & ex hoc intelligitur in Ecclesia Latina circa octavum Sæculum introductum fuisse usum Communionis sub sola specie Panis, quem usum semper tenuit, & tenet Ecclesia Græca toto Quadragesimali tempore, quæ consecratam die Dominica, aut die Sabati Panis speciem reservat, quam ceteris hebdomadæ diebus Sacerdotes offerunt in Missa, quæ propter hoc Præsanctificatorum Missa appellatur, & postea Populus Sacram Communionem accipit sub una tantum

specie. Viguit etiam, & adhuc viget ritus alter apud Græcos, qui sub utraque specie, non seorsim, sed simul mixta Populum communicant, Sacras enim particulas Sanguine perfusas singulis distribuunt parvo cochleari, cujus tenue, & oblongum manubrium est in parvam Crucem desinens, quas singuli ore excipiunt. Alicubi etiam in Ecclesia Latina invaluit, hic usus infirmos eodem modo communicandi. Extat hac de re in quodam Turonensi Concilio Decretum, quod ita legitur apud Ivonem Carnotensem parte 2. cap. 19. *Omnis Presbyter habeat Pixidem, aut vas tanto Sacramento dignum ubi Corpus Domini cum diligentia recondatur ad Viaticum recedentibus de Sæculo. Quæ tantum sacra oblatio intincta debet esse in Sanguine Christi, ut veraciter Presbyter possit dicere infirmo Corpus, & Sanguis Domini Nostri J. C. proficiat tibi in remissionem peccatorum, & vitam æternam.* Licet Decreti caussam non probemus; quod ad nos pertinet, ritum non omittimus, quem alibi invaluisse pro omni Populo Ernulphus Roffensis Episcopus scribit in sua Epistola ad Lambertum Spicilegii Tomo 2. & Guillelmus de Campellis apud Mabillonium in Præfatione ad Sæculum III. Benedictinum contradicentibus tamen Romanis Pontificibus Paschali secundo, & Concilio Claromontano sub Urbano II. A. 1095. Et hæc dicta sint de varia Comunionis disciplina, qua pro rerum commoditate usa est Ecclesia usque ad Sæculum XIV.

XVII. Quia vero oportuit quod natas diversis temporibus hæreses easdem compesceret, hæreticosque homines a sua pravitate detraheret, *contigit*, ut scribit Turrianus libro 8. Constit. Clementis cap. 13. *quod ad vitandas has hæreses, in quinto sæculo peculiariter usum Calicis Pontifices commendarunt, idque præstitit S. Leo Magnus, & Gelasius Papa ut Manichæos perstringerent.* Ubi Manichæorum hæresis evanuit in desuetudinem abiit hic usus contraria fidelium praxi, cui Præsules non obstiterunt, quin opus erat exortum sæculo XIV. alium errorem refellere, quo necessarium affirmabatur utramque speciem sumere, quia negabatur totus esse Christus sub singulis speciebus. Ita Waldensis tom. 2. de Sacramentis cap. 37. Tandem vero orta hæresi, que Communionem sub una specie impugnabat Ecclesia Catholica in hujus hæresis detestationem hanc consuetudinem Communionis sub una specie magis ac magis amplexa est, & ex hac ipsa occasione sumpsit aliquam caussam probandi, & retinendi hanc consuetudinem, nimirum ad detestandos errores, & scandala vitanda, quod patet ex Conciliis Constantiensi, & Basileensi, quæ Concilia ob id consuetudinem introductam esse rationabiliter introductam dixerunt, & loco Legis habendam esse, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare, & censeri erroneum dicere, quod illam observare sit sacrilegium, aut illicitum, & tandem pertinaciter asserentes oppositum, præmissorum tamquam hæreticos arcendos esse, & graviter puniendos per Diœcesanos locorum.

Accessit vero propria ratio, quæ per se movit Ecclesiam ad consuetudinem hanc Lege stabiliendam, & contrarium usum interdicendum. Primo quidem, ut ait Concilium Tridentinum. *Nulla gratia ad salutem necessaria certum est eos defraudari, qui unam speciem solum accipiunt.* Secundo quia hoc modo vitat Ecclesia omne periculum effusionis Sanguinis, quod moraliter vix posset caveri præ communicantium copia, solemnioribus præsertim Festis, & præsertim eo tempore, quo Religionis devotio adeo tepida est, &

& res Sacræ ita negligenter tractantur. Tertio quia Vini species exacessit, & corrumpitur, si vel aliquibus diebus servetur. Quarto demum ut esset uniformitas fidelium in Sacramento hoc suscipiendo, quæ uniformitas vix in toto Orbe Catholico observari posset, si sub utraque specie daretur Communio, tum quia in pluribus regionibus Vinum non crescit, & quod aliunde adfertur, partim summo pretio emitur, partim non diu conservatur; tum etiam quia multi natura abstemii sunt, ex quibus oporteret plurimos, aut rarissime, aut nunquam communicare sub utraque specie.

XVIII. Conantur aliqui auferre hanc auctoritatem Ecclesiæ immutandi ritum Communionis ex duplici in unam speciem, ex defectu potestatis privandi subditos facultate & jure illis a superiori potestate concesso in illis verbis Apostoli 1. ad Cor. 11. ***quotiescumque manducabitis Panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis***, etiam si hæc verba præceptum non contineant: quod probant exemplo petito a Sacramento Confirmationis, & extremæ Unctionis, de quibus licet Christus speciale præceptum fidelibus non imposuerit, tamen quia pro ipsis ea instituit, Ecclesia fideles privare non potest suo jure eisdem utendi.

Ceterum si bene adverterint hujus facultatis illis concessæ naturam, quæ talis est ut Ecclesiæ subordinetur quoad modum, & alias circumstantias in ipso usu Communionis servandas, intelligent Ecclesiam potuisse Laicos, & Sacerdotes actu non celebrantes ab usu Calicis interdicere, & ideo non esse simile, quod reponunt de Sacramento Confirmationis, & extremæ Unctionis, quia penitus privarentur fideles usu horum Sacramentorum facta hypothesi quod Ecclesia ab eorumdem susceptione fideles arceret, hi autem non privantur usu Eucharistiæ, quia sive sumatur sub una, sive sub duabus speciebus, idem Sacramentum est, & tantummodo præscribitur modus servandus, dum sub una tantum specie sumendum præcipitur.

XIX. Colligitur ex his non privari Ecclesiam Potestate dispensandi super hac lege. Id statuerunt Constantienses Patres in suo Decreto, cujus verba superius recitavimus, postea confirmavit eamdem auctoritatem reperiri in Ecclesia Synodus Basileensis, & demum Concilium Tridentinum idem jus agnovit in can. 4. Sessionis XXI. sed integrum negotium hoc Sessione XXII. in Decreto finali ad Romanum Pontificem refert: ***qui pro sua singulari prudentia id efficiat, quod utile Reipublicæ Christianæ, & salutare petentibus usum Calicis fore judicaverit***. Primum dispensationis exemplum legitur in Concilio Basileensi pro Sacerdotibus Bohemis. Pius IV. Germanis Episcopis idem privilegium indulsit ad mentem Concilii Basileensis, sed non felici successu: quare deinde cautum est ne ulli imposterum tum intra, tum extra Missarum solemnia utraque Panis, & Vini species porrigeretur, exceptis Diacono, & Subdiacono, qui dum in Missa solemni ministrant Pontifici sub utraque specie communicant. Cautum præterea est in Bituricensi Concilio A. 1584. can. 12. quod in exhibenda Laicis sacra Communione paratum sit vas, quod formam Calicis non præseferat, ex quo sumatur ablutio post Communionem Eucharistiæ, idemque sancivit Concilium Aquense A. 1585. ad vitandum scandalum, & Hæreticis omnem pertinaciæ occasionem auferendam, & propter majorem fidelium unionem, & conformationem.

XX. Colligitur 2. Solum propter usum Sacramenti, & utilitatem suscipientis nunquam licere Laico sumere Sanguinem Domini absque dispensatione. Eruitur hoc ex generali prohibitione absque ulla exceptione facta, unde nulla videtur occurrere posse caussa, propter quam hæc obligatio cesset, neque ipse mortis articulus, in casu quo ægrotus Panis speciem deglutire non possit, quem casum adverterunt Toletani Patres in Concilio XI. *bene vero Dominici Calicis haustum*, nam hic casus moraliter impossibilis videtur, cum obvium sit, quod in talibus circumstantiis adhibendum est; ut minimam hostiæ consecratæ particulam cum vino vel aqua infusam deglutiat: quod si omnibus adhibitis negligentiis experimentum quodlibet inutile est, sine sua culpa Ægrotus abstinebit a Viatico, quia in tali casu non habet copiam Sacramenti, vel generaliter impotens censetur, & ita præceptum Divinum utpote affirmativum non violabitur, neque jus humanum, sive Lex Eucharistica Divino juri tunc præferetur; sed occasione humani juris tales concurrere circumstantias judicabimus, ut Divinum affirmativum præceptum non obliget.

Dixi solum *propter usum Sacramenti*, ut adverterem aliud esse dicendum si ex parte ipsius Sacramenti occurrat necessitas, quæ contingere potest si Calix consecratus in manus infidelium venturus sit & effundendas, tunc enim magis consultum erit reverentiæ Sacramenti quod absente Sacerdote a Laico consumatur, quam servando verba Legis, expectare id, quod luxerat quondam Chrysostomus ad Innocentium Papam I. hisce verbis scribens: *Locum in quo sancta servabantur ingressi sunt Milites, quorum aliquos scimus nullis initiatos Mysteriis, & viderunt omnia, quæ intus erant, quia & sanctissimus Christi Sanguis sicut in tali tumultu contingit in prædictum Militum vestes effusus est*. Putaretur etiam Domini Calicem Laico non esse subtrahendum, si contingeret Sacerdotem conficientem mori, ante sumptionem Sacramenti, nullumque adesse, neque ad futurum Sacerdotem a quo posset consumi, & periculum instaret quod vini species corrumperentur, vel in actu mutarentur, quamquam oppositum tueatur Soto dist. 13. q. 2. a. 6. Quemadmodum si contingeret Sanguinem Domini in terram cadere, & nullus adesset Sacerdos, qui illum vellet lambere, permitterem Laico quod id faceret; In his enim casibus præceptum Ecclesiasticum contra finem legis obligaret, & evidenti periculo, & occasioni majoris irreverentiæ Sacramentum exponeret, si Laico remedium subtraheret, quo posset occurrere ipsius Sacramenti necessitati, quod absurdum est dicere.

CAPUT IX.

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

I. MAssiliani, qui soli ex veteribus Hæreticis citantur, a Theodoreto in libro 4. Histor. Tripart. cap. 10. & in lib. 7. c. 11. Eucharistiam nihil prodesse, & obesse scripserunt. Recentiores Sectarii Euchari-

stiæ

ftiæ attribuunt, quod fidem excitet, & quod poffit etiam fine ulla pœnitentia peccata mortalia remittere. Contra hos errores.

§. I. *Sacramentum Eucharistiæ ex propria institutione gratiam confert, non primam, sed secundam, scilicet augmentum gratiæ sanctificantis, qua homo fit sanctior, & Deo conjunctior.*

Probant hanc propofitionem illi textus, qui leguntur in capite 6. Joannis; & fæpius relati funt, *qui manducat me vivet propter me: qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem in me manet, & ego in eo: qui manducat hunc Panem vivit in æternum*, probant confentientia Patrum teftimonia Cypriani in Epiftola 18. hæc fcribentis: *Calix Dominicus sic bibentes inebriat, ut sobrios faciat, ut mentes ad spiritualem sapientiam redigat, ut a sapore isto sæculari ad intellectum Dei unusquisque resipiscat, & quemadmodum vino isto communi mens solvitur, & anima relaxatur, & tristitia omnis expellitur, ita & potato Sanguine Domini exponitur memoria veteris hominis, & fit oblivio conversationis pristinæ sæcularis, & mæstum pectus, ac triste, quod prius peccatis ingentibus premebatur, divinæ indulgentiæ lætitia resolvitur*. Auguftini pluribus in locis præcipue vero in tractatu 26. in Joannem, ubi inter alia hæc fcribit: *Qui vult vitam habere unde vivat, accedat, credat, incorporetur, vivificetur*. Cyrilli lib. 4. in Joan. cap. 16. & optime omnium Chryfoftomi libro 6. de Sacerdotio, homil. 55. In Joan. & homil. 83. in Matthæum. Probant demum varia Conciliorum decreta Ephefini in Epiftola Cyrilli ad Neftorium, Viennenfis in cap. unico de Reliquiis, & venerat. Sanctorum, Lateranenfis in cap. *firmiter* de fumma Trinit. & Fide Cath. & cap. *cum Martha* de celebrat. Miffarum, & Florentini, ubi Eugenius IV. in fuo Decreto hæc inferuit. *Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum, & quia per gratiam Christi incorporatur & membris ejus unitur, consequens est quod per hoc Sacramentum in sumentibus digne gratiam augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus, & potus, qui ad vitam agunt corporalem sustentando, augendo, reparando, & delectando, Sacramentum hoc, quoad vitam operetur spiritualem*. Quatuor rationibus eamdem veritatem probat S. Thomas hic q. 79. a. 1. quæ inftitutionem, & Chrifti promiffionem fupponunt, ex qua pendet tota hæc efficacia. Prima, & fecunda ratio in hoc fundatur, quod Chriftus hic contentus, & Paffio ejus, quæ in hoc Myfterio repræfentatur eft potiffimum, & efficaciffimum omnis gratiæ fundamentum, quia vero Chriftus, & Paffio ejus eft generalis fons gratiarum omnium, ex hoc folo fundamento definiri non poteft modus gratiæ, quæ per hoc Sacramentum datur: hinc D. Thomas fpecialem rationem hujus Sacramenti tertio loco proponit, in quo cum Chriftus Dominus veniat non ut nos redimat, fed ut fpiritualiter nutriat, nec Paffio ejus quæ per fe primam gratiam operatur non applicetur quo ad hunc effectum per rationem Sacrificii fed per ipfum Sacramentum, *ideo omnem effectum, quem cibus, & potus materiale facit quantum ad vitam corporalem, hoc totum inquit facit hoc Sacramentum quantum ad vitam spiritualem*, fcilicet ut Ambrofius ait in libro 9. de Sacramentis cap. 4. *Animæ nostræ substantiam*

ful-

fulcit. Tandem quia fideles mutuo inter se charitatis vinculo obligat, ita ut unus spiritus sint in Christo, & una cum eo Corpus efficiant, quæ charitas sine gratia minime concipi potest; quare quarto loco hujus Sacramenti effectum considerans D. Thomas ex speciebus, in quibus traditur, quæ sunt res quæ ex plurimorum granorum unione, seu conjunctione coalescunt, ideo concludit, *quod quia Christus, & ejus Passio, est caussa gratiæ, & spiritualis refectio, & charitas sine gratia esse non potest, ex omnibus præmissis manifestum esse, quod hoc Sacramentum gratiam confert.*

II. Quod vero hæc gratia, quæ ab Eucharistia producitur sit secunda gratia clarum est, quia perficit spiritualem vitam, quam supponit, secundo quia est vitalis cibus hominum spiritualiter viventium, postremo quia est Sacramentum vivorum, non mortuorum, & non desunt Theologi qui Eucharistiæ attribuunt productionem primæ gratiæ, sed hoc aut pie interpretandum est, aut rejiciendum omnino, nisi velimus in errorem illorum incidere, qui Eucharistiam institutam fuisse dixerunt in remissionem peccatorum, quos Concilium Tridentinum damnat in can. 5. Sessionis XIII. Præterea cum idem Concilium in cap. 2. ejusdem Sessionis definiverit: *Hoc Sacramentum esse institutum tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vita illius, qui dixit: qui manducat me, & ipse vivit propter me, & antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præservemur,* patet quod ex vi suæ institutionis hoc Sacramentum non habet quod vitam producat, scilicet primam gratiam, sed augmentum ejus, ut in suo Decreto Eugenium IV. scripsisse nuper notavimus. Possumus etiam illorum Theologorum locutionem interpretari animadvertendo, aliud esse loqui de hoc Sacramento ratione rei in ipso contentæ, & omnium, quæ illi secundum se conveniunt, aliud vero secundum propriam rationem, & usum hujus Sacramenti. Primo modo ea de Sacramento affirmantur, quæ affirmantur de Christo, & hoc modo recte dicitur ab illis Theologis Sacramentum efficacissimum esse, & capax producendi primam gratiam imò revera ab illo manare omnem gratiam, & omnem primam gratiam dari aliquo modo per affectum ad Christum, & desiderium unionis cum ipso; tamen non juxta hunc sensum, & modum nos loquimur, cum de hoc Sacramento disserimus, vel ut ajunt materialiter, quod explicari potest per quamdam communicationem idiomatum, nam quia hoc Sacramentum est Corpus Christi, ideo, quæ conveniunt Corpori Christi dicuntur de Sacramento: non tamen ratione propriæ institutionis, nec ratione ejus usus Sacramentalis, sed tantum ratione rei contentæ, seu inclusæ, sed alio modo accipitur scilicet prout est Sacramentum, & quantum ad effectum Sacramentalis usus ejus, & hujusmodi effectus est augmentum gratiæ, ita tamen ut non propter hoc confundatur hic effectus cum effectu exempli gratia Confirmationis, etiam si Sacramentum Confirmationis ordinetur ad augendam spiritualem vitam. *Aliter tamen quia*, ut scribit D. Thomas l. c. in respons. ad 1. *per Sacramentum Confirmationis augetur, & perficitur gratia ad persistendum contra exteriores impugnationes inimicorum Christi. Per hoc autem Sacramentum augetur gratia, & perficitur spiritualis vita ad hoc quod homo in se ipso perfectus existat per conjunctionem ad* De-

Deum, per unionem cum Christo, & cum Corpore ejus juxta illud 1. ad Cor. 11. *Unum corpus sumus, qui de uno Pane participamus*, qui effectus ut supra argumentatur idem S. Doctor in ipsis speciebus Sacramentalibus significatur, quæ ex pluribus rebus in unam coalescentibus conficiuntur. Quapropter ipsis Ecclesiæ Patribus de hoc cibo ita dicere visum est, quod ubi reliqui cibi in substantiam aliti convertuntur, cui similes redduntur, hic cibus in sese convertit hominem se manducantem, quia illum sanctiorem, ac puriorem reddit, sibique similiorem, ac magis unitum.

§. II. *Eucharistia a mortalibus peccatis præservat, & venialia remittit.*

III. Patet prima pars ex verbis Concilii Tridentini supra relatis, & ex iis quæ Dominus dixit apud Joan. 6. *Hic est Panis de Cælo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit non moriatur*, non certe morte corporali; ergo morte spirituali, quæ est per peccatum; id vero duobus modis contingere probat S. Thomas l. c. a. 6. paritate petita ex modis illis, quibus contingit corpus a morte præservari: *Uno modo in quantum natura hominis interius roboratur contra corruptiva, & sic præservatur a morte per cibum, & medicinam. Alio modo per hoc, quod munitur contra exteriores impugnationes, & sic præservatur per arma, quibus munitur corpus, ita & hoc Sacramentum duplici illo modo præservat animam a morte spirituali, nam primo quidem per hoc quod Christo conjungit per gratiam roborat spiritualem vitam hominis, tamquam spiritualis cibus, & spiritualis medicina, secundo quia repellit omnem Dæmonum impugnationem, in quantum est quoddam signum, & memoriale Passionis Christi, qua victi sunt dæmones*. Unde Chrysostomus homil. 46. in Joan. fideles hoc Sacramento refectos Leonibus comparat flammam spirantibus, eosdemque temibiles diabolo factos pronunciat, additque paulo post quod *hic mysticus Sanguis Dæmones procul pellit, cum enim Dominicum Sanguinem in nobis videt, in fugam vertuntur*.

IV. Secunda pars responsionis probatur ex consensu Patrum. Ambrosius in lib. 5. de Sacramentis cap. 4. scribit: *iste Panis quotidie sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis* & lib. 4. c. 6. scripserat: *Si quotiescumque effunditur Sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debet semper habere medicinam*, eadem tradidit Augustinus in cap. *verum sua figura*, & Gregorius in capite *quid si Sanguis* de Consecr. dist. 2. ut prætereamt Chrysostomum, Cyrillum, Bernardum aliosque, & communis est sententia Theologorum, quam docuit etiam Innocentius Papa in libro 4. de hoc Mysterio cap. 44., & Concilium Coloniense, ubi agit de hoc Sacramento, & postremum omnium Concilium Tridentinum Sess. supra cit. cap. 1. ubi aliter loquitur de hoc Sacramento, in ordine ad venialia, & respectu mortalium, dicit enim: *liberare nos a venialibus, & præservare a mortalibus*, & capite 2. addidit: *Sumi autem voluit*, idest Christus, *Sacramentum hoc tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis*

Quomodo vero effectum hunc operetur Eucharistiæ Sacramentum ita docent Theologi, quod virtute hujus Sacramenti fit quædam transformatio hominis ad Christum per amorem, ut supra diximus, & quia ex fer-

fervore charitatis peccata venialia dimittuntur propter hoc, quod dicto fervori contrariantur, ideo ex consequenti virtute hujus Sacramenti delentur peccata venialia. His accedit quod hoc Sacramentum sumitur sub specie cibi nutrientis; propria autem est alimenti restaurare quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis; ita proprium est hujus cibi spiritualis restituere ac restaurare, quod per peccata venialia quotidie perditur. Advertendum tamen est, quod secundum mensuram devotionis hæc peccata venialia hoc Sacramentum delet; quare non semper oportet, quod omnia deleat, tantus itaque potest esse devotionis fervor, quod omnia peccata venialia deleat, quod si contingat, contingere etiam poterit, quod aliqua hora homo sit absque omni peccato veniali, quamvis hoc diu durare non possit, propter difficultatem vitandi peccata venialia.

§. III. *Solvuntur nonnullæ quæstiones.*

V. Solet inquiri utrum Eucharistia remittat pœnam peccatis debitam, & utrum mitiget, seu diminuat fomitem per quod ad peccatum inducimur?

Respondetur Eucharistiam duplicem habere rationem, & Sacramenti, & Sacrificii. In quantum Sacramentum est, pro principali effectu hominem unit ad Christum, & propter hoc tollit ea, quæ in habente vitam huic unioni contraria invenit, inter quæ non invenitur pœna peccatis debita. In quantum vero Sacrificium est, habet rationem satisfactionis, & secundum hoc in parte, vel in toto pœnam tollit, sicut & aliæ satisfactiones, secundum mensuram pœnæ debitæ pro peccato, & devotionis, qua Sacramentum offertur, nec tamen semper virtute hujus Sacramenti tota pœna tollitur. Quia vero Augustinus in libro 83. quæstionum scribit: *augmentum charitatis esse fomitis diminutionem*, responderi potest ad alteram Quæsiti partem hoc Sacramentum ex quadam consequentia, in quantum auget charitatem, fomitem diminuere. Huc refertur quod legitur in cap. 9. Zachar. & huic Sacramento attribuitur: *Vinum germinans virgines*, & quod Glossa legit super illud Psalmi 67. *Selmon mons Dei: De Corpore Christi manet umbra gratiæ, quæ nobis defensaculum est contra incentiva vitiorum, & carnalis concupiscentiæ*, & id quod Sermone in Cœna Domini S. Bernardus inquit: *Si quis vestrum non tam sæpe modo, nec tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut ceterorum hujusmodi, gratias agat Corpori, & Sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in illo*. Multa similia habent Cyprianus in Sermone 118. & demum Concilium Coloniense. His effectibus addi potest quædam lætitia, dulcedo, & suavitas spiritualis, qua aliquando Animæ puræ in ejus receptione perfunduntur, & veluti inebriantur secundum illud Canticorum quinto: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini carissimi*. Additur etiam perseverantia finalis, quam respiciens Hieronymus in cap. 15. Matthæi scripsit: *Periclitatur, qui sine cœlesti Pane ad optatam mansionem pervenire festinat*. Additur adeptio gloriæ juxta illud Joannis: *si quis manducaverit ex hoc Pane vivet in æternum*, & demum additur immortalitas, & resurrectio Corporum; quapropter Sancti Patres hoc Sacramentum Symbolum

sum resurrectionis, pharmacum immortalitatis, præservativum contra mortem appellant.

VI. Non obstat his omnibus, quod qui Eucharistia donati sunt nonnunquam in gravissima scelera prolabantur, neque quod multi, etiam ea qua par est pietate ad Eucharistiæ Sacramentum accedant, qui tamen æterna hæreditate in Cœlis nunquam sint fruituri. Non obstat primum, quia defectus est in subjecto, quem defectum Eucharistia non tollit: unde S. Thomas hic a. 6. ad 1. ait: *dicendum quod effectus hujus Sacramenti recipitur in homine, secundum hominis conditionem, sicut contingit de qualibet caussa activa, quod ejus effectus recipitur in materia secundum modum materiæ. Homo autem in statu viæ est hujus conditionis, quod liberum arbitrium ejus potest flecti in bonum, & malum. Unde licet hoc Sacramentum quantum est de se habeat virtutem præservativam a peccatis, non tamen aufert homini possibilitatem peccandi.* Non obest secundum, quia Eucharistia ex se satis habet virium, ut æternæ felicitati hominem reddat, sed id oritur ex eorum infidelitate, qui Eucharistiam sumpserunt, nam præoccupati sæcularibus desideriis, spiritualia negligunt detrimenta, mentem a cœlestibus retrahunt, ad pietatis officia non applicant, parent postea cupiditatibus, quibus charitas per Eucharistiam comparata plane deperditur. Promissio vitæ æternæ facta huic Sacramento intelligitur, sicut intelliguntur reliquæ promissiones de effectibus Sacramentorum, quæ hanc conditionem includunt: *si per hominem non steterit: si obicem non posuerit*, seu *quantum est ex parte Sacramenti*.

Addendum modo esset Eucharistiam etiam aliis prodesse, quam sumentibus, sed cum hoc maxime spectet ad materiam de Sacrificio, in proprium locum illud remittimus. Monere satis esse duximus quod frustra in celebratione hujus Sacramenti fieret pro multis aliis deprecatio, nisi hoc Sacramentum aliis prodesset, quare merito Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum hanc propositionem proscripsit: *sordem non ferendam, veluti piam fraudem, escam falsi fructus, stropham prætextu pietatis tectoriam falsitatis esse communionem pro mortuis factitari solitam.* Monemus etiam secundo suos effectus Eucharistiam producere in ipsa manducatione, idest quando primum species Sacramentales ex gutture ad stomachum trajiciuntur, & ratio est, quia non censetur manducatio, & usus Sacramenti perfectus usque ad illud instans; promissio autem facta est manducationi perfectæ, & ideo donec species Sacramentales non transierint ab ore usque ad stomachum, effectus Sacramenti non recipitur: quare ille non recipit Eucharistiæ fructum, qui ob aliquam infirmitatem hostiam glutire non valet, vel qui diu illam in ore retinet, ita ut liquefiat, vel qui postquam illam receperit expuet; non idem vero dicendum, si postquam aliquis Sacramentales species glutiverit, propter stomachum debilitatum illas cogetur evomere, quia revera hic manducavit, & vomitus digestionem impedit, non vero opponitur manducationi.

VII. Ex hac doctrina infertur toto tempore, quo species Sacramentales sunt in stomacho nihil emolumenti homini advenire in ordine ad gratiæ augmentum; tunc enim sequitur tantum digestio specierum, quæ non est actio humana, sed mere naturalis, & physica, quæ nihil refert ad effectum Sacramenti. Alioquin dici posset hominem illum justificari

qui indigne manducavit hoc Sacramentum, si durante Christi præsentia, in ejus stomacho sui peccati pæniteat. Dici posset etiam utilius esse communicare in majore, quam in minore, specierum quantitate, ut hæ plus durarent in stomacho, ut ita Christus majorem gratiam conferret. Tandem dici posset hominem peccare mortaliter, non solum indigne sumendo, sed etiam indigne Christum intra se retinendo, quia toto illo tempore poneret obicem Sacramento, quæ singula dicere perabsurdum esse nemo non videt. Neque contra hoc facit paritas petita ex cibo, & potu naturali, qui quamdiu sunt in stomacho viventi prosunt, & ratio disparitatis prompta est, quia hic solum prodest cum digeritur, ille vero spiritualis cibus solum prodest, cum manducatur.

VIII. Ceterum non desunt optimæ notæ Theologi, qui oppositam opinionem tuentur ex pluribus fundamentis, quorum tamen suprema capita ponunt, tum in verbis illis Joannis c. 9. *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi*, scilicet quamdiu Christus præsens est intra Corpus ejus, qui digne communicavit gratiam continuo in illum influit, tum in Decreto Florentini Concilii, quo statuitur illos effectus operari in corpore cibum materialem, quos secundum proportionem operatur in anima hoc Sacramentum, tum demum in congruentia, eo quia videatur incongruum admittere Christum otiosum, qui apud Lucam c. 12. protestatur se venisse mittere ignem in terram, & nihil aliud velle, nisi ut accendatur. Respondent ulterius primæ sententiæ fundamentis, & quidem ad primum non referre, quod manentibus speciebus in stomacho ex parte hominis non sit actio corporalis libera circa Sacramentum, sed physica, & naturalis digestio, quia tunc non datur gratia propter actionem ipsius hominis, sed propter Sacramentum, & præsentiam ejus, non qualemcunque, sed ut terminantem manducationem, & constituentem Christum in ratione cibi manducati. Ad primum absurdum reponunt, nullum absurdum ibi esse, sed affirmari id, quod maxime expedit summæ Christi benignitati, & efficaciæ in redimendo, & salvando homine, & id quod est valde accomodatum humanæ fragilitati, & ad spem ejus erigendam aptissimum. Ad alterum dicunt effectum Sacramenti non augeri præcise propter diuturniorem præsentiam, sed propter meliorem dispositionem, quod ergo ibi sit successio, & duratio, est per accidens ex defectu dispositionis, & ideo non sequitur esse faciendum quod in argumento proponitur. Obligationem quam legunt in tertio argumento petito ab absurdis, concedunt per se loquendo reperiri in homine, ne majorem Creatori suo irreverentiam irroget, quam si non impedit, peccat, sed hoc peccatum non est distinctum ab ipsa indigna sumptione, & ideo est gravius factum propter hanc circumstantiam. Contrariam instantiam tamquam efficax argumentum sustinent, & disparitatem allatam impugnant, reponendo quod cibus spiritualis non prodest, quia manducatur, hoc est ratione manducationis, sed ratione sui ipsius, nam manducatio ipsa non est ratio agendi, sed conditio per modum applicationis, applicatio autem, non tantum solet esse utilis ad effectum, quamdiu est in fieri, sed etiam ratione sui termini, quamdiu ille durat. His momentis celeberrimi Auctores suam sententiam tuentur, quibus rite perpensis, Cardinalis de Lugo pronunciavit: *quod licet olim male audierit hæc opinio, jam hodie communiter recipitur*.

IX.

IX. Postremo monemus de hoc Sacramento, quoad suos effectus, non affirmari id quod de Sacramento Baptismi, & Confirmationis in suis locis diximus; scilicet Sacramenta hæc ficte data recedente fictione reviviscere, nam in eo, qui ficte Eucharistiam accepit Sacramentum hoc non habet effectum recedente fictione, si jam omnino desiit sumptio, vel etiam præsentia Sacramentalis Christi omnino translacta sit: *Qui manducat indigne*, inquit Apostolus, *judicium sibi manducat*, non inquit postea futuram utilem hanc communionem. Ratio vero disparitatis a cæteris Sacramentis est, quia iterari non possunt, vel quia sunt ad salutem media necessaria, hoc autem Sacramentum, & iterari potest, & effectus ejus non est ad salutem simpliciter necessarius; magis autem decet ad reverentiam tanti Sacramenti, quod homines sciant, si ficti, aut non satis dispositi ad illud accedant, non solum fructum, sed etiam spe fructus ex tali Communione privari.

TRACTATUS EUCHARISTIÆ PARS ALTERA

DE MISSÆ SACRIFICIO.

EXpeditis jam Controversiis illis, in quibus & Catholica dogmata de Eucharistiæ Mysterio, quatenus Sacramentum est ab Heterodoxis impugnabantur, & Fidei Romanæ veritas summa Theologorum tum industria, tum sapientia demonstrata est, nunc agere instituimus de modo, seu ritu servando, dum hoc Sacramentum conficitur: unde sequitur pars altera Tractatus Eucharistiæ, quæ de *Missæ Sacrificio* inscribitur.

Missa nomen antiquissimum est, diversimode a Scriptoribus usurpatum, sæpe tamen ad significandam Missionem sive dimissionem populi. Ita certe hoc nomen accipit Concilium IV. Carthaginense in can. 84. Augustinus in Sermone 49. capitis 8. de Verbis Domini, & Isidorus libro 6. de origine Vocum cap. 16. *Missa est*, inquit, *tempore Sacrificii*, *quando Catechumeni* (idest ab introitu usque ad lectionem Evangelii, ejusque expositionem inclusive) *foras mittuntur clamante Levita: Si quis Catechumenus remansit exeat foras*, *& inde Missa, quia Sacramentis Altaris interesse non possunt*, *qui nondum regenerati noscuntur*. Idem eruitur ex Pamelio in notis ad Sacramentarium S. Gregorii, ubi verbis his, quæ leguntur in Directorio Officii feriæ VI. Parasceves: *Deinde communicent ipse*, *& omnis Clerus*, *& fiunt Missæ*, hanc notam apponit: *Ex postrema hac clausula colligere est cur Missa nuncupetur*, *nempe a dimittendo populo*, quod scribit etiam Cassianus in cap. 13. libri 2. suarum Instit. & scribitur in pluribus aliis Antiquorum monumentis, quæ tamen ostendunt nomen Missæ non semel sumptum esse ad indicandum quodlibet Ecclesiasticum Officium, quod in ædibus sacris perageretur, ut late probat Du-Cange in suo Glossario Verbo *Missa*, & hoc observare oportet, ne quæ fuit aliis, licet magni nominis Theologis, nobis etiam sit erroris occasio hoc nescire, idque certe contingeret, quotiescumque Missæ nomen semper pro Missæ Sacrificio arbitraremur fuisse usurpatum, putaremus enim pluries in die, etiam post

prandium olim Sacrificia, præsertim a Monachis, fuisse oblata, quia post Vesperas. & Completorium Missas esse, & Missas factas in aliorum Regulis legitur, quo errore nihil absurdius. Interim tamen nos *Missam* accipimus pro ipsa Sacrificii Divini integra celebratione, scilicet pro tota actione sacra a principio usque ad finem, quæ complectitur *Cathecumenorum Missam*, quæ durabat usque ad primum Offertorium exclusive, cujus fit mentio in Concilio Ilerdensi capite 4. & Valent. cap. 1. & *Missam Fidelium*, quæ incipit ab Offertorio, & durat usque ad finem, de qua Ambrosius libro 5. epistola 33. & videtur fuisse sententia D. Thomæ hic q. 83. a. 4. ad 9. & Hugonis Victorini lib. 2. de Sacramentis parte 9. cap. 14. qui dum explicant hujus vocis *etymologiam*, *oblationem* subintelligendam esse censent, ita ut Missa dicatur, quia Oblatio Sacrificio ad Deum mittitur, & Missa est, vel quia Deus ad nos mittit hostiam hujus Sacrificii, quam nos ad ipsum iterum per Sacerdotem in Sacrificio remittimus, quod sensit etiam Innocentius libro 3. de hoc Mysterio cap. 12. Et hinc confutata manet Hæreticorum impudentia, qui in nomen Missæ invehunt illudque irrident, & rejiciunt tamquam novum, & ut rem prorsus evertant docent cum Kemnitio in 2. parte examinis Concil. Trid. pag. 717. *Sacrificium Missæ consistere in eo, quod Sacrificulus certis ornamentis, & instrumentis super Panem, & Vinum Eucharistiæ variis utitur gestibus, motibus, & actibus, ut sæpius genicularì, inclinari, strictis manibus modo distendere, modo reducere brachia. subinde se convertere, nunc esse clamosum, nunc magno silentio quædam demurmurare, suspicere in altum, esse pronum, consistere uno in loco, nunc in dextram, nunc in levam Altaris partem commigrare &c.* falsum enim est in illa repræsentatione, & in illis partibus consistere essentiam Sacrificii, sed proprie consistit in oblatione Corporis & Sanguinis Domini, quæ a Sacerdote fit Deo, ut suo loco probabitur. Sed de notione vocis satis dictum est, modo ipsius rei natura explicanda est.

CAPUT I.

UTRUM IN LEGE NOVA SIT ALIQUOD VERUM AC PROPRIUM SACRIFICIUM.

§. I. *Datur in Lege nova verum, & proprium Sacrificium, idque non solum Evangelicis, sed etiam Propheticis libris demonstratur.*

NUllum superesse Sacrificio locum in Lege nova ex eo quod semel Christus se ipsum obtulit æterno Patri ex Apostoli testimonio probant Hæretici. Ea enim, quæ Hebræos urgebant, ut essent propugnatores necessitatis, & utilitatis Sacramentorum Legis Veteris, coarctant Catholicos Sacrificii Eucharistici defensores. Insufficientia scilicet illorum, e contra perfectio, & efficicia Sacrificii Crucis. Inquit igitur Apostolus in cap. 9. ad Hebr. antiquos Sacerdotes solitos fuisse frequenter introire in San-

Sancta, Sacrificiorum officia consummantes, atque iterantes, eo quod nihil ad perfectionem possent perducere, Christus autem subdit *introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa. Non enim in manufacta sancta Jesus introivit exemplaria verorum, sed in ipsum Cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis, neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno, alioqui oportebat eum frequenter pati ab origine mundi, nunc autem semel ad destitutionem peccati in consummationem sæculorum per hostiam suam apparuit*; & cum capite 10. dixisset Sacrificia vetera repetita sæpius fuisse per suam imperfectionem, subdit: *Christus autem unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei, de cetero expectans, donec ponantur inimici sub pedibus ejus, una enim oblatione consummavit in æternum sanctificatos.* Demum exponens de tempore Legis gratiæ verba Hieremiæ 33. *Dabo legem meam in cordibus eorum, & peccatorum eorum non recordabor amplius* subjungit: *Ubi horum remissio est, jam non est oblatio pro peccato. Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hostia.* Constat igitur ex Apostolo nullum esse Sacrificium in lege Evangelica, quod etiam deducunt ex deficientia Sacerdotum. Apostolus enim, qui in eadem Epistola cap 3. dixerat neminem sibi posse assumere hunc honorem, nisi qui vocatur a Deo tamquam Aaron, rationem addit cap. 7. quare Lex ante Christum plures constitueret Sacerdotes, *eo quod morte probiberentur permanere*, de Christo vero subjungit: *eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium.* Unicus igitur in nova Lege fuit Sacerdos Christus Dominus, cui nullus alius successit: *Lex enim homines constituit Sacerdotes infirmitatem habentes, sermo autem juris jurandi, qui post legem est, filium in æternum perfectum, qui non habet necessitatem quotidie, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populo, hoc enim fecit se ipsum semel offerendo.* Ablato igitur Sacerdotio necesse est, & Sacrificium proprium auferre. His ex verbo Dei scripto relatis ad ostendendam cum Novatoribus nullitatem Sacrificii in lege Evangelica, antequam ulterius progrediamur, oportet explicare Christiani Sacrificii substantiam.

II. Non defuerunt, qui assererent omnem cæremoniam, seu opus, quod nos Deo reddimus, & eum honore afficimus esse Sacrificium, fortasse quia audiverint Augustinum in libro 10. de Civit. cap. 6. dicentem: *Sacrificium verum est omne opus, quod agitur, ut sancta societate inhæreatur Deo relatum ad illum finem, quo beati esse possimus*, Sed hic loquendi modus non pertinet ad veram Sacrificii naturam explicandam, cum multa opera virtutum Sacrificiis opponant Divinæ Literæ, & inter cætera misericordiæ, obedientiæ, & pænitentiæ opera, quæ non esse Sacrificia, & holocausta, tum Oseæ 6. tum 1. Reg. c. 15 tum Psalmo 50. expresse traditur, & si aliquando Sacrificia vocantur, non absolute certe, sed cum addito, scilicet *Sacrificia laudis, hostiæ spirituales, vituli labiorum*, & his similia. Non solum vero hic loquendi modus non complectitur veram Sacrificii rationem, sed præterea destruit, nam in omni Sacrificio tria requiruntur Sacerdos, Victima, & Altare. Sacerdotes in Lege veteri fuisse solos filios, nepotes, ceteroque Aaronis posteros, res notissima est, in Lege vero gratiæ esse solos Episcopos, & Presbyteros, contra

tra Lutheranos demonstravimus agentes de Ministro Sacramenti Eucharistiæ. Ex iis vero, qui multa bona opera agunt virorum, & mulierem magis in dies augetur numerus. Similiter Apostolus ad Hebr. 8. *Omnis Pontifex*, inquit, *ad offerendum munera, & Hostias constituitur*, unde necesse est & hunc habere aliquid quod offerat, & id est, quod Isaac Patrem postulavit Genes. 22. *Ecce ignis, & ligna, ubi est victima holocausti?* Neque Scripturæ Altare præterierunt imò ait Fulgentius l. 2. ad Monim. c. 3. *Non ob aliud illud ædificari solitum nisi ad Sacrificium Deo offerendum veteris Testamenti lectio frequenter insinuat*. igitur patet assertum, & propterea dicendum est opera virtutum quarumlibet non posse proprie Sacrificia dici, sed solum per quamdam participationem, nam in sola actione Sacrificium consistere non potest, cum sacrificare sit actus proprius, & elicitus Religionis, idemque actus non possit esse proprius, & elicitus diversarum virtutum, quia demum in Ecclesia Christi unum est tantum verum ac proprium Sacrificium, & non sunt Sacrificia ea omnia quæ ad Divinum cultum diriguntur. *Ea non esse Sacrificia Martyrum novit*, inquit Augustinus lib. 8. de Civ. Dei cap. ultimo agens de epulis quæ super sepulchra Martyrum offerebantur, *qui novit unum, quod Deo offertur Sacrificium Christianorum*, idemque repetit l. 3. de Baptis. contra Donatistas c. ultimo, aliisque in locis, ubi scribit: *Veteribus Sacrificiis unicum & singulare Eucharistiæ Sacrificium successisse*. Quid ergo dicendum erit ad illius auctoritatem, quæ favere videtur pluralitati Sacrificiorum? Responderi poterit per illa verba Augustinum intellexisse Sacrificium illud, quod præcipue est internum, & opponitur Sacrificiis legalibus: & mere exterioribus, quod si illud *verum* dicit, intelligit verum esse non ratione formæ & essentiæ Sacrificii proprie dicti, sed ratione dignitatis, & ratione effectus in quantum scilicet facilius Deum placant juxta illud: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*, nam per hoc Sacrificium interna, & invisibili oblatione se totum homo Deo offert. Hinc ex ipsis Hæreticis Calvinus lib. 4. Instit. cap. 18. hanc opinionem respuit, quam ex Novatoribus docuerat Melanctonus in Apologia Confessionis in articulo de Missa sub his terminis: *Sacrificium est cæremonia, vel opus quod nos Deo reddimus, & cum honore afficimus*, hæc scribens in §. 13. *Qui Sacrificii vocabulum ad omnes Ceremonias, & Religiosas actiones extendunt, qua ratione id faciant non video*.

III. Sed numquid meliorem definitionem Sacrificii Calvinus tradidit dum post relata verba subjunxit. *Nos perpetuo Scripturæ usu Sacrificium appellari scimus, quod Græci nunc θουσία, nunc προσφοραν, nunc τελετην dicunt, quod generaliter acceptum, complectitur quidquid omnino Deo offertur?* Juxta Calvinum idem est Sacrificium, quod oblatio Deo facta, & tamen verum non est, quod omnis oblatio sit Sacrificium, licet verum sit quod omne Sacrificium est oblatio: sic Exodi 25. & 35. præcipitur quod Deo offerantur aurum, argentum, æs, ligna, lapides &c. & tamen in his oblationibus non reperitur propria natura Sacrificii. Etiam numeror. 8. offerri dicuntur ab Aarone in munus Domino Levitæ, & in hac oblatione nihil aliud fuit quam deputatio Ministrorum ad sacra obeunda. Etiam primitiæ offerebantur Deo, & primogenita, & alia similia, quæ non sa-

ſacrificabantur, & nunc etiam primitiæ offeruntur Deo, ut conſtat ex canone 3., & 4. Apoſtolorum, & homo ſeipſum in profeſſione Religionis offert Deo. Sacrificium proprie dicitur quando circa res Deo oblatas aliquid fit, ſcilicet, vel interficitur ſi animal, vel comburitur, ſi aliquod ſolidum ut ſal, & thus, vel effunditur ſi ſit aliquod fluidum ut ſanguis, vinum &c. & generaliter loquendo, actio quæ rationem oblationis in Sacrificio habet, debet eſſe actio quæ conſecrat ex aliquo modo rem oblatam, & immutat, immutatio autem rei oblatæ quatenus fit ex inſtitutione Divina, & ad Divinam excellentiam ſignificandam, conſecratio dicitur, quia & ſic eſt aliquid ſacrum, unde per eam efficitur ſacra illa res, quæ ſic immutatur: ex quo intelligimus tum Sacrificium Melchiſedech, qui Geneſ. c. 7. dicitur panem, & vinum obtuliſſe fuiſſe verum Sacrificium, quod panem illum, & illud vinum, quamquam de hoc Scriptura ſileat, aliqua externa demonſtratione obtulerit Deo, ut tunc moris erat, nimirum cum aliqua benedictione, elevatione, fractione, diſtributione, ac ſumptione, per modum cibi, & potus ſanctificati: tum vera Sacrificia fuiſſe, quæ Deus in cap. ſecundo Levitici propoſuit ex ſimila, vel ex panibus, vel ex ſpicis, quia ſemper in re oblata aliqua erat mutatio, quod ſatis eſt ut per illam expreſſius ſignificetur Deum eſſe omnium auctorem. Rejectis itaque Sectariorum explicationibus, proprii Sacrificii naturam in hoc conſiſtere aſſerimus, quod ſit *externa rei ſenſibilis a legitimo Miniſtro facta oblatio ſoli Deo cum ejus immutatione in ſignum legitime inſtitutum divinæ excellentiæ, & reverentiæ*. Tria peculiariter in hac definitione obſervantur. Primum eſt, quod verum Sacrificium illud eſt, quod ſoli Deo offertur, quare ſacrilegium, & idololatria vocaretur Sacrificium illud, quod in toto ritu externo poſſet cum vero Sacrificio convenire, ſed tamen aut falſis Diis offerretur, aut non fieret ex intentione colendi, & profitendi divinam excellentiam, ſed ficto animo, & fide. Secundo obſervatur eſſe genus Superſtitionis, non verum Sacrificium illud, quod offertur ritu non legitimo, ſcilicet ab Eccleſia non inſtituto. *Sacrificium*, inquit Auguſtinus epiſtola 49. *cum exhibetur Deo ſecundum veram ejus inſpirationem, & doctrinam vera religio eſt, quod ſi hoc non habeat, erit noxia ſuperſtitio*. Tertio obſervatur non eſſe cuique offerre Sacrificium, ſed publici, & certi hominis, qui communi nomine id peragit, ita ſemper factum eſſe legimus tum in Lege naturæ, tum in Lege ſcripta, & ita etiam ut ſemper fiat in Lege Evangelica, noſtri duces Apoſtoli tradiderunt, & Patres omnes, & Concilia decreverunt. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus &c.*

IV. Ex hoc vero non infertur Sacrificium reſpuere conditionem ſigni; imò juxta hanc rationem aliqui illud definiverunt *ſignum ſenſibile ad Divinam excellentiam, & cultum illi debitum immediate ſignificandum impoſitum per alicujus rei immutationem*; & Auguſtinus lib. 5. de Civit. Dei c. 5. *Sacrificium viſibile inviſibilis Sacrificii ſignum eſſe* ait, ut intelligeremus Divinam excellentiam aliquo modo ſignificari per illam externam actionem, & ſacram, quæ Dei cultum externum continet, & hominis ſubjectionem ad Deum, & recognitionem prædictæ Divinæ excellentiæ, ac poteſtatis, in quibus conſiſtit inviſibilis Sacrificii natura, nam inviſibile Sacrificium nihil aliud eſt, quam interna devotio, & diſpoſitio, qua ho-

homo, & per intellectum recognoscit Deum, ut supremum Dominum, & per voluntatem vult se Deo submittere colendo ipsum, & profitendo hanc ejus excellentiam. Sed utrum sit de primaria ratione, & essentia Sacrificii, ut mystice aliquid significet, absolute loquendo affirmari non potest, quia mors Christi fuit verum Sacrificium, & in illo nulla mystica significatio excogitari potuit, quæ tenderet ad aliquod aliud Sacrificium, vel supernaturale mysterium significandum. Dixi *absolute loquendo*, ut excluderem Sacrificia illa, quæ aliquo modo Divinam habuerunt institutionem, & virtutem, vel valorem ex Sacrificio Christi, sic enim verisimile est omnia hæc Sacrificia a Christi morte distincta, fuisse imagines, & repræsentationes quasdam Sacrificii cruenti Christi, quod his verbis: *Omnia in figura contingebant illis*, Apostolum voluisse innuere in 1. ad Cor. cap. 10. obscurum non est, & Theologos illos, qui asseruerunt Sacrificium Christi esse veluti primum exemplar ceterorum, quæ eo magis propria Sacrificia sunt, quo perfectius illud repræsentant. Patet igitur quomodo Sacrificium constituitur in genere signi sacri; sed patet etiam quomodo distinguatur a Sacramento quod diximus suo loco definiri *signum rei sacræ*. Et primo quidem, quia per se primo ordinatur ad Divinam excellentiam, & cultum ei debitum profitendum, Sacramentum vero ad aliquam hominis sanctificationem significandam. Secundo vero quia Sacramentum idem est, quod sacrum Mysterium, & Sacrificium idem est quod sacrum factum, illud sacrum arcanum in se recondit, istud Religiosam in Deum mentem indicat. Patet insuper quod sicuti ex rebus, & verbis Sacramentum constare dicitur tamquam ex materia, & forma, ita ex iisdem principiis perfici Sacrificium omne cognoscitur. Res, quæ offertur materia dici potest, quia est veluti primum Sacrificii fundamentum, actio autem per quam offertur dici potest forma, quia per illam completur, & quasi constituitur. Verum tamen est, quod tum res oblata, tum actio ipsa per quam res oblata offertur Sacrificium solent appellari, sed diverso modo, quia commune nomen accomodatur speciei minus perfectæ, quo modo potest oblatio a Sacrificio distingui, ut illam distinguit Theophilactus ad Hebr. 8. scribens: *Sacrificium est, quod est per Sanguinem, aut ignem, oblatio autem est ex fructibus, & sine Sanguine aut igne, aut alia immutatione fit*; hinc est quod actioni proprissime applicatur nomen Sacrificii, cum Sacrificium productivum alicujus sacri significet, de oblatione vero equivoce affirmatur, cum sola Altaris oblatio sit Sacrificium, & reliquæ oblationes non habent hanc significationem, nisi ex intentione offerentis.

V. Ex materia, & forma Sacrificii multiplex nascitur illius distinctio. Hostiæ, seu victimæ immolationis, & libamina, de quibus plurima occurrunt Exempla in Genesi, Exodo, & Levitico materia nuncupantur, in quibus Sacrificiis animalia, terræ fructus, & liquores offerebantur, ea vero Sacrificia, quæ forma in varias species distinxit, Holocaustum, Hostia pacifica, & Hostia pro peccato appellantur; In Holocausto tota res oblata igne consumebatur, Hostia pacifica partim igne, partim Sacerdotum, partim etiam ipsorum sacrificantium usu consumebatur, & Hostia pro peccato igni & Sacerdotibus reservabatur. Quæcunque essent Sacrificia, vel cruenta, erant, vel incruenta, quod utrumque Sacrificii genus Legi naturæ non defuit; nam Melchisedech Sacrificium obtulit incruentum, Abrahamum vero

&

& reliquos Patriarchas sæpe legimus Sacrificia cruenta immolasse. Inter omnia Sacrificia *holocaustum erat præcipuum, quia totum comburebatur in honorem Dei, & nihil ex eo comedebatur. Secundum vero locum in sanctitate tenebat hostia pro peccato, quia comedebatur solum in atrio a Sacerdotibus in ipsa die Sacrificii. Tertium vero gradum tenebant Hostiæ pacificæ pro gratiarum actione, quæ comedebantur ipso die, sed ubique in Jerusalem. Quartum vero locum tenebant hostiæ pacificæ ex voto, quarum carnes poterant etiam in crastino comedi. Et est ratio hujus ordinis, quia primo obligatur homo Deo propter ejus majestatem, secundo propter offensam commissam, tertio propter beneficia jam suscepta, quarto propter beneficia sperata.* D. Thomas 1. 2. q. 102. a. 3. ad. 10. Quamvis vero hæc Sacrificia, ex intentione instituentis ad hos fines ordinata, diversa sint, possunt tamen ad unum idemque Sacrificium reduci, tum ex intentione offerentis, tum ex mente primi instituentis, ac propterea intelligimus unicum novæ Legis Sacrificium omnes has Sacrificiorum rationes complecti, ut suo loco probabitur.

VI. Ad Auctorem Sacrificiorum quod pertinet observatur, determinationem Sacrificiorum in Lege naturæ fuisse ab hominibus, inverisimile tamen non est aliquod illorum ex speciali revelatione, & Divino instinctu institutum fuisse, ut creditur de Sacrificio Melchisedech. Sacrificia Legis veteris a Deo singula instituta sunt, & per Moysem promulgata. Novæ Legis Sacrificium solus Christus Deus, & homo instituit, & cum in ceterorum origine fere omnes conveniant, postremam acerrime impugnat insolens Hæreticorum insania contendens Christum in nova Lege nullum instituisse verum Sacrificium. Contra quem errorem stant non solum Evangelici, sed etiam Prophetici libri, ut ait Augustinus Epistola 49. quæst. 3. & lib. 13. de Trinit. cap. 17.

VII. Primum Testimonium Eusebius & Hieronymus ex Isaia repetunt. Capite 19. vaticinatur Propheta futurum *in medio Ægypti Altare Domino, & quod Ægypti cognoscent Dominum, & colent eum in hostiis, & muneribus*. Capite 66. ait, *Dominum assumpturum ex Ægyptiis Sacerdotes, & Levitas*. Dum primum promittit Propheta, promittit Gentiles oblaturos esse vera Sacrificia Deo vero, & propterea transferendum Sacerdotium, & transferendam Legem, ut argumentatur Hieronymus in Commentariis in hunc locum. Dum secundum promittit, pollicetur id quod Hierem. 33. promittitur: *Non interibit de David vir, qui sedeat super Tronum Domus Israel, & de Sacerdotibus, & de Levitis non interibit vir a facie mea, qui offerat holocaustomata &c.* quæ loca Hieronymus ipse, & Theodoretus exponunt de Sacerdotibus Christi permansuris usque ad sæculi exitum, cum uterque Propheta agat in locis illis de Gentium conversione, & ædificatione Ecclesiæ, ut fateri cogitur ipse Kemnitius in 2. parte Examinis pag. 755. licet coarctet illorum locorum sensum ad exprimendum solum Christi Sacerdotium, & Sacerdotium spirituale Christianorum: perperam tamen, cum Prophetæ appellent Sacerdotes, & Levitas, eosdemque distinguant a reliquo populo.

Aliud vaticinium legitur in cap. 12. Danielis. Propheta in hoc loco prædicit in ultima ætate Legis gratiæ tempore Antichristi cessaturum in ea juge Sacrificium. Supponit ergo esse duraturum Sacrificium aliquod toto illo tempore. Neque ibi agi de Sacrificio spirituali clarum est, quia

illud non cessabit etiam tempore Antichristi. Hyppolitus Martyr in libro de Antichristo explicat Danielis locum de Sacrificio Missæ, & quamquam sit allegoria in his verbis Danielis, quæ Kemnitius loco cit. pag. 733. vult ad litteram intelligi de Antiocho, tamen in alium sensum extorqueri non possunt, obstat enim explicatio eorumdem verborum, quæ legitur in cap. 13. Apocal. & in 2. cap. 2. Epistol. Pauli ad Thessal. imo obstat ipse Daniel, qui juge hoc Sacrificium auferendum esse ait a Rege qui contra Deos omnes pugnabit, & contra ipsum Deum Patrum suorum, ostendit autem Hieronymus in Commentar. Antiochum palam coluisse Deus Patrum suorum, & de solo Antichristo testatur Paulus l. c. quod extollet se super omne quod dicitur Deus patet igitur assumptum.

VIII. Præcipuum tamen, & luculentissimum testimonium legitur Malachiæ 1. *Ad vos Sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & offertis super Altare meum panem pollutum, & cæcum claudum, ac debile immolatis: Non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus dicit Dominus exercituum.* Qui interpretantur hæc verba Viri doctissimi, ea minime referri posse ajunt ad Crucis Sacrificium, quod non offertur in omni loco, sed semel in uno oblatum fuit, neque ad Judaica Sacrificia, & cæremonias, quæ hic reprobantur, cum dicatur Sacrificium hoc in Gentium Ecclesia futurum, neque ad Sacrificia aliquorum piorum inter Gentiles, quia illi tunc paucissimi erant, & vix Dei nomen tunc inter Ethnicos innotescebat, cum e contra Propheta scribat: *Magnum est nomen meum in Gentibus, & ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus.* Nec demum referri possunt ad Sacrificia Gentium Idolatrarum, quia apud istas oblatio munda nullo modo reperiebatur, hoc autem dicitur Sacrificium mundum, quod nulla hominum nequitia contaminari, aut fædari potest. Concludendum igitur est ex verbis Malachiæ demonstrari externum, ac visibile hoc Sacrificium, quo a Christiano populo colitur Deus.

IX. Hoc male audiunt Sectarii, qui propterea verba hujus Prophetiæ traducunt ad significandum improprium, & invisibile, seu spirituale Sacrificium laudis, & orationis, ignorantes hujusmodi Sacrificia apud pios homines Legis tempore in usu fuisse, proindeque non debuisse Aaroniceis succedere, non intelligentes hunc characterem mundæ oblationis secundum illorum principia accomodari non posse precibus, aliisque pietatis operibus, quæ nihil, nisi inquinamenta, & sordes sunt, & nihil præter pœnam merentur. Hanc igitur interpretationem non patiuntur verba Malachiæ, quibus comparatur verum Sacrificium cum aliis sensibilibus, hoc approbatur, & reprobantur reliqua visibilia. Oportet igitur quod Sacrificium illud, quod comparatur sit proprium, externum, & visibile. Addit Malachias futuram esse mundam hanc oblationem, quæ circumstantia egregie convenit Sacrificio Legis novæ, vel consideretur ejus ritus externus, quia offertur in solis speciebus Panis, & Vini, non in sanguine Hircorum, & Taurorum, vel consideretur ejus sanctitas, & puritas propter excellentiam rei oblatæ, & sanctitatem primi offerentis, qui est Christus, ratione

cu-

cujus semper hoc Sacrificium mundum est, & infiniti valoris. Nam si esset munda hæc oblatio ratione offerentium, non in omni loco offerri mundum Sacrificium diceretur, cum in pluribus locis mali Ministri quantum est in se Sacrificium polluant, sed dicitur in omni loco offerri mundum, quia tale est in se, nec potest revera pollui ex malitia Ministrorum.

X. Rejicienda etiam sunt illa quæ Arias Montanus congerit in hunc Malachiæ locum, cum docet Prophetam ibi non loqui de Ecclesia per Christum congreganda ex Gentibus, sed de ipsis Gentibus, quæ tunc vivebant, & de Gentium Sacrificiis, quæ munda appellavit ad confusionem Judæorum; nihil enim horum eruitur ex sacro textu, nec congruit institutæ comparationi. Temporibus Prophetarum Idololatria ubique grassabatur, & Dei nomen magnum erat in Israel, non ubique terrarum. A solis ortu usque ad occasum neque tunc erat usus sacrificandi vero Deo, sed Idolis, & Dæmonibus, vel si aliqui vero Deo offerebant, illud Sacrificium unum non erat, sed varium pro hominum arbitrio, neque Sacrificia illa puriora Judaicis vocari possunt attento eorum ritu, quia erant sacrificia cruenta, & attenta natura rerum oblatarum, quia vel erant animalia terræ, aut animalium fructus: neque erant sanctiora attenta conditione offerentium, quia omnes erant puri homines, quorum si plures apud Hebræos scelesti erant, multo sceleliores, & scelestissimi longe plures apud Gentiles reperiebantur, ut apud utrosque aliqui justi, sed ex his multo plures apud Hebræos, quibus expressior Dei fides, & abundantior gratia regulariter communicabatur. Ad peregrinum igitur, & improbabilem sensum deflexit Montanus, & legitimum tradiderunt ii, qui in verbis Prophetæ Legis novæ Sacrificium agnoverunt, & hanc interpretationem suo consensu firmarunt Ecclesiæ Patres, sive Latinos, sive Græcos consuluerimus, imò Hebræos ipsos, inter quos Rabbi Samuel eamdem expositionem sequitur in Epistola quam scripsit de adventu Messiæ cap. 21. & Burgen. in Scrutinio Scripturarum 2. part. cap. 7. & Galat. libro 10. cap. 4. Occurrerent alia loca in Veteri Testamento, ut illud, quod ex cap. 9. Proverbiorum petitum: *Sapientia ædificavit sibi domum, immolavit Victimas suas, miscuit vinum, & posuit mensam suam*, ita Cyprianus exponit libro 2. epist. 3. *Per Salomonem Spiritus S. typum Dominici Sacrificii præmonstrat immolatæ hostiæ & panis & vini, sed & Altaris, & Apostolorum facient mentionem*. Tum etiam illud, quod caput 2. libri 1. Regum suppeditat, ubi legitur severum illud vaticinium, quod a Viro Dei accepit Heli de exitu sui Sacerdotii, & Patrum suorum, & de assumptione novi Sacerdotis, qui ambulabit coram Christo Dei omnibus diebus, quod Augustinus perpendens in lib. 17. de Civit. cap. 5. exponit pro Vaticinio Cessationis Aaronici Sacerdotii, cujus erat figura ejectio Heli, & institutionis Sacrificii novæ Legis, cujus typum gesserunt Samuelis post obitum Heli, & Sadoc assumptio post exauctorationem Abiatar, qui de familia Heli descendebat; verum quia etiam ex Novi Testamenti auctoritatibus nostra Assertio probatur, illa prolixius perpendere supersedemus, ut aliquantulum sistamus in posteriorum examine.

XI. In Evangelio Joannis cap. 4. legitur quæstio, quam Samaritana Christo proposuit, ut tamquam Propheta illam dirimeret. *Domine video, quia Propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia*

Jerosolimis est locus ubi adorare oportet. Caussa controversiæ talis exponitur ex Josepho lib. 11. Antiqu. cap. 7. *Ducentis annis ante Hircanum Machabæum Principem erat extructum templum in Monte Garizim, ad cujus montis latus erat Sichem, ibi offerri volebant Sacrificia, & Hostias Samaritani, quod ibi Jacob erexisset Altare* Genes. 31. *& quod ibi* Deuteronomii 27. *lectæ fuissent Benedictiones Servantium Legem. E contra Judæi hanc adorationem restringebant ad Templum Salomonis in Monte Moriâ, ubi putatur voluisse Abrahàm immolare Filium suum, ut patet ex* Genes. 22. *Petiit ergo Samaritana a Christo controversiæ solutionem, ut dissidium inter Judæos, & Samaritanos componeretur;* cum itaque respondisset Jesus Mulieri: *crede mihi quia venit hora, quando neque in Monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem, sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate*, dicendum est tunc Christum promisisse futurum in Lege Evangelica Sacrificium, non certo loco adictum, & quod alibi non rite fieret, sed quod in omni loco veri Adoratores illud Deo obtulissent, quod jam per Malachiam prædixerat, ut supra notavimus: *in omni loco offertur nomini meo oblatio munda*. Aliter interpretari Christi Domini responsionem, idem est, ac velle Christum Dominum non satisfecisse interrogationi Mulieris, imò ipsam Mulierem decepisse, quod procul dubio est contrarium Christi proposito, quod erat, quod sicuti Mulier illum Prophetam agnoverat; ita illi veluti Prophetæ acquiesceret, & propterea his verbis Mulierem affari cœpit: *Mulier crede mihi*. Neque novum est in Scriptura, quod hæc vox *adorare* pro Sacrificio ipso, & actu Sacrificandi usurpetur; ita certe accipitur in hac Sententia, quæ legitur in cap. 22. Genesis: *Expectate hic, postquam adoraverimus revertemur ad vos*, scilicet postquam Sacrificium obtulerimus, ad montem enim ascendebat Abraham, ut filium suum immolaret: quemadmodum pro intentione Sacrificandi usurpatur in cap. 12. Joannis ubi de quibusdam Gentilibus scribitur, *quod erant ex iis, qui ascenderant, ut adorarent in die Festo*, & demum pro ipso Sacrificio ponitur in capite 8. Actuum, quando agitur de Eunucho Reginæ Candacis, *qui venerat adorare in Jerusalem*. Congruunt etiam conditioni Sacrificii novæ Legis circumstantiæ illæ, quas Christus Dominus eidem apposuit: *Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate*, sive hæc verba interpretari velimus, cum Chrysostomo, Cyrillo, & Euthymio, quia Sacrificium, quod Deo offertur in Ecclesia non Carnale est, non Typicum, ut erant Judæorum Sacrificia, sed Spirituale, & verum, quia per Spiritum Sanctum, & verba Consecrationis efficitur, & veteres omnes figuras implet; sive maluerimus cum Theophilacto, & cum D. Thoma hanc distinctionis caussam cognoscere, quod novæ Legis Sacrificium Christus Dominus dixerit Spirituale, ut illud opponeret materiali Sacrificio Hebræorum, & dixerit verum, ut illud opponeret Sacrificio Samaritanorum, qui perverse Deum colebant, sine veri cognitione magna ex parte, imò cum falsis de Deo opinionibus.

XII Robur accedit huic Auctoritati ex alia, quæ legitur in cap. 13. Epistolæ ad Hebr. *Habemus Altare, de quo edere potestatem non habent, qui tabernaculo deserviunt*. Certum autem est Altare, & Sacrificium relativa esse, ea enim semper ad usum Sacrificii exstitisse in typum, & testimonium illorum, in quibus novæ Legis Sacrificium offerendum erat Demochares demonstravit in Opere de Missa adversus Missoliturgos Tomo 1. cap. 15. & re-

revera primum Altare, quod erectum legimus a Noe post Diluvium, Sacrificii caussa erectum fuisse legimus, neque alterius rei intuitu Altaria sua Gentes omnes excitarunt, nisi ut Idolis suis immolarent. Perseverasse etiam post tempora Apostolorum Altarium usum constat ex antiqua traditione, ex Liturgiis antiquis ex Dionysio de Ecclesiastica Hierarch. cap. 3. ubi, & Altaris, & aræ meminit, aliisque non paucis Scriptoribus. Illud etiam favet huic sententiæ, quod legitur in cap. 13. Actuum Apost. *Ministrantibus illis Domino, & jejunantibus dixit illis Spiritus S. &c.* Ex Græco enim Erasmus vertit *Sacrificantibus*, & sæpe in hunc sensum usurpatam hanc vocem ab Apostolo constat ex cap. 8. 9. & 10. Epistolæ ad Hebræos ubi scribit, *& omnis quidem Sacerdos præsto est quotidie Ministrans, & easdem sæpe offerens Hostias.* Cum habeamus igitur ex his locis fuisse in primitiva Ecclesia Sacrificandi usum, videtur sane demonstratum ex libris Scripturarum existere in Lege Evangelica Sacrificium, idque etiam rationi fuisse valde congruum, ne illa quæ nobilior assurgit inter ceteras omnes a Christo instituta Religio, potissimo defraudaretur honore, quem ex Sacrificii excellentia merito sibi comparat.

XIII. Ne vero videatur Scriptura Scripturæ contraria, & Apostolus non sibi constans, eo quod modo affirmet id, quod nuper negaverat, Sectariorum argumento occurrimus id advertendo, quod præcipue difficultatem ingerit, ut vera a falsis secernamus. Repugnare inquiunt, quod in Lege nova detur Sacrificium, ex eo quod Christus semel se ipsum obtulit Patri; nec quidquam prodesse, quod in Lege veteri quotidianum esset Sacrificium, ut patet Exodi 29. & Numer. 28. Jam tota difficultas eo tendit, quod in Lege nova sit inutile Sacrificium, quo ad suum effectum, satisfactionis scilicet pro peccatis, præsupposita efficacia Sacrificii Crucis. Verum peccat argumentum Adversariorum in falsa partium enumeratione. Tria sunt, quæ in Sacrificio considerantur, & ex his singulis illius utilitas demonstratur. Primum, quod in Sacrificio consideratur est externus Dei cultus, consideratur deinde illius mystica significatio, tandem attenditur Satisfactionis effectus. Quicumque sit hominum status, vel naturæ, vel Legis scriptæ, vel Legis gratiæ, quis ignorat eorum quemlibet perfici in præcipuis hominum Officiis? Imprimis itaque Religio, & Numinis cultus, ut primum, ac præcipuum, ita & justissimum est, meritissimumque hominis Officium. Cum porro duæ sint potissimum caussæ, ob quas Deus cultum, ac venerationem meretur, videlicet summa naturæ præstantia, & summa in nos beneficentia, hinc factum est, quod in ipso mundano exordio, qui primi fuerunt Parentes nostri per quos hominum natura propagata est, aras extruxerunt, & sacrificia introduxerunt. Certe primus omnium Adamus Sacrificium obtulisse creditur, suosque filios docuisse frugum, & animalium primitias offerre Deo, licet facile non sit ritum definire, cum de hoc sileat omninò Scriptura, neque aliud efficacius argumentum afferri posse arbitramur, ut vera illa existimemus, quæ in rem hanc Jacobus Boulduc congerit in cap. 1. libri primi sui Operis, quod inscribit de Ecclesia ante Legem. In statu Legis Scriptæ Sacrificiorum maxime patuit usus, & multiplex institutio. Exodi, Levitici, & Numerorum Libri divinam eorum originem demonstrant, singulas species distinguunt, & Cæremonias tradunt, quibus peragebantur, neque aliter fieri oportebat, nam licet alter fuerit hominum status in Lege Scripta,

tamen alius non fuit in Ordine ad naturam. Ergo idem dicendum erit in statu Legis gratiæ, quod non solum non repugnet illius perfectioni, sed quod sit ad illam necessarius hic exterior Divini Numinis cultus, cum lex naturalis etiam obliget in statu gratiæ; & quia nos, qui vivimus in hac Lege magis Deo devincimur, nam majoribus, tum internis tum externis favoribus cumulamur, vel ut Augustinus contra Faustum scripsit, *quia nunc maxime congregatur, tota Ecclesia in unum visibile Corpus, quod signis visibilibus indiget ad colendum Deum, ut in unum Corpus Religionis conveniant*. Reponere, quod his omnibus Crucis Sacrificium satisfecerit, non videtur ad rem, nam illud quidem satis fuit ad redemptionem, & ad reconciliandum homines Deo, sed illud nos non obtulimus, sed Christus seipsum obtulit, neque illud sensibiliter offerimus, ut in Cruce fuit oblatum, quia oblatio illa cruenta, tantum semel facta est, nec proprie pertinet ad Legem novam, sed ipsam antecessit. Neque Legi gratiæ repugnat Sacrificium, si mystica illius significatio consideretur, exhibemus enim Christum Dominum in ara Crucis oblatum Hostiam Deo immaculatam; quem dum in Sacrificio præsentem credimus, memoriam suæ Passionis, ejusque in nos beneficia recolimus, & ad fruendum ipsius præsentiam excitamur, quæ res, quam nobis proficuæ sint describere supervacaneum est, quia jam omnibus innotescunt.

XIV. Ex hoc vero, quod Christus Dominus in Cruce copiosissime satisfecerit pro peccatis hominum omnium, & copiosissime nobis meruerit nulla illi fit injuria, quod in nova Lege Sacrificium propitiatorium offeratur, quemadmodum nulla fuit ejusdem Passioni injuria, quod in Lege Naturæ, & in Lege Scripta cum mera fide Crucis Christi plura fuerint oblata Sacrificia Propitiatoria. Meruit certe, & infinite satisfecit Christus in Cruce, quo ad sufficientiam, non vero quo ad efficaciam, quia sola Crux non est caussa cur nobis, & illud meritum, & illa satisfactio applicentur; aliud medium est necessarium, quod certe in dispositionibus, nostrisque operibus præparatur, dum ex parte nostra non negligimus Sacramentorum Christi usum, & Propitiatorium Sacrificium, per quod fructus Passionis ejus nobis applicatur. Hujus autem Propitiatorii Sacrificii triplex est species. Primum est ita inefficax, ut per se nihil operetur, nisi alia concurrant ex parte hominis operantis fides inventurum Redemptorem, Ministrorum probitas; & hujus generis erant Propitiatoria Sacrificia Veteris Testamenti. Alterum vero Sacrificium Propitiatorium efficacissimum est ad tollenda omnia peccata, & propter hoc etiam offertur ad satisfaciendum Deo pro peccatis, & hoc est Sacrificium Crucis, ultra quod non est aliud simile necessarium. Ex his Sacrificiis primum repugnat perfectioni Legis Novæ, quæ credendam proponit factam jam redemptionem. Secundum repeti non potest sine magna injuria Christi Cruci: itaque tertium quoddam Sacrificium Propitiatorium institui oportuit, quod esset medium inter hæc duo, ut offerretur, non propter acquirendum pretium ad remissionem peccatorum, sed ad applicandum jam acquisitum, & hoc est Sacrificium, quod habemus in nova Lege per quod nihil detrahitur abundantiæ Redemptionis Christi, sed hæc in nobis perficitur, quia hoc medio nobis applicatur.

XV. Facilis ex his est intelligentia eorum, quæ ex D. Paulo ab Adversariis proferuntur, cum Apostolus in illis locis de efficacia Passionis Christi loquatur, quæ tanta est, ut non indigeat iterari, sicut vetera Sacrificia, quo-

rum

rum propterea conditionem in illa Epistola ad Hebræos describebat, ut Hebræi, qui nimium in illis confidebant, nimiumque iis adhærebant cognoscerent illorum imperfectionem, & ostenderet alterius Sacrificii necessitatem, & perfectioris Sacerdotii, quale fuit Sacrificium Crucis Christi, quod vocat: *Redemptionem inventam, unam oblationem consummatam* (nimirum, quoad sufficientiam, & quoad efficaciam) adeoque non esse necesse ait, ut quotidie offerat se ipsum, & ut quotidie patiatur: Propter hoc tamen non excludit Apostolus oblationem illam, qua Christus in Cœlo se pro nobis offert, Passionem suam Patri repræsentando, *ut appareat vultus Dei, & ut pro nobis interpellet*; & consequenter, neque excludit, licet non nominet quotidianam oblationem incruentam, qua per Ministros suos in Eucharistia seipsum offert, ut utraque illarum nobis applicetur fructus Sacrificii Crucis. Ideo vero incruentæ illius oblationis non meminit, quia proposito suo id necessarium non credidit, vel quia rudes adhuc Hebræos noluit hujus Mysterii magnitudine obrui.

Pessime etiam inferunt Lutherani, ex his verbis Apostoli ad Hebr. 10. *Ubi autem horum, idest peccatorum remissio, jam non est oblatio pro Peccato*, semel Sanctificatos, per oblationem Corporis Jesu Christi amplius non indigere nova oblatione pro Peccatis. Certe unicum est Sacrificium cruentum & Redemptorium, quia quantum in ipso fuit, contulit nobis plenam remissionem Peccatorum, sed non probat, quod ex parte nostra nulla jam oblatio esse debeat, qui quotidiana Peccatorum remissione indigemus; unde ut remissio illa generalis a Christo oblata nobis etiam quotidie applicetur, novam proinde a nobis fieri oblationem, novumque offerri Sacrificium necesse est: quod Sacrificium Religionis nuncupamus, & quod Sacrificium Redemptionis non tantum revocet in memoriam, sed quatenus propitiatorium est, ejus efficaciam, & fructum nobis applicet, & gratiam impetret prævenientem, qua excitemur ad bene operandum, & ad pœnitentiam, quod fit, & docet Paulus hic fieri, quatenus passum docuit Christum esse præcipuum in hoc Sacrificio Sacerdotem, continuo in Cœlis interpellare pro nobis, ut pœnæ etiam, & culpæ venialis remissionem assequamur. Neque movere nos debet, quod idem Apostolus versiculo 17. addat, *quod voluntarie Peccantibus, non relinquitur Hostia pro Peccato*, hæc enim scripsit contra illos Hebræos, qui & fidem Christi non admittunt, vel cum illa conjungunt legales cæremonias, quibus certe non relinquitur Hostia, pro Peccato, quia nec vera Hostia a Christo in Cruce oblata frui volunt, cum ab ejus fide voluntarie deficiant nec legalis Hostia pro Peccato illis prodesse potest, neque est, quod novum Messiam expectent, qui novam eisdem afferat redemptionem. Non negat igitur Apostolus necessitatem oblationis in Lege gratiæ, sed aliquibus non prodesse ait, imò multis, & hoc certissimum est, *voluntarie Peccantibus*, iis scilicet, qui *Filium Dei conculcant, qui Sanguinem Testamenti pollutum ducunt*. Præterea si remissio Peccatorum, per Sacrificium Crucis referenda Christum non prohibuit quin orare cuunctos docuerit: *Dimitte nobis debita nostra*; cur una oblatio Christi, quia semel in Cruce *oblatus est, ut consummaret in sempiternum Sanctificatos*, impedire debet, quin eamdem Hostiam, quam ille obtulit, secundum ejus mandatum Patri sistamus orantes, ut illius contemplatione nobis placatus, & propitius esse, suæque promissionis, ac fructus quem illo mundo attulit universo, nos participes esse velit? Qui secus assereret, cogeretur etiam asserere nullam esse Orationis necessitatem, quia pro no-

nobis oravit Christus, *& exauditus est pro sua reverentia*, opus non esse, ut derisiones contumelias, convicia, & Crucem ipsam sustineremus, quia Christus *opprobriis saturatus est*, & pro nobis omnibus Crucem tulit, quod non sine maxima injuria Christiani nominis affirmari potest.

XVI. Neque ex hac iteratione Sacrificii inferat aliquis ejusdem imperfectionem quia propter eandem rationem Apostolus in laudato cap. 10. Epist. ad Hæbr. scripsit *vetera Sacrificia iterari*. Nam non iteratur Sacrificium, quia sit imperfectum, sed quia iterantur peccata. *Nos quotidie Christum offerimus*, scribit Paschasius in cap. 9. sui Operis *quia quotidie peccamus*. Vetera Sacrificia non dicebantur imperfecta, quia iterarentur, sed quia multiplicabantur, hoc est, quia in illis variæ Hostiæ, & diversis ritibus offerebantur, quod est signum hujusmodi Hostias fuisse imperfectas, & insufficientes ad homines sanctificandos, quod de nostra oblatione non verificatur, quia unica est, semper eadem, & de se sufficiens ad sanctificationem inducendam in homine. Ulterius advertendum est, quod S. Paulus in loco citato solum agit de iteratione Sacrificii facta ad aquirendum pretium Redemptionis, non vero de illa, quæ fit ad applicandam satisfactionem, & hinc recte colligitur, quod vetera Sacrificia fuerint imperfecta, quia in Veteri Lege Sacrificia hac virtute destituebantur, ex illorum enim vi Redemptio applicari non poterat, quia erat facta, nec ipsa sufficiebant ad operandam ipsam Redemptionem, sed tantum fiebant in fide, & in spe illius Sacrificii futuri, per quod perficienda erat Redemptio, & per hoc iteratio Sacrificiorum ex imperfectione fiebat in Lege Veteri.

XVII. Nullo vero fundamento obiicitur deesse in nova Lege proprium, & verum Sacerdotium, quia omnes sciunt Christum Dominum in ultima Cœna Apostolos ad hoc Ministerium assumpsisse, & Sacerdotes ordinasse; quemadmodum nulli ignotum est Apostolos postea sæpe Ordinasse Episcopos, & Presbyteros per manuum impositionem, ut legitur in Actibus Apostolorum. Christum non habere successores in Sacerdotio error est, & insania, neque id potest inferri, ex eo quod Christus dicatur Sacerdos in æternum, siquidem hæc verba solum innuunt nullos in Lege gratiæ esse Sacerdotes paris cum Christo potestatis, non vero Christum carere suis Vicariis, Ministris, & Dispensatoribus, quibus profecto indiget, ut ipsius nomine agant, cum jam non fungatur per se suo Sacerdotio, & immediate offerat Sacrificia, & hoc est discrimen inter Sacerdotes novi, & veteris Testamenti, quorum unus alteri succedebat, non ut Minister, & Vicarius, sed in præcipuo munere Sacerdotali, nullusque perpetuo durabat, sed unusquisque suo tempore erat principalis Sacerdos. In Lege vero gratiæ principalis Pontifex, & Sacerdos est Christus Dominus, qui Sacerdotium habet sempiternum, nec morte prohiberi potest permanere, reliqui vero Ministri sunt, per quos humano, ac sensibili modo Sacerdotalia munera exercet, & ex hoc motivo dicitur, quod in Ecclesia est unus tantummodo Sacerdos, unus Pontifex, unus Doctor, unus Magister, etiam si hoc non impediat, quin plures alios habeat, qui vice ipsius Deo offerant Sacrificia, & Gregem, tum verbo, tum Doctrina doceant.

XVIII. Disputarunt aliqui Auctores, num potuerit esse cruentum Sacrificium illud, quod diximus necessarium esse in nova Lege, ita ut hoc Sacrificium iteraretur non solum quoad oblationem, sed etiam quoad rem

obla-

tam, sine injuria tamen Sacrificii Crucis ad applicandum fructum ejus. Affirmativam partem plures elegerunt cum nullam invenerint repugnantiam ex parte potentiæ absolutæ Christi, neque ex parte materiæ eligendæ, vel actionis Sacrificii, quæ de se indifferentes sunt, & possunt Ordinari ad Divinum cultum significandum, & Sacrificium cruentum Christi, ut jam factum, & hujusmodi Sacrificium, quia niteretur in Redemptione Christi jam consumata, fructum ejus ex opere operato applicaret, ad instar aliorum Sacramentorum; quare non esset elementum egenum, & vacuum, ut dicebantur Sacrificia veteris Legis. Docet nihilominus D. Thomas hic q. 74. a. 1. ad 1. *tale Sacrificii genus, neque necessarium, nec consentaneum Legi gratiæ, nam licet carnes animalium occisorum expressius repræsentent Christi Passionem, tamen minus competunt ad communem usum hujus Sacramenti, & ad Ecclesiasticam unitatem significandam*; addere possumus nec decuisse ad munditiam hujus Sacramenti, in quo etiam ostendere oportebat Sacrificia Legalia cessasse, & propter hanc rationem respondent alii non potuisse in Lege gratiæ esse Sacrificium cruentum, non secundum absolutam Christi potentiam.

§. II. *Sacrificium in Eucharistiæ Mysterio positum esse statuimus.*

XIX. Displicet hæc propositio Petrobrussianis, Albigensibus, Zuinglianis, & Wiclephistis. Displicet maxime Calvinistis, & Lutheranis, & Pseudoreformatis omnibus, qui agmine facto in unum omnes conveniunt, ut Missam abrogent, & negent in Missa verum Sacrificium offerri. Quibus vero momentis innitantur, ipsi videant, qui apertissime fatentur sese ab antiquis Patribus, & a tota retro traditione recessisse. Hoc scripsit Lutherus in lib. de Captivit. Babyl. ubi *rem arduam* inquit, *& quam forte sit impossibile convelli aggredior, ut quæ tanto Sæculorum usu firmata, omniumque consensu probata sic insederit, ut necesse sit majorem partem librorum, qui hodie regnant, & pene universam Ecclesiarum faciem tolli, & mutari, penitusque aliud genus cæremoniarum induci*. Eadem protestatus est in libro de abroganda Missa privata. *Protestor in primis adversus eos, qui insanis vocibus in me sunt clamaturi, quod contra Ritum Ecclesiæ, contra statuta Patrum, contra probatas Legendas, & receptissimum usum docuerim, horum nihil me auditurum &c.* Et in libro de Missa privata, & unctione Sacerdotum: *hic non moramur*, ait, *si clamitent usque ad ravim* Ecclesia, Ecclesia. Patres, Patres, *quia hominum dicta, aut facta, opera, aut verba extra verbum Dei nihil in tam magnis Causis curamus. Unum, & solum Christum audimus, ut Pater e Cœlis intonat*: Hunc audite. *Verbo Christi judicamus Apostolos, Ecclesiam; adeoque ipsos Angelos. Nos audimus Apostolos, & Ecclesiam, quatenus afferunt verbum, & signa Christi. Si verbum Christi, & signum non afferunt, non audimus, nec judicamus eos aliter, quam Paulus* (Galat. 2.) *Petrum audiebat*. Etiam Zuinglius in Epicheresi de Canone Missæ, Divino judicio attribuit, quod PP. ob Scripturarum neglectum errare permiserit, nam si verbum Dei solum, velut unicum scopum spectassent, Eucharistiam nunquam erant aliter appellaturi quam Christus, quam Paulus, qui *Commemorationem*, qui *Testamentum* appellarunt: hinc *nullam illorum esse*, ait, *in Ecclesia auctoritatem, quia S. Literis contrarium docuerunt*. Errorem quoque irrepsisse in Actionis modo, quem veteres tradiderunt lib. 4. Instit. c. 18. Calvinus exposuit, eosdemque

hanc memoriam alio detersisse, quam institutioni Domini conveniebat, quod inquit *nescio quam repetitæ, aut saltem renovatæ immolationis faciem eorum Cœna præ se ferebat. Imitati propius Judaicum Sacrificandi morem, quam aut ordinaverat Christus, aut Evangelii ratio ferebat*. Constat igitur Calvinum, Zuinglium, & Lutherum in hac controversia se Ecclesiæ Patrum, & Apostolorum judices constituere. Se nihil aliud, quam quod Christus docuit velle profiteri, & a Sacris Scripturis se nolle recedere. Hæc sunt, & fuerunt semper consueta Hæreticorum effugia. Ariani, Nestoriani, Eutychiani Verbum Dei, Scripturam, Evangelium pariter jactabant, & quod Spiritus S. sibi ipsis plus contulisset, quam Patribus, quam Conciliis, quam Ecclesiæ, ut facilius Scripturas intelligerent, & obscura loca interpretarentur. Tum Ecclesiam, tum Patres in plurimis, & frequenter errasse effutiebant. Ex hoc tamen nihil Patrum Auctoritati detractum est, & nihil Ecclesiæ veritati, de qua Scriptum est, quod *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, & de qua ita Christus Dominus dixit: *qui Ecclesiam non audierit sit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus*, quemadmodum Apostolis, eorumdemque in regimine successoribus dixerat, *qui vos audit me audit*. Quæ Christi Domini pronunciata in Sacris expressa Scripturis dum audio, nescio quomodo, se suo gladio non jugulent Hæretici, & se ipsos non habeant tamquam Ethnicos, & Publicanos, & Verborum Christi temerarios interpretes, eo quod nolint Ecclesiæ, ejusdemque traditioni credere, & sibi licitum esse putent, vel penitus Patrum Auctoritatem contemnere, vel eorum testimonia in sensus tam alienos violenter detorquere, quorum alterum abunde patet ex superioribus eorum verbis, & alterum innotescet ex mox addendis.

XX. Juxta Hæreticorum morem, qui varietate maxime delectantur, neque sibi semper omninò constant, Lutherus aliquando Patrum testimonia, quæ Missæ Sacrificio favebant, voluit benigna interpretatione conciliari, quod in illo ipso de Captivitate Babyl. libro præstitit, in quo antea impudentissimis conviciis in Patres ipsos, eorumdemque auctoritates insurrexerat. *Ipsos*, idest Patres ait, *Missam Sacrificium appellasse ratione collectarum, cibi scilicet, ac potus, quæ distribuebantur in omnes egentes exemplo Apostolorum* Act. 4. *e quibus sumebatur id, quod consecrabatur Panis, & Vini pro Sacramento; & quia hæc omnia sanctificabantur per verbum, & Orationem Ritu Hebraico, quo levabantur sursum, ut in Mose legimus, relicta sunt verba, & ritus levandi, seu offerendi, abolito jam dudum usu conferendi, & colligendi ea, quæ offerrentur, seu levarentur. Sic Ezechiam* Esaiæ 37. *Jubere Esaiam levare Orationem in conspectu Dei pro reliquis*, & Psalm. *Extollite manus vestras in Sancta*. Item: *ad te levabo manus meas*. item 1. ad Timoth. 2. *Levantes puras manus in omni loco. Idcirco vocabula Sacrificii, seu Oblationis referri debere non ad Sacramentum, & Testamentum, sed ad collectas ipsas. Unde, & reliquum est vocabulum* Collectæ *pro precibus in Missa dictis*.

Zuinglius aliam sequitur viam; & in explicatione art. 18. dicit: *Hoc sensu existimo Patres Corpus, & Sanguinem Christi Sacrificium nominasse. non quod ipsi offerrent, sed a prima illa oblatione in Cruce facta per Christum, cum sese Patri pro peccatis totius mundi Hostiam immaculatam offerret, ut scilicet commemoratio sit ejus, quod semel est factum*. Huic explicationi se subscribit Calvinus in lib. 4. Instit. c. 18.

Animadvertens Petrus Martyr in Cœna Domini quatuor esse posse oblatio-

tio-

tionum genera scilicet Panis, & Vini, Gratiarum Actionis, Corporum communicantium, memoriam, & cogitationem oblationis Christi in Cruce, quæ singula Paulus variis in locis Sacrificia vocavit; Idcirco Classe 4. locorum communium loco 12. ait: *His ergo rationibus video Patres adductos, ut nomine Sacrificii ac Immolationis in Eucharistia utantur, quod tamen ego non usurparem, cum Sancta Scriptura non sic appellet, a cujus locutionibus non est temere discedendum.*

Kemnitius considerans Sacrificii appellationem a veteribus translatam in actiones illas singulas, & pietatis exercitia, quæ in Celebratione Cœnæ Dominicæ usitata fuerunt, Cœnam ipsam Sacrificium fuisse appellatum scripsit in Examine Concilii Tridentini; nihilominus addit *Veteres illos non intellexisse tale Sacrificium, quale propugnamus*, idque tribus momentis præcipue probat.

Primo, inquit, *ipsam administrationem, seu Celebrationem Cœnæ Dominicæ, ut Sanctificationem, & dispensationem, Patres vocant Sacrificium, quia Consecratio, & dispensatio Eucharistiæ, est quædam Sacra actio, quæ a Dionysio vocatur Græce ἱερουργίαν, Latini enim Sacrificare dixerunt, quod Græci ἱερουργεῖν.*

Secundo actionem Cœnæ Dominicæ vocari a veteribus Sacrificium ait, *quia Cœna Dominica celebratur in memoriam, seu commemorationem unici Sacrificii Christi in Cruce semel peracti, & eodem modo Christus dicitur in Cœna immolari, non quod revera in se proprie immoletur, sed quod immoletur in Sacramento, idest in imagine, & similitudine.*

Tertio inquit, *Patres Corpus, & Sanguinem Domini in Cœna præsentia vocant victimam salutarem, Hostiam puram, pretium nostrum, pretium Redemptionis nostræ, pretium pro peccatis totius mundi, Sacrificium propitiatorium, & propitiationem, non quod Actione Sacerdotis Corpus, & Sanguis Christi in Missa offerantur, ut fiant pretium, & propitiatio pro peccatis totius mundi, sed quia victima illa, quæ in Cruce semel pro Redemptione nostra, & pro peccatis totius mundi oblata est, Corpus scilicet, & Sanguis Domini in Cœna Dominica adest, dispensatur, exhibetur, & sumitur; ita ut virtus, & efficacia illius oblationis semel in Cruce factæ applicetur, & obsignetur privatim singulis fide sumentibus.*

XXI. His observatis ab Heterodoxis circa Patrum auctoritatem, ne Antiquitatis consensum viderentur minimi facere, quod *a bonis mentibus*, ut Kemnitius ait, *alienum est*, propositum illorum est nunc ex Sacra Scriptura demonstrare in Missa verum Sacrificium non offerri. Id Lutherus primo elicit ex verbis Christi Domini: *Hic Calix novum Testamentum est in meo Sanguine*. Si Testamentum, Ergo non Sacrificium, cum nulla inter hæc habeatur relatio; nam Testamentum consistit in promissione, seu donatione Testatoris nobis facta, Sacrificium vero in oblatione facta Deo, quam oblationem cum nec Christus ipse Deo fecerit in ultima Cœna, ut constat legenti Evangelicam lectionem, quæ docet Christum sedisse, & Sacramentum Discipulis suis distribuisse; etiam ex hoc Christi facto Lutherus secundo elicit luculenter probari Eucharistiam nullatenus esse Sacrificium. Verum id, quod magis hoc confirmat, petitur ex natura Testamenti, cujus confirmatio, ut docet Apostolus, pendet a morte Testatoris. Si igitur Eucharistia est novum Testamentum, ut hoc Testamentum sit ratum, oportet quod quoties dicitur Mis-

Missa Christus toties moriatur, idque congruit conditioni Hostiæ, quæ in Sacrificiis offertur, illam enim occidi, & mactari necesse est: sed in hoc Mysterio nulla est realis mactatio, aut Sanguinis effusio. Ergo Eucharistia vere, & proprie Sacrificium non est. Quare Augustinus Epist. 23. & Eusebius lib. 1. de Demonstrat c. 10. Chrysost. Hom. 17. ad Hebræ. & Theophil. ad Hebr. 8. Mysterium hoc *signum Sacrificii*, non Sacrificium appellant. Ulterius in Missa nihil aliud repræsentatur præter id, quod Christus gessit in Cœna: *hoc facite*, inquit Christus Dominus, *in meam commemorationem*. In illa vero Cœna nihil aliud apparuit, quam Mysticum Convivium, in quo Christus se ipsum dedit in cibum, & Sacramentum, quod profecto secum non trahit rationem Sacrificii, alioquin Christus per illud Sacrificium consumasset Redemptionem nostram, & tale Sacrificium fuisset propitiatorium, & infiniti valoris, ut Sacrificium Crucis. Dicendum est igitur in Missa, solum Mystici Convivii, non vero Sacrificii vestigium aliquod reperiri, cum præsertim assignari non possit quænam sit in Missa illa pars, in qua Sacrificii ratio consistat. Non enim est oblatio Panis, & Vini; nam illa Cæremonia non semper fuit observata, nec Christus in Cœna hanc præmisit, nec per illam fit aliquid circa rem oblatam; & demum si illam prætermitti contingat, nihilominus si postea rite fiat Consecratio, Missa censebitur perfecta quoad substantiam, & essentiam suam. Non est Consecratio, & transmutatio Panis in Corpus, & Vini in Sanguinem Domini, nam hæc est præparatio quædam rei offerendæ, seu materiæ sacrificandæ, juxta illud ad Hebr. 7. *Corpus autem adaptasti mihi*: hinc dicitur, quod ita se habet Consecratio ad Sacrificium incruentum, sicut se habuit Incarnatio ad cruentum, sed hæc non fuit pars ejus; ita neque Consecratio erit pars essentialis Missæ. Neqne est oblatio Corporis, & Sanguinis per expressa verba, quia hæc est solum extrinseca deprecatio, quæ non est propria Sacrificii, sed fieri potest, & sæpe iterari supra rem oblatam, etiam post peractum Sacrificium; sicut in Lege veteri fiebant hujusmodi deprecationes circa res oblatas, & aliunde certum est Christum Dominum in Cœna hanc omisisse, qui consecratum Panem, & Vinum statim Discipulis tradidit, ut manducarent, & biberent; quemadmodum postea illam omiserunt Apostoli, qui ut scribit S. Gregorius lib. 7. Epist. 63. *ad verba Consecrationis solum Orationem Dominicam addiderunt*. Non fractio, & commixtio Sacramenti, propter rationem prædictam, nulla enim actio est de substantia hujus Sacrificii, quam Christus in Cœna non exercuerit, ut revera non peregit hanc Mysticam fractionem, neque ullam mixtionem. Hinc si contingat fractionem omitti, non propterea fit imperfectum Sacrificium; imò in Liturgia Basilii nulla fit ejus mentio, quod signum est non fuisse universalem, neque ex Christi institutione. Non denique distributio, & consumptio ejusdem, nam Christus neque instituit, neque præcepit, ut cum Eucharistia sacrificatur, Populo distribuatur. Præterea sæpe contingit Eucharistiam distribui, & tunc non fieri Sacrificium, ut quando ex Præconsecratis ministratur, vel quando dispensatur peracto Sacrificio. Accedit quod tota actio Sacrificandi proxime fit a Sacerdote, manducatio vero, seu consumptio non fit a solo Sacerdote, sed etiam a Laicis. Non potest igitur hæc pertinere ad perfectionem Sacrificii; unde est illud Apostoli 1. ad Cor. 10. *Non qui edunt Hostias participes sunt Altaris?* Et illud Proverb. 9. *immolavit Victimas suas, posuit* Men-

Mensam suam, ut intelligeremus in omni Sacrificio participationem victimæ supponere Sacrificium consumatum, non vero illud perficere, quod dicitur etiam de consumatione facta a Sacerdote, nam in sumptione quiquid contingit totum fit a Sacerdote, ut Ministro Christi, non tamen ut operante, & repræsentante Personam ejus, sed per potestatem ab eo receptam; sicut quando Baptizat, vel aliud Sacramentum confert. Quare D. Thomas hic q. 79. a. 5. ait *Eucharistiam habere rationem Sacrificii inquantum offertur, rationem autem Sacramenti inquantum sumitur*. Sed his non obstantibus Missa est Novæ Legis Sacrificium, nam in Missa offertur Deo vere, ac proprie Corpus, & Sanguis Domini sub speciebus visibilibus Panis, & Vini, quod his momentis præcipue demonstratur.

XXII. Christus in sacris Scripturis dicitur *Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Sic David vocat eum in Spiritu Psal. 109. quem Psalmum de Messia antiquitas omnis, etiam Hebræorum intellexit. Sacerdotis autem munus est Sacrificium offerre. Debuit ergo Christus aliquando hoc Sacrificium offerre, & quidem ad similitudinem Sacrifii Melchisedech, qui ut legitur in c. 14. Gen. Sacrificium obtulit incruentum in Pane, & Vino. Quare Cyprianus Epist. 63. inquit: *qui magis Sacerdos Dei summi, quam D. N. J. C. qui Sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc ipsum, quod Melchisedech obtulerat, idest Panem, & Vinum, scilicet Corpus, & Sanguinem suum?* Dicant autem Adversarii quando tale obtulerit Sacrificium? Certe neque ante, neque post Mysticam Cœnam. non ante, quando manducavit Agnum Paschalem, quia tunc, ut mos erat Judæorum, & ipse quoque Christus Dominus semper consueverat, Legem implevit, non vero hujus Sacrificii figuram, quod opus requirebat excellentius ei substituendum, ad quod significandum figura illa præcesserat. Non post Cœnam Mysticam, quia post illam neque manducavit, neque bibit. *Non mandacabo ex hoc, donec impleatur in Regno Dei. Non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec illud bibam novum in Regno Dei*. Et revera statim post hanc Cœnam abiit in Hortum, ut se ad Crucis Sacrificium incohandum disponeret. Tunc igitur obtulit *finitis veteris phase Solemniis*, inquit Anselmus in c. 26. Matth. *quæ in commemorationem antiquæ de Ægypto liberationis Populi Dei agebantur, transit ad novum, quod in suæ Redemptionis memoriam Ecclesiam frequentare volebat, ut scilicet pro Carne Agni, & Sanguine, sui Corporis, Sanguinisque Sacramentum institueret*; unde Cyprianus loco citato subjungit: *præcedit autem imago Sacrificii Christi in Pane scilicet, & Vino constituta, quam rem perficient, & adimplens Dominus, Panem, & Calicem mixtum Vino obtulit*.

XXIII. Non negamus certe Christum a tota illa actione potuisse auferre rationem Sacrificii, quæ sola pendebat ab agentis intentione, verum ipsius facta, & verba de ejus intentione certam nobis fidem faciunt, quia perfectissimo modo omnia operatus est, & ita operatus est, ut illius actio per se sufficiens esse potuerit ad offerendum Deo cultum per modum Sacrificii. Quid enim sanctius, & Deo gratius a Christo fieri poterat consecratione Corporis, & Sanguinis sui, quibus maxime veneratur Deus, & colitur? Modus etiam huic Sacrificio non defuit, cum Christus illud fecerit per modum mysticæ mactationis, sanguinem scilicet a corpore separando ex vi verborum consecrationis, oculos in Cœlum elevando, Patri agendo gratias, panem benedicendo, frangendo &c. in quibus omnibus, quoad fieri potuit glo-

gloriam Dei quæsivit : quod etiam ex conjunctione mysteriorum, quæ illa nocte Christus peregit Ecclesiæ Patres collegerunt, *Prius enim figurativam ovem*, inquit Hesych. l. 2. in Levit. c. 8. *cum Discipulis comedit, postea suum obtulit Sacrificium*, sicut ergo Agnus Paschalis prius sacrificabatur postea comedebatur, ita Christus dum in mystica cœna dedit Discipulis Corpus suum, & Sanguinem ut manducarent, & biberent, illis dedit ut victimam jam sacrificatam, & immolatam, non certe in Cruce, nam nondum Caro Christi fuerat in Cruce immolata & in animarum cibum præparata, ergo alio immolationis genere, quod eleganter explicavit Nyssenus homil. 1. de Resurrect. *Qui omnia inquiens pro Dominica potestate, & auctoritate administrat non expectat Pilati judicium, sed per ineffabilem, & arcanum Sacrificii modum, sua dispositione, & administratione praeoccupat impetum violentum, ac sese in oblationem, & victimam offert pro nobis Sacerdos simul, & Agnus Dei*. Quando hoc accidit? Cum suum Corpus ad edendum, & Sanguinem suum familiaribus ad bibendum præbuit. Cuilibet enim perspicuum est, quod ove vesci homo non possit, nisi comestionem mactatio præcesserit; cum igitur dedit Discipulis suis Corpus ad comedendum aperte demonstravit jam fuisse perfectam, & absolutam immolationem. Idque etiam clarius ostendit, cum dividendo inter Discipulos suum Sanguinem ait illum esse Sanguinem Novi Testamenti, nam non nisi perfecta & absoluta immolatione in figura, quæ hanc ipsam præcessit, Moyses Victimarum sanguine Populum omnem aspersit dicens, ut refert Paulus ad Hebræ. 9. *Hic Sanguis Testamenti quod mandavit ad vos Deus*. Ut igitur veritas figuræ responderet, necesse est dicere, quod sicut Vetus Testamentum Sacrificio figurativo firmatum est, ita Christus Dominus novum suo proprio, & perfectissimo Sacrificio stabiliret, licet Sacrificio illo redemptionem nostram non consummaverit, quamquam meriti, & satisfactionis, non secus ac quodlibet aliud Christi opus, infinitæ fuerit, & quamquam etiam fuerit Propitiatorium, quia tunc illud obtulit in statu Viatoris, & noluit per illud consummare redemptionem, sicut neque per alia opera, Divina ordinatione sic dispenente, ut vitæ suæ actiones omnes, usque ad mortem effectum consummationis non haberent.

XXIV. His tamen difficultatibus Eucharistici Sacrificii tota ratio non premitur. Majus est quod Sectarii asserunt, dum repugnant Melchisedech non obtulisse in Sacrificium Domino Panem, & Vinum, ut negent Christi Sacerdotium consistere in hac oblatione, sed protulisse panem, ut instrueretur epulum victoriæ, vel etiam ut pasceret Abrahamum. Verum quid potest ineptius audiri? An non ex hostium spoliis satis Abraham reficiebatur, qui redibat ex Prælio cum ingenti præda, opimisque commeatibus? Notatu dignum est id quod legitur in eodem cap. 14. Genesis ubi hoc factum narratur, scilicet Melchisedech non jejunis occurrisse Abrahæ militibus, sed nihilominus panem, & vinum protulit. Quid ergo? Certe dicendum est Abrahamum de Sacrificio Melchisedech participasse; quod neque postea novum fuit in lege Moysis, & in lege Evangelica. Neque alium sensum patiuntur hæc Scripturæ verba: *At vero Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum (erat enim Sacerdos Dei Altissimi) benedixit ei &c.* Verbum enim *proferens*, perperam ait Kemnitius non significare actionem Sacrificii, cum sæpe pro hac usurpetur in Scriptura ut pa-

patet Judicum 6. & patet in eadem Genesi cap. 4. ubi Abel, & Cain Sacrificia describuntur, in quibus locis usurpatur hoc verbum pro adductione hostiæ ad immolationem, quod si etiam aliis in locis Scripturæ non fuisset usurpatum, adhuc tamen ex Scripturarum contextu hunc sensum exigunt verba quæ subsequuntur: *Erat enim Sacerdos Dei Altissimi*, ex Contextu inquam Scripturarum, quia variis in locis Scripturæ describunt Sacerdotium Melchisedech, adduntque illius discrimen a Sacerdotio Aaronico, & similitudinem cum Sacerdotio Christi; oportebat ergo, ut etiam describerent ejusdem Sacrificium, & aliquam rationem hujus discriminis traderent, & cum nullibi usquam, nisi hoc loco fiat hæc descriptio, dicendum est panem, & vinum non fuisse prophanum cibum, & potum, sed utramque rem fuisse sanctificatam, & Deo prius oblatam, ne dicatur ad abundantiam addidisse Moysem subsequentia verba: *erat enim Sacerdos Dei Altissimi*, quæ verba unicam caussam continent, quare Melchisedech panem, & vinum protulerit, quod verum est etiamsi dicta verba superioribus adjiciantur interposita particula copulativa, quæ observatur in Hebraico textu, cum particula conjunctiva frequentissime apud Hebræos locum obtineat particulæ caussalis, & vertatur per particulas *enim, quia* ut sententia fiat elegantior, idque didicimus ex Sancto Hieronymo, & ex iis exemplis, quæ ad hoc confirmandum recenset Bellarminus libro 1. de Missa cap. 6. ex Genesi cap. 20. *En morieris*, cum inquit Deus ad Abimelec Regem Geraræ, *propter mulierem, quam tulisti, & ipsa habet virum*, idest habet enim virum & cap. 30. *Experimento didici quia benedixerit mihi Dominus* in Hebræo est copulativa experimento didici, *& benedixit* mihi Dominus &c.

XXV. Dixi hæc verba: *Erat enim Sacerdos Dei Altissimi* unicam caussam continere cur Melchisedech consecratum panem protulerit, ut refellatur importuna Kemnitii, & Calvini explicatio, qui laudata verba non ad panem referunt, sed ad Benedictionem, quam Melchisedech Abrahamo impertitus est; quare sic illa legunt: *Erat Sacerdos, & benedixit ei*, vel *cum Sacerdos esset Dei benedixit Abrahæ*. Ex duplici caussa vana est hæc explicatio. Primo quia in Græco, Chaldæo, & Latino textu sententia terminatur post recitata verba, *& erat Sacerdos Dei Altissimi*, ita ut inter hæc, & sequentia, scilicet *& benedixit ei*, punctum interponatur: quomodo ergo hæc sequentia annecti poterunt superioribus? Secundo quia benedicere non assumitur a Scriptura, ut actio quæ sit propria solius gradus Sacerdotalis, sed omnis Majoris, unde etiam non Sacerdotes videntur benedicere, ut legitur in capite 8. & 22. Josue, & in libro 2. Regum cap. 6. & 3. cap. 8. in quibus locis Josue, David, & Salomon Populo benedicunt, & revera S. Paulus ad Hebræos 7. benedictionem Melchisedech non attribuit gradui Sacerdotii, sed Regiæ dignitati: *minor enim*, ut ipse ibidem ait, *sine contradictione a meliore benedicitur*. Non exposuit quidem Apostolus in quo consisteret Ordo Melchisedech. & figura Sacerdotii Christi, quoniam ut ipse ait cap. 5. imbecilles facti erant Hebræi ad audiendum, & de Melchisedech grandis illi erat sermo, & ininterpretabilis ad dicendum, sed id tamen Scriptura ita insinuat, & indicat, ut Patres omnes in eamdem opinionem conspiraverint, Ordinem scilicet consistere in forma talis Sacrificii, quæ ita propria est Sacer-

cerdotii Melchisedech ut nulli alteri conveniat, siquidem benedicere, & Decimas accipere, quæ duo affirmantur tamquam hujus Sacerdotii munera, conveniebant etiam Sacerdotio Levitico: Non inungi oleo sensibili, alteri non succedere, nec alium habere successorem sui Sacerdotii, non de solo Melchisedech affirmantur, sed hæc illi communia fuerunt cum Abel, & cum aliis nonnullis. Demum quod caruerit Genealogia, ut scribit Apostolus ad Hebr. 7. & fuerit typus æternitatis Sacerdotii Christi, in Jobo etiam, Helia, & aliis id observavit Epiphanius hæresi 55. qui fuerunt Sacerdotes, & quorum Genealogiam sacra Scriptura non dedit. In hoc igitur tantum, quod panem, & vinum obtulit retenta est proprietas illius Sacerdotii, & figura Sacerdotii Christi; unde Augustinus epistola 95. ad Innocentium Papam: *Melchisedech*, inquit, *prolato Sacramento Mensæ Dominicæ, novit æternum ejus Sacerdotium figurare*, & Theophylactus in cap. 5. ad Hebræos explicans illud. *Tu es Sacerdos in æternum &c. apertissime*, inquit, *de Christo dictum id esse constat, hic enim, & solus Melchisedech in morem illius pane, & vino sacrificabat*. Et recte quidem, nam licet panis, & vinum quotidianum fuerit Sacrificium in Sacerdotio Aaronico, ut habetur Exodi 29., & Numer. 28. id erat condimentum alterius Sacrificii non autem erat principale Sacrificium; panes illi neque vulgares erant, neque usitati, simplices, & puri, sed azimi, & oleo conspersi; e contra vero Sacrificium Melchisedech erat simplex panis, & vinum, non brutorum Animalium caro, & sanguis: Unde patet *Sacrificium periisse, quod fuit ordinis Aaron, & illud manere, quod fuit ordinis Melchisedech, quia Christus corroboravit, & Ecclesiam tenere docuit*, ut Primasius scribebat in Commentariis cap. 5. epistolæ ad Hebræos, & ante ipsum Ambrosius in Commentariis in caput idem ejusdem epistolæ, & Cassiodorus in Psalmum 109. & quod magis mirum est, ut eorumdem Hebræorum sapientes tradiderunt inter quos R. Phinees, qui in cap. 28. Numer. ita scripsit: *Tempore Messiæ omnia Sacrificia cessabunt, sed Sacrificium Panis, & Vini non cessabit. Sic dictum est Genes.* 14. *Et Melchisedech Rex Salem protulit panem, & vinum. Melchisedech enim, idest Rex Messias excipiet a cessatione Sacrificium panis, & vini*, sicut dicitur Psal. 110. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: Necesse igitur fuit quod Christus ut esset vere Sacerdos secundum ordinem Melchisedech sacerdotale munus obiret cum panem, & vinum in ultima Cœna consecravit, & ita Sacrificium illud purum, & incruentum ageret, quod *a Solis ortu usque ad occasum* Dominus oblatum iri per Prophetam prædixerat.

XXVI. Neque aliud infertur ex verbis illis, quibus Christus Dominus Eucharistiam confecit, cum frangi Corpus suum, & Calicem effundi ait pro Apostolis, & pro multis in remissionem peccatorum (subintelligendum namque est Deo in Sacrificium). Etenim si fractio illa, & effusio intelligenda tantum esset de pane fracto, & calice effuso ad manducandum, & bibendum, Christus Dominus non dixisset fractum panem, & calicem effusum pro Apostolis, & pro multis, qui non aderant, & in remissionem peccatorum, sed dixisset: Hoc est Corpus meum, quod vobis datur, vobis frangitur: hic est calix Novum Testamentum in meo Sanguine, qui vobis effunditur. Vera itaque Christi intensio fuit tunc Cor-

Corpus suum, & Sanguinem libare Deo, verumque offerre Sacrificium propitiatorium in remissionem peccatorum.

XXVII. Nec officit quod in Vulgata editione, Scripturæ verba, quæ in Græco textu sunt temporis præsentis sumantur in futuro, licet id exageret Kemnitius in 2. parte Examinis, ut neget peractum in Cœna Sacrificium quod Christus futurum in Cruce pollicebatur. Non officit inquam; imò utraque lectio assumptum probat, *cum enim Ecclesia tunc*, juxta Chrysostomum homil. 24. in primam epist. ad Cor. *jussa fit deinceps Christum ipsum offerre, hoc præceptum bene manifestatur per illa verba futuri temporis, quæ leguntur in Vulgata, & ita hæc verba accipi possunt, quasi referantur ad effusionem, & fractionem mysticam in Sacrificio frequentandam ab Ecclesia: Quia vero effusio Sanguinis futura in Cruce oportebat repræsentari in Cœna, tunc etiam oportuit ut Corpus libaretur, & Calix effunderetur in Cœna*. Constat itaque de veritate utriusque lectionis, sed non constat quomodo Kemnitius suam propositionem probet, quod scilicet illud *datur*, & illud *effunditur* accipi debeat pro futuro, non pro tempore præsenti, a qua propositione certe abstinuisset si propriam, & simplicem, ejus loci sententiam respexisset, si notasset Corpus Christi non in Cruce, sed in Sacramento tantum fractionem pati potuisse, ut Chrysostomus in nuper citato loco notavit, & demum si animadvertisset usum hujus vocis, quæ communiter usurpatur a Scriptura cum agit de fractione panis: sic Isaiæ 58. *frange esurienti panem tuum*, & iterum 1. Cor. 10. *Panis, quem frangimus*, & rursus Act. 2. *frangebant circa domos panes*; & postremo tandem si considerasset in Græco Evangelio Lucæ cap. 22. verbum *funditur* non conjungi cum Sanguine, sed cum voce *calix*, *hic est calix qui funditur*. Calix autem in Cruce fusus non est. Igitur S. Lucas de effusione Calicis locutus est, quæ in Cœna contigit. Deinde Kemnitii opinio pugnat cum Lutheranorum principiis, qui concedunt quod Christi Corpus ut Victima adesset in Cœna, sumi autem non negant simul cum Sanguine, ut participes simus Victimæ pro nobis oblatæ, redit ergo argumentum superius. in quo diximus quod Victimæ prius immolantur, & postea comeduntur: ergo in ipsa Cœna Christus alio modo fuit quam in utero Matris, quam in Præsepe, ubi fuit ut vivus Infantulus, sed fuit ut Victima, quæ se Deo obtulit in Sacrificium, & propter hoc seorsim consecravit suum Corpus, & seorsim consecravit suum Sanguinem, licet postea Sanguinem in propria specie non effunderet, sed in specie vini, quia in hac specie collectum in Calice Deo obtulit, & deinde illum effudit in ore Apostolorum, ut differentia esset inter Sacrificium cruentum Crucis, quod semel tantum factum est, & immolationem incruentam Cœnæ, & cæteras Christi immolationes futuras post ejus Resurrectionem, & ejus Ascensum in Cælum.

XXVIII. Probant etiam incruentum mysticæ Cœnæ Sacrificium ea quæ scribit Apostolus in 1. ad Cor. 10. ubi comparans Mensam Domini cum Mensa Gentilium, & Judæorum, Eucharistiam cum Sacrificiis Gentilium, & Hebræorum, & demum Societatem fidelium cum Christo, & Gentilium Societatem cum suis Idolis. *Fugite*, inquit, *ab Idolorum cultura, ut prudentibus loquor; vos ipsi judicate quod dico. Calix benedictionis nonne communicatio Sanguinis Domini est? & Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est? quoniam unus Panis, & unum Corpus multi*

sumus, qui de uno Pane participamus. Videte Israel secundum carnem; nonne qui edunt Hostias participes sunt Altaris? quid ergò? dico quod Idolis immolatum sit aliquid, aut quod Idolum sit aliquid? Sed quæ immolant Gentes Dæmoniis immolant, & non Deo: Nolo autem vos socios fieri Dæmoniorum. Non potestis Calicem Domini bibere, & Calicem Dæmoniorum: non potestis Mensæ Domini participes esse, & Mensæ Dæmoniorum. Nemo est, qui ex his verbis Apostoli non intelligat comparationes institutas fuisse omnino ineptas, & inutiles, nisi Eucharistia Sacrificium fuisset a Christo Domino in Cœna institutum. Altaria enim proprie dicta, non nisi ad Sacrificia proprie dicta offerenda eriguntur, & nisi Christiani ex Mensa Domini Christi Corpus, & Sanguinem sumerent, tamquam res quæ in Sacrificio essent oblatæ, illorum participatio, & communicatio non corresponderet participationi idolothytorum, & hostiarum, quas Gentiles, & Hebræi in suis Altaribus immolant; & incongrue penitus inferret Apostolus eos, qui manducant Idolothyta conjungi cum Idolis, & veros Idolatras censeri, & Christianos Latriam Deo exhibere, quod in Christi oblationem consentiant.

XXIX. Harum illationum efficaciam sensit Kemnitius; propterea negavit Apostolum comparare Mensam Domini cum Mensa Gentilium, quæ esset Altare Idolorum, cum Gentiles in communi Mensa idolothyta comederent. Certe de Reliquiis immolatorum Gentiles aliquando domi suæ Convivium instruere consueverunt, sed sæpe etiam ad Idolorum aras discumbebant. Ceterum in hoc difficultas non est. Apostolum in citato loco loqui de Altari Idolorum, controverti non potest. loquitur enim de illa Mensa, in qua edere potestatem non habent, qui Mensæ Domini sunt participes. Nulli fidelium vetitum erit consuetis Gentilium mensis accumbere. *Si quis vocat vos infidelium*, idem Apostolus inquit loco citato, *& vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate. Si quis dixerit, hoc immolatum est, nolite manducare*, patet ergo præter communes, alias mensas Gentiles instruxisse, in quibus illud immolatur, de quo edere fideles prohibebantur, & hujusmodi mensas supra descripsit Apostolus, easdemque comparans cum *Mensa Domini*, vocavit *Dæmoniorum Mensas*, quia sacræ erant Dæmoniis, quemadmodum mensæ Dæmoniorum participes illos esse ait, qui Idolothytis vescuntur, & præsertim in Idolio. Sed tam hebes Kemnitius non fuit, ut falsitatem suæ suppositionis non cognoverit, id illi profecto innotuit, & propterea quibuslibet aliis difficultatibus prætermissis, illi persuasum esse, ait, in Cœna Christum Dominum verum Sacrificium non peregisse, quod illa actio careret conditionibus, quæ ad verum Sacrificium requiruntur. Immerito tamen, & infeliciter Kemnitius hanc difficultatem reponit, quam nos rejecimus in secundo ex argumentis iis quibus catholica sententia stabilitur, & plenius confutabitur ex infra dicendis.

XXX. Veritatem Sacrificii Eucharistici probat etiam summus Patrum omnium consensus. S. Ignatius Martyr in epistola ad Smirnenses Eucharistias, inquit, *& oblationes non admittunt, eo quod non confiteantur Eucharistiam esse Carnem Salvatoris nostri J. C.*, additur Justinus Martyr in Apol. 2. ubi Liturgiæ seriem describit. Irenæus l. 4. c. 23. idem præclare confirmat S. Cyrillus Hierosol. Catech. 5. Mystagog. Eucharistici Sacrificii ritum exponit, & non solum Missam verum esse Sacrificium agnoscit, sed & propitiatorium esse pro vivis, & defunctis profitetur, & docet S. Gregorius Na-

Nazianzenus in suis Apologeticis orationibus prima, tertia, & decimanonam eidem dogmati suffragatur. S. Basilius in lib. 2. de Baptismo in responsione ad quæstionem secundam, Chrysostomus homil. 11. ad Populum Antiochenum, & tertia in epistol. ad Ephes. Cyrillus Alexandrinus in epist. ad Nestorium, Epiphanius denique eidem fidei dogmati luculenter, ac perspicue suffragantur. Accedunt Auctorum omnium, qui de Ecclesiasticis officiis post Sanctum Isidorum scripsere testimonia, demum Liturgiæ omnes, & Ecclesiæ universalis auctoritas OEcumenicis firmata Sanctionibus in prima Nicæna Synodo, in prima Ephesina, in Chalcedonensi, & denique in Tridentina, ut patet jam luculentissime quovis sæculo fuisse fidelibus persuasum Eucharistiam verum esse Sacrificium. Detorquere conati sunt Adversarii hanc Patrum auctoritatem, futiles identidem interpretationes addiderunt, ut supra vidimus, suam tamen caussam nihilo meliorem reddiderunt.

XXXI. Neque enim Patres Eucharistiam Sacrificium dixerunt Collectarum, & eleemosinarum intuitu, neque ob quoscumque exteriores actus virtutum, qui ob Dei honorem, seu laudem fiunt, scilicet ob orationes, & hymnos, ob gratiarum actionem, ob alia pietatis opera, dum illius ministerium, ac celebrationem solis Sacerdotibus vindicarunt. Cui non permittitur pauperibus Eleemosinas erogare. Charitatis, orationis, pœnitentiæ, gratiarum actionis, & similes actus religionis Deo offerre? omnibus omnia hæc conceduntur, Panem, & Vinum offerre, utique ille solus Sacerdos potest, qui vice Christi vere fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur, & Sacrificium verum, & plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre secundum quod ipsum Christum videat obtulisse. Nec etiam ob solam Sacrificii a Christo in Cruce oblati memoriam Eucharistia Sacrificii nomen obtinuit, quamquam per illam cruenti illius Sacrificii memoria celebretur, sed propter oblationem, & immolationem Corporis, & Sanguinis Christi in Altari ut S. Cyprianus, Augustinus, & Fulgentius docent, & ut ex Liturgiis Sanctorum Dionysii, Basilii, Chrysostomi, Ambrosii, ceterarumque omnium Ecclesiarum, seu Orientalium, seu Occidentalium compertum est, idque a pari confirmatur de Baptismo, qui etiamsi mortem Christi repræsentet, ut docet Apostolus ad Romanos 6. non per hoc a veteribus Patribus Sacrificium, aut oblatio appellatur, sed dicitur Sacramentum. Alteram hanc rationem addit Augustinus lib. 8. de Civit. c. 27. & l. 21. contra Faustum c. 21. quod si Eucharistia pura esset memoria Sacrificii in Cruce oblati nunquam posset appellari oblatio, nec Deo dici posset: offero tibi hoc Sacrificium, cum nihil reale Deo porrigeretur, quia vero Eucharistiæ Sacrificium realiter Deo offertur, non Martyribus, non Angelis, non aliis, evidentissime patet reale aliquod esse, per quod Deo Latriæ cultus exhibetur, qui cultus nunquam exhiberetur, si Eucharistia pura esset repræsentatio, & memoria Sacrificii Crucis. Est igitur vera oblatio commemorativa oblationis Crucis, repræsentans una, repræsentata altera, incruenta una, altera cruenta, & Augustinus libro 20. contra Faustum cap. 18. utramque complexus est, cum ait: *Christiani peracti Sacrificii memoriam celebrant Sacrosancta oblatione, & participatione Corporis Christi*. Quis vero prohibet Eucharistiam esse oblationem realem, & esse commemorationem

Sacrificii Crucis? Etiam vetera Sacrificia commemorabant Sacrificium Crucis, & tamen erant vera, & realia, & proprie dicta Sacrificia. Definit ne esse vera participatio Corporis Domini licet sit commemorativa? ergo neque definit esse vera oblatio, licet in alterius oblationis memoriam celebretur, & quia vera oblatio est; propterea Patres Cyprianus lib. 2. epist. 3. hanc vocat *plenum, ac verum Sacrificium*, Chrysost. homil. 60. ad Populum dicit *Sacrificium terribile, & plenum horroris*, Augustinus lib. 10. de Civit. c. 20. appellat *summum, & verissimum Sacrificium*, ut alibi, scilicet in lib. de spiritu & littera vocat *verissimum, & singulare Sacrificium, & Sacrificium Deo plenum* prædicatur ab Eusebio in cap. ultimo l. 1. Evangel. Demonstrationis. Dum itaque rei hujus veritatem abhorrent Hæretici, nomen ipsum oblationis pertimescunt, diligentissimeque cavent ne inseratur in formula Missæ quam tradunt pro suis Ecclesiis.

XXXII. Sed neque Hæreticis concedi potest Patres Eucharistiam Sacrificium vocasse, quia actio Cœnæ, in qua Christus hoc Sacrificium instituit fuit quædam sacra actio: oporteret enim quod quælibet sacra actio Sacrificii nomine donaretur, & primum quidem Baptismus oporteret Sacrificium vocari, cum ille sit una ex præcipuis sacris actionibus, quas Hæretici recensent inter Sacramenta. Hic plumbeum hominem intuemur, non bonam mentem, ut se bonam mentem habere Kemnitius suis Lectoribus persuadet, si vult Kemnitius Sacrificium facere, quicumque sacram aliquam actionem facit. In hac hypothesi quilibet Altari offerret, hoc ipso quod sacram actionem faceret, nullusque a sacrificando arceretur, quod adversatur Apostolicæ ordinationi 1. Cor. 14. *Mulieres taceant in Ecclesia, non enim permittitur eis loqui*, super quæ verba Tertullianus in libro de velandis Virginibus scripsit: *Non permittitur Mulieri in Ecclesia loqui, nec docere, nec tingere, nec offerre*, quæ tria esse munera Sacerdotis docet in libro de exhortatione castitatis, & non dissentit Epiphanius hæresi 79. ubi quia non licitum est Mulieribus offerre, addit *Christum ne ipsi quidem Matri suæ id permisisse*. Confundit Kemnitius spiritualia, & improprie dicta Sacrificia cum vero, & proprio, de quo tantummodo hic agitur, & in Eucharistiæ Mysterio positum esse affirmatur. Abstrahit ab oblatione, quæ eo ipso quod conjungitur sacræ actioni, hæc actio sacra vocatur Sacrificium, & ita vellet Patrum testimonia explicari, & accipi pro sola consecratione panis, quæ ad fidelium communionem dirigitur, & præscindit a natura oblationis: in suis tamen versutiis capitur insidiosus homo, dum fateri cogitur actionem Cœnæ Dominicæ, & quidem ipsum Corpus, & Sanguinem in Cœna a Veteribus vocari Sacrificium, oblationem, hostiam, victimam, se vero hoc non negare: quod si vellet, omnino non posset, nisi vellet ipsam actionem sacrificandi confundere cum re, quæ in illa actione sacrificatur, & cui soli Sacrificii nomen a Patribus impositum est. Nec Augustinus aliter docuit in epistola 59. ad Paulinum; ibi enim non dicit Augustinus oblationem Deo fieri cum id, quod est in Mensa benedicitur, sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, sed dicit *voveri Deo id omne, quod ei offertur, maxime autem sancti Altaris oblationem*. Nec Cyprianus libro 2. epist. 3. vocat oblationem Deo factam ipsam consecrationem Panis, & Vi-

Vini Plebi ministranti, sed per oblationem intelligit *consecrationem ordinatam ad Sacrificium*, & hanc Sacrificium vocat.

XXXIII. Neque favet Kemnitio argumentum, quod repetit a Sacrificii etymologia, Sacrificium scilicet dictum esse a sacra actione, eo quod Græcorum *ἱερουργίαν*, & *ἱερουργεῖν* idem sit ac Latinorum Sacrificium, & sacrificare. Ambiguitatem esse in his vocibus observandum est, & solum pro eisdem accipi posse, cum omne opus bonum ad Dei laudem, & honorem relatum, dicimus esse Sacrificium, nullo facto discrimine inter genera Sacrificiorum, sive sit Sacrificium proprium, sive per metaphoram, & per analogiam dictum. Utriusque Sacrificii discrimina notavimus supra, quare qui ambiguitatem ab his vocibus auferre student, & veram quærunt etymologiam, Græcam vocem *θυσίαν* in latinam vertunt *Sacrificium*, & primam illam *ἱερουργίαν* inquiunt pro Sacrificio usurpari cum ex circumstantiis appareat nulli alteri sacræ actioni melius accomodari, quod cum Interpretes non agnoverint in auctoritate Dionysii, in qua Kemnitii potissima ratio fundatur, vocem illam non pro Sacrificio exposuerunt, sed verterunt pro sacro ministerio. Potuisset tamen Kemnitius etiam in Dionysio legere in Missa offerri Deo verum Sacrificium, si consuluisset hæc ejus verba, quæ leguntur in c. 3. pars 3. de Ecclef. hierar. *Pontifex excusat se, quod hostiam salutarem, quæ supra se ipsum est, litet*.

XXXIV. Voluit consulere Patres illos, qui Christum revera in se, & proprie in Eucharistia immolari negarunt, & similitudinarie tantum concesserunt, atque hinc licitum sibi esse mentiri credidit, veram Sacrificii rationem a sacra Cæna expungendo. Oportebat autem illum animadvertere ad intelligendos Patres, sub nomine immolationis eos interdum dicere non immolari Christum vere, & realiter, sed tantum mysticæ per repræsentationem veræ immolationis in Cruce factæ, quia immolatio in rigore, & proprietate vocis significare videtur cruentam oblationem, seu veram mactationem cum realis sanguinis effusione, & in hac proprietate verum est non esse hic realem mactationem, sed tantum repræsentationem ejus atque in hunc modum loquuntur non solum Patres, ut Chrysostomus, Ambrosius, & alii in c. 10. epistol. ad Hebr. & Augustinus in sententiis Prosperi de fide ad Petrum cap. 18. contra Faustum lib. 20. c. 18. in epist. 23. & 20. & in Psal. 79. Sed etiam interdum Scholastici inter quos Magister in 4. d. 12. & D. Thomas hic q. 80. a. 1. Immolatio autem in hoc rigore sumpta, non est de ratione Sacrificii, ut sic, sed tantum Sacrificii cruenti, nam ad primum sufficit oblatio, quacunque ratione in ea fiat aliquid sacrum circa rem oblatam, & ideo de Sacrificio, seu sacrificatione loquendo, absolute dicendum est in hoc Mysterio non tantum imaginem, & repræsentationem Sacrificii, sed verum etiam Sacrificium, veramque sacrificationem fieri, per quam illius in Cruce peracti Sacrificii, & fusi pro nobis pretiosi Sanguinis fructum in nos transferimus, nobis applicamus, & propinamus, ut infra patebit. Parum itaque profecerunt Hæretici suis responsionibus ad auctoritates Patrum, quod ipsi certe cognoverunt, & propterea non Veterum qualescunque sententias, sed Scripturam dixerunt canonicam regulam esse, & normam fidei, & judicii in hac controversia. Age itaque videamus, quid illorum argumenta concludant ex prava intelligentia Scripturarum desumpta.

XXXV.

XXXV. Argumentatur Lutherus ex his verbis Lucæ c. 22. *Hic Calix Novum Testamentum est in meo Sanguine*, Dominicam Cœnam non esse Sacrificium, sed Sacramentum, & Testamentum Christi. Illius tamen argumentatio peccat in pluribus, quia plura confundit, quæ distincta sunt. Illud itaque primo distinguere oportet, quod in Dominica Cœna est Sacramentum, quod est Testamentum, & quod est Sacrificium, quæ tria non ita inter se repugnant, ut de uno eodemque Mysterio affirmari non possint, scilicet de unico Christi opere, de unica Christi actione. Eucharistia quatenus est signum externum, & visibile invisibilis gratiæ, & refectionis quæ nobis confertur dicitur Sacramentum: eadem est Testamentum quatenus est publicum instrumentum Divinæ voluntatis & promissionis; tandem est victima, & Sacrificium, quatenus Deo offertur. Ubi hæc distincta fuerint videt Lutherus totum cernere suum argumentum, neque rationem Sacrificii pugnare cum ratione Sacramenti, vel Testamenti, neque pugnare quod id, quod nos in Sacrificium Deo offerimus (quando ita loqui liceat, quod certe non licere dicimus) in Sacramentum detur nobis a Deo, & similiter contineat promissionem hæreditatis nobis factam, tres enim hæ rationes, & habitudines sunt in ordine ad diversos terminos, & bene inter se conveniunt, quia unius ejusdemque rei sunt habitudines, & proprietates, quod præcipue nascitur, ut inquit D. Thomas 1. 2. q. 101. a. 4. ad 2. *propter hujus Mysterii excellentiam*, cujus exemplum ponunt nonnulli Theologorum, tum in agno Paschali, quia idem prius sacrificabatur, vel in templo, vel in privatis domibus, idemque postea, ut sacer quidam cibus comedebatur sub certo ritu, & cæremoniis, in quo videtur rationem Sacramenti habuisse, tum in victima, quam Deus ex instituto, mandatoque suo sibi oblatam, in pignus, ac signaculum promissionis assumpsit Exodi 24. dicente Moyse: *Hic est Sanguis Testamenti, quod misit ad vos Deus*, tum in singulis veteris Legis Sacrificiis, quæ signacula erant promissionis Christi venturi, & immolandi. Poterit ergo Christi Corpus, & Sanguis in Cœna esse Victima Deo oblata, & pignoris, atque signaculi Divinæ promissionis habere rationem.

Oportet etiam secundo notare Sanguinem Christi proprie loquendo Testamentum non esse, sed in quo Novum Testamentum est confirmatum, & constabilitum: *Hic est enim Sanguis meus* inquit Christus Dominus *Novi Testamenti*; vel *hic est Calix Novum Testamentum in Sanguine meo*, ex quibus verbis hoc aperte colligitur. Testamentum Novum est Lex nova quam Christus suo Sanguine obsignavit, ut vetus Testamentum erat Lex vetus quam Sanguine Victimarum confirmaverat. Apostolus in cap. 9. Epistolæ ad Hebræos de utroque Testamento differens Legem intelligit, cujus Professores hæredes instituuntur Regni Cœlestis. Novam Legem intellexit etiam Jeremias ubi vaticinans ait: *Ecce dies venient dicit Dominus, & consumabo super domum Jacob, & super domum Israel Testamentum Novum*, & hoc satis erit ne nimium in refellenda Lutherana fallacia hæreamus, quæ ultra progredi non potest, cum Christum ait accepisse dumtaxat, fregisse, dedisse Discipulis Panem, nec non, & Calicem, non vero obtulisse Deo, ac sacrificasse. Nihil apud Lutherum audiebatur frequentius, quam Missam esse Testamentum Christi; sicut ergo Sanguis Testamenti veteris erat Sanguis Victimæ jam in Sacrificio oblatæ, ita Sanguis Christi, quo Novum Testamentum obsignavit,

quem

quem bibendam Apostolis distribuit, Sanguis debuit esse Victimæ in Cœna Deo in Sacrificium oblatæ, etiam si Evangelistæ id expresse non dixerint, quia neque id expresse negarunt, ut facta esse alia plurima a Christo Domino evidentissime scimus, quamquam in Scriptura non habeantur expressa, sæpissime enim supplent Scripturarum silentium circumstantiæ, quæ Christi actiones antecedunt, concomitantur, & subsequuntur, figuræ, vaticinia Prophetarum, antiquissimorum Patrum consensus, & constans Ecclesiæ Traditio.

XXXVI. Nunc vellet Calvinus quod toties Christus moreretur, quoties Eucharistiæ Sacrificium Deo offerretur, idque infert, si non ex falso supposito, ex prava certe intelligentia naturæ Sacrificii Missæ. Quodlibet Sacrificium vult esse Novum Testamentum, quia novam peccatorum remissionem, novam justitiæ acquisitionem promittit, & quia Novum Testamentum est, diversum ab illo quod fecit in Cœna, necesse est quod illud morte sua confirmet. Peccat igitur in hoc Argumentum Calvini, quod respectu Sacrificii Crucis dicit novam remissionem peccatorum illam, quam Missæ Sacrificium promittit, cum sit eadem illa ipsa, quæ per Crucis Sacrificium parta est, Sacrificium Missæ illam applicat, & hæc applicatio nova dici potest respectu ejus, cui advenit, cum antea peccatorum remissionem, & justitiæ acquisitionem non haberet. Peccat etiam Argumentum Calvini in hoc, quod dicit Missæ Sacrificium esse Novam Testamenti Christi institutionem, cum sit illius ejusdem repetitio. Non est opus igitur, ut Testator Christus Dominus toties moriatur, quoties fit hæc repetitio, ut constat quod non iterum moritur Testator, cum illius Testamentum sæpius in judicio præsentatur. Peccat tertio quod exigat Victimæ occisionem, quæ solum requiritur quando fit oblatio rei viventis sub sua specie, hic autem fit oblatio quidem rei viventis, sed sub speciebus Panis, & Vini. Satis igitur est, quod mors repræsentetur, non quod re ipsa sequatur, & hoc fit per consumationem specierum. Sanguinis effusio, de qua Apostolus loquitur ad Hebr. 9. pertinebat ad Sacrificia veteris Legis, quoties hæc pro peccato offerebantur, hæc autem in Lege nova repræsentatio non fit, quando scilicet Sanguis sub specie Vini funditur, dum offertur, & in Sacrificium Deo donatur. Quare vero Patres aliquando dixerint *Mysterium hoc signum Sacrificii*, supra explicavimus. Solum advertimus, quod sicut non sufficit ad rationem Sacrificii esse figuram, vel signum Sacrificii, ita non est contra rationem veri Sacrificii, quod sit repræsentatio, vel imago alterius Sacrificii, si cetera necessaria concurrant. Mors Abel, & Baptismus non dicuntur Sacrificia, sed figura, & repræsentatio mortis Christi. Agnus Paschalis, & oblatio Melchisedech non solum fuerunt signa, & repræsentationes Sacrificii Christi, sed etiam vera Sacrificia, quia non in illis, sed in his ea occurrerunt, per quæ aliquid Deo in Sacrificium offertur, & per quæ aliud Sacrificium significabatur. Ita igitur contingit in Eucharistia, quatenus est Sacrificium, concurrunt dum Eucharistia celebratur singulæ actiones illæ, quæ requiruntur ad significationem Sacrificii, & deinde illi datum est, ut significet non solum Realem Christi præsentiam, sed etiam præteritam ejus passionem, & mortem, & ideo non est solum imago Sacrificii, nec solum Sacrificium, sed utrumque simul, sicut simul est verum Corpus, & Sanguis Christi, & Sacramentum, seu sacrum signum ejus.

XXXVIII. Patet hinc quam immerito dixerint aliqui in verbis, & Christi factis in Cœna nullum fuisse Sacrificii vestigium, nec suffragatur eorum opi-

opinioni, quod in Concilio Tridentino ita plures Patres senserint, id enim Scripturæ sanctæ Oraculis, ac Patrum Testimoniis adversari ex hactenus dictis fit clarum, maximeque eruitur ex his Christi verbis *Hoc facite in meam commemorationem* quæ loquendi ratio pro certo ponit rem quamdam consimilem rei præceptæ antea peractam, postea indicatam, cum id pronomine *Hoc* omnino significetur. Cum igitur (ut omnes in hoc conspirant) Christus Dominus Apostolis, aliisque in Sacerdotio successoribus facultatem dederit suum Corpus, & Sanguinem consecrandi, & Sacrificium offerendi necesse est quod Christus ipse in actione, quam nobis imitandam proposuit Sacrificium obtulerit, & revera in hanc sententiam demum omnes Tridentini Patres, eliquata disputationibus veritate, convenisse, nec iis exceptis, qui illi acerrime restiterunt, constat ex iis, quæ S. Synodus in capite 1. Sess. XXII. de Sacrificio Missæ expressit his Verbis: *Deus, & Dominus noster, etsi semel se ipsum in ara Crucis morte intercedente Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic Redemptionem operaretur; quia tamen Sacerdotium ejus extinguendum non erat, in Cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ Sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque Sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus, & Sanguinem suum sub speciebus Panis, & Vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum Symbolis Apostolis, quos tunc Novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent per hæc verba præcepit: Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit.* Negamus tamen illo Sacrificio Christum Dominum consumasse Redemptionem nostram, propter rationes N. XIV. allatas, & detrahi Sacrificio Crucis, quia licet Christi oblatio, unica fuerit respectu rei oblatæ, modi tamen offerendi in illo multi, ac varii fuerunt; & sicuti Christi præcedentibus meritis dempta non fuit, aut imminuta vis, & efficacia meriti mortis; ita Christus potuit se in Cœna offerre, & Sacrificium in Cruce perficere, nec per Sacrificium Cœnæ aliquid detrahere Sacrificio Crucis.

Postremo loco, non difficultatem sed Controversiam movent adversarii circa essentiam Sacrifici Eucharistici, cui satisfieri non potest simplici responsione ad argumentum. Ut igitur status Controversiæ aperiatur, & Theologorum judicium, quantum fieri potest exactius seligatur advertimus, pertinere ad Controversiæ statum distinguere in Sacrificio Eucharistico id, quod est ritus externus, & id, quod per Sacrificium præcipue significatur. Verum cum non solum huic Sacrificio, sed ceteris commune sit, quod sint signum interioris cultus Latriæ, recognitionis Divinæ Excellentiæ, grati, contritique animi erga Deum, & quod Christi passionem commemorent, nihil de his in præsentiarum inquirimus, sed solum de essentiali ritu, & externa hujus Sacrificii actione, scilicet, quænam sit illa res, quæ in Sacrificium offertur, & per quam actionem in hoc Sacrificio offeratur.

§. III. *Panis, & Vinum sunt res in Sacrificio oblatæ. Christi Corpus, & Sanguis sunt illud Sacrificium, quod in Missa proprie offertur, & Sacrificatur.*

XXVIII.

XXXVIII. Videntur hanc assertionem innuere Ecclesiæ, & Sanctorum verba: *Sacerdos in æternum Christus Dominus*, canit Ecclesia, *secundum ordinem Melchisedech, Panem, & Vinum obtulit. Panem, & Calicem mixtum Vino obtulit*, scripsit Cyprianus Epist. 63. *Præcepit Christus Apostolis*, inquit Irenæus l. 4. c. 32. *ut primitias Creaturarum, scilicet Panem, & Vinum Deo in Sacrificium offerrent. Panis tantum, & Vinum* Alexander I. in sua prima Epistola scripsit, *Aqua permixtum in Sacrificio offeratur*; nec alia docuit tum Magnus Gregorius in lib. 3. Dialog. c. 23. & l. 4. c. 55. tum Fulgentius in l. de fide ad Petrum c. 18. & S. Pontifex Clemens, qui Epistola 2. *tot Holocausta*, scilicet Panes, *in Altari offerantur*, ait, *quot populo sufficiant*.

Si verba, & Christi Domini facta attendantur, Corpus, & Sanguinem Christi esse id Sacrificium, quod in Missa proprie offertur, & sacrificatur, tum demostrari, tum tueri oportere concluditur. *Hoc est Corpus meum*, inquit Christus Dominus, *quod pro vobis frangitur: Hic est Sanguis meus, qui pro vobis effunditur*. Quid clarius optari potest, ut Corpus, & Sanguis Christi hic sacrificari, & pro aliis offerri probetur? *Hoc facite in meam commemorationem*. Quid aliud fecit Christus, quam id, quod aliis faciendum in sui memoriam expressit? Christum autem in Cœna obtulisse Patri suum Corpus, & Sanguinem Tridentini Patres loco supra citato docuerunt, quemadmodum cap. 2. addiderunt *eamdem nunc esse Hostiam, quæ fuit in Cruce, sola offerendi ratione diversam*, & canon. 2. definiverunt *Christum illis verbis: hoc facite, ordinasse Sacerdotes, ut Corpus, & Sanguinem suum offerrent*. Idque respiciunt verba illa, quibus Sancti Patres hoc Sacrificium terribile, & honoris plenum appellant, summum, ac singulare, oblationem mundam, semperque efficax ad placandum Deum, ut prætercam convenientius fuisse, tum ad exprimendam Sacrificii perfectionem, quod Sacrificium ipsum ex melioribus bonis offerretur, tum ad exprimendam excellentiam, & sufficientiam Sacrificii Crucis, quod unum esset cum illo in re oblata, & in principali offerente, quam rationem tamen attigerunt Chrysostomus homil. 17. in cap. 10. Epistolæ ad Hebræos, Ambrosius, Theoph. Theod. in Commentariis in eamdem Epistolam. Videtur ergo dicendum Panem, Vinum, Corpus, & Sanguinem Domini in Sacrificio offerri, & proinde pertinere ad rem, quæ sacrificatur Panem, & Vinum tanquam materiam, ex qua Sacrificium conficitur; Christi vero Corpus, & Sanguinem non proprie, ut sunt materia, quæ actioni Sacrificandi supponatur, sed tamquam *terminus*, ut ajunt, *Sacrificationis*.

XXXIX. Observandum tamen est, quod Corpus, & Sanguis Christi, seu Christus totus, dicitur res oblata, non ut existit modo naturali, sed ut existit sub speciebus, scilicet modo Sacramentali, seu quatenus, cum ipsis unum compositum Sacramentale constituit, ideoque Tridentini Patres, in primo cap. supra citatæ Sessionis dixerunt, *Christus novum instituit Pascha, se ipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum*, & Augustinus in cap. *hoc est* de Consecr. distinc. 2. *Hoc est*, inquit, *quod dicimus. hoc est, quod modis omnibus probare contendimus, Sacrificium Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili Sacramentorum specie, & invisibili D. N. J. C. Carne, & Sanguine*, & in hoc differt oblatio Christi in hoc Sacrificio a Christi oblatione in Cruce, ubi materia oblationis fuit totus Christus, ut vivens vita humana, & ammittenda per mortem.

XL. Observandum 2. quod Panis, & Vinum non dicuntur res in

Sacrificio oblatæ, in hoc sensu quoad eorum substantiam, ita ut hæ maneant, quando Sacrificium est peractum, sed ut materia, quæ transit; accidentia vero manent, & per hoc distinguitur illa immutatio, quæ pertinebat ad Sacrificia Veteris Legis a transmutatione, quæ fit in hoc Sacrificio, illa naturalis omninò, hæc alterius ordinis, per hanc totum mutatur, per illam totum dissolvebatur, & quod manebat erat vera materia, hic vero neque ipsa materia superest, per Consecrationem totum transmutatur, & sola accidentia suo modo Sacrificantur.

XLI. Observandum est tertio, quod dum dicimus panem cum Vino, Corpus cum Sanguine Christi esse res oblatas, non inde inferimus esse duo Sacrificia, sed unum dicimus, nam in Sacrificio non offertur Panis, quatenus Panis est, sed quatenus transmutari debet in Corpus Christi; & idem dicendum est de Vino: Sic etiam Corpus Christi non offertur, ut est in se, alioquin Sacrificium esset cruentum, sed offertur in specie Panis, & ex Pane, & idem dixeris de Christi Sanguine, & ideo Panis, & Vinum, Corpus, & Sanguis Christi unum Sacrificium faciunt, quod est Panis in Corpus Domini transmutatus, sive Corpus Domini in specie Panis Deo oblatum.

XLII. Actiones illæ, quibus perficitur Sacrificium Eucharisticum, plures in Liturgicis libris recensentur, sed non in omnibus omnes, quibus, vel aliquando usa est Ecclesia, aut modo utitur in Missæ celebratione. *Ille Sacerdos*, scripsit Cyprianus Epistola 63. *utique vice Christi bene fungitur, qui id, quod Christus fecit imitatur; & Sacrificium verum, ac plenum tunc offert in Ecclesia, si sic incipiat offerre, secundum, quod ipsum Christum viderit obtulisse.* Ex Cypriani verbis cognoscitur Sacrificii Eucharistici Actiones, a verbis, & Christi factis esse repetendas, cum totum hoc ex illius institutione dependeat, quando nimirum ipse sacrificavit, & Apostolis dixit: *hoc facite.* Quid Christus dixerit, & quid ipse fecerit sacri Evangelistarum Codices narrant brevissime, & propterea, cum multæ illarum Actionum reticeantur, quæ nunc sunt in usu; vel de illarum necessitate a pluribus est dubitatum, aut certe traditum illarum nullam ad Sacrificii essentiam pertinere. Non ita vero argumentari licere arbitrabitur quicunque noverit Scripturarum silentio occurri posse per antiquissimam Traditionem. Christus suum Corpus, & Sanguinem daturus Discipulis, *Panem accepit*, inquiunt Matthæus, Marcus, & Lucas, *benedixit, fregit, Discipulis dedit dicens: hoc est Corpus meum, quod pro vobis traditur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter autem & Calicem*, Lucas cap. 22. & Paulus 1. ad Corinthios cap. 11. *postquam cœnavit dicens: Hic Calix Novum Testamentum in Sanguine meo: Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem.* Nefas est viro Christiano in dubium revocare, an Christi mandato Apostoli obtemperaverint, constat enim ex eorum Actis clarissime, illos fuisse perseverantes in Communione fractionis Panis, constat etiam aliis Ecclesiis hujus Mysterii frequentiam Apostolos commendasse, id enim ex his Pauli verbis ad Timot. 1. c. 2. *Obsecro fieri obsecrationes, Orationes, Postulationes, Gratiarum actiones*, se posse colligere scripsit Augustinus Epist. 59. ad Paulinum, cum in iis legeret id, *quod omnis, vel pene omnis sua ætate* frequentabat Ecclesia in Ordine Missæ. Igitur illas Actiones ad essentiam Sacrificii Eucharistici spectare affirmabimus, quibus a Christo Domino edocti Apostoli instituerunt. Magnus Gregorius lib. 7. Epist. 63. Honorius item in Gemma Animæ lib. 1. c. 80. Morem Apo-

Apostolorum fuisse scribunt Oratione Dominica Oblationis Hostiam consecrare. *Missam*, inquit Honorius, *Dominus J. instituit, quando ex Pane, & Vino Corpus, & Sanguinem suum fecit, & memoriam sui suis celebrare præcepit. Hanc Apostoli auxerunt, dum super Panem, & Vinum verba, quæ Dominus dixit, & Dominicam Orationem dixerunt.* Eumdem hunc Apostolicum ritum descripsit Walafridus Strabo in c. 22. de rebus Ecclesiasticis, & addidit, *Relationem Majorum esse in primis Temporibus Missas fieri solitas, sicut modo in Parasceve Pascha, in quo die apud Romanos Missæ non aguntur, Communionem facere solemus, idest præmissa Oratione Dominica, & sicut ipse D. N. præcepit, commemoratione Passionis ejus adhibita, eos Corpori Dominico communicasse, & Sanguini, quos ratio permittebat.* Alii vero Patres prolixam formulam Apostolos adhibuisse scribunt, inter quos Chrysostomus, qui Homil. 77. in 1. ad Cor. inquit. *Cum Sacras illas Cœnas accipiebant Apostoli, quid tum faciebant? Nonne in preces convertebantur, & Hymnos? Nonne in Sanctas Vigilias? Nonne in longam illam doctrinam, & multæ philosophiæ plenam?* Et Proclus CS. qui in libello de traditione Divinæ Liturgiæ sic ait: *Salvatore nostro in Cœlis assumpto, Apostoli antequam per omnem terrarum orbem dispergerentur conspirantibus animis convenientes, ad integrum orandum diem convertebantur, & tum multam consolationem in mystico illo Dominici Corporis Sacrificio positam reperissent, fusissime, longoque verborum ambitu Missam decantabant*, quod caute credendum est, utum hunc Apostolos introduxisse (cum per tempus, & occupationes licebat) ut Sacrificii dignitas clarius eluceseret, major ipsi veneratio conciliaretur, non vero quia vellent, lectiones, preces, & cæremonias, quas ipsi adjecerant ad Sacrificii essentiam pertinere. Sic proficiente Religione magna in dies accessio facta est Ordini Missæ, nam Cœlestinus Papa, ut refert Honorius l. c. cap. 87. *Psalmos* ad Introitum Missæ cantari instituit, de quibus Gregorius Papa, postea *Antiphonas* ad Introitum Missæ modulanda composuit. Thelesphorus addidit *Hymnum Angelicum*, ut docet Auctor Libri Pontificalis, Damasus *Symbolum*, ut scribit Innocentius lib. 2. de Mysteriis Missæ c. 49. & dum antea oblatio sine certa precum, seu rituum formula fieret, postea unaquæque Ecclesia sibi peculiares instituit, non secus ac *Canonem* ex ipsis Domini verbis, ex Apostolorum traditionibus, ac Sanctorum Pontificum institutionibus paullatim coaluisse Tridentini Patres Sess. xxii. cap. 4. decreverunt, ut alia plura omittam, quæ aliis temporibus addita sunt, ut patere potest consulenti Sacras variorum temporum Liturgias. Ex his singulis incrementis, tandem prodierunt illi Ordines Missæ, quos diversarum Nationum mores, & ingenia in suis Ecclesiis custodiendos perfecerunt, qui licet in aliquibus discrepent, scilicet in verborum tenore, ac cæremoniis (neque enim illæ ab Apostolis, & Apostolicis Viris institutæ fuerunt, ut perpetuæ forent, & immutabiles) in re tamen, & Substantia conveniunt, in Panis, & Vini præparatione, Oblatione, Consecratione, Fractione, Consumatione, & ipsius Sacramenti, Communicare volentibus, Distributione. Cum itaque in his omnibus conveniant, merito postulatur utrum hæ singulæ Actiones ad ejusdem Sacrificii essentiam pertineant, ita ut sine iis, aut earum aliqua Sacrificii ratio nullo modo subsisteret?

XLIII. Jam in superiori Adversariorum argumento, cujus solutionem in hunc locum rejecimus certatum est contra singulas has Actiones, cum in

illarum nulla videretur vera Sacrificii ratio consistere. Non certe ii sumus, qui eorum fundamenta minimi facienda pronunciemus ex Tripode, sed liberaliter illi etiam nobiscum agant, & a singulis Actionibus Consecrationem separent, & Sacramenti consumationem, illam enim ad totam Sacrificii essentiam omninò pertinere defendimus, hanc vero conditionate tantum, scilicet esse partem essentialem Sacrificii, non ut a Populo fit, sed ut fit a Sacerdote Sacrificante.

LXIV. Optima sunt fundamenta, quibus Adversarii utramque Oblationem, quæ præcedit, & subsequitur Consecrationem negant pertinere ad Substantiam Sacrificii, & propterea solum addimus, ut hæc sententia confirmetur, primam oblationem esse meram cæremonialem præparationem ab Ecclesia institutam ad conciliandam devotionem, animosque fidelium excitandos ad Mysterium ipsum peragendum, quod explicat ipsa Ecclesia, cum statim post expletam formulam, qua utraque materia Panis, & Vini Deo oblata est, his verbis Deum interpellat: *Veni Sanctificator omnipotens æterne Deus, & benedic hoc Sacrificium tuo Sancto Nomini præparatum*; quare accidentale totum esse dicimus id, quod circa illam contingit quando elevatur, & Cruce a Sacerdote consignatur. Accedit & alia ratio potissima, qua utraque Oblatio, veluti pars essentialis Sacrificii haberi non posse convincitur, & est quod Oblatio separari non potest a Sacrificio, & propterea non dependet a certa precum, seu Rituum formula, alioquin & Apostoli, & reliqui Sacerdotes, cum nondum hi Ritus instituti erant, & preces illæ, quæ modo recitantur, nunquam Sacrificium peregissent, quia quodlibet illorum Sacrificium Oblatione caruisset. Oblatio igitur intrinseca est Sacrificio, sed in qua ejus parte consistat quæritur inutiliter, neque necesse est, quod Offerens verbo explicet Oblationem; quare potest sufficere Actio ipsa consecrandi. Hinc est quod Ambrosius in Psal. 39. *Tunc ipse offertur*, inquit, *in Terris*, *quando Corpus Christi offertur*, *& tunc ipse offerri manifestatur in nobis*, *quando Sermo ejus* (scilicet verba Consecrationis) *sanctificat Sacrificium*, *quod offerimus*. Et Cyprianus in Sermone de Cœna Domini hoc idem confirmaverat, cum ait: *Ex quo dictum est a Domino*: Hoc facite in meam Commemorationem. Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus, *quotiescumque his verbis*, *& hac fide actum est*, *Panis est ad totius hominis vitam*, *salutemque proficit*, *simul medicamentum*, *& holocaustum existens*. Et Gregorius 4. Dialog. c. 50. ipsam Consecrationem *Immolationem* vocavit. Hinc etiam est, quod Sacerdotes in Forma Ordinationum facultatem accipiunt Offerendi, non Consecrandi, quia una, eademque res cognoscitur Consecratio, & Oblatio, & per hæc verba *hoc facite*, agnoverunt ipsi Tridentini PP. c. 1. Seff. xxiii. datam esse Sacerdotibus potestatem offerendi; quod si in eodem loco videntur Patres distinguere potestatem Consecrandi a potestate Offerendi per hoc quod utramque nominent, id ad majorem doctrinæ claritatem ab iis factum esse facile cognoscitur, & ad vitandas subtiles Scholasticorum opiniones, quod ipse S. Thomas hic q. 83. a. 4. præstitit, ubi scripsit: *Populo præparato*, *& instructo acceditur ad celebrationem Mysterii*, *quod quidem*, *& offertur ut Sacrificium*, *& consecratur*, *& sumitur ut Sacramentum*, non quia hæc duo intellexerit distingui distinctione reali Phisica, sed ut docet Thomistica Schola, formali, & virtuali tantummodo distinctione.

XLV.

XLV. Neque recedimus ab eorumdem Adversariorum sententia dum asserunt Hostiæ fractionem non esse de essentia Sacrificii. Illius usum fatemur certe fuisse antiquissimum, & ab Apostolis ipsis inchoatum ad Christi imitationem, qui in Mystica Cœna *accepit Panem, Benedixit, & fregit*, ideo in eorumdem Actis legimus, quod die Dominico conveniebant ad frangendum Panem. Ejusdem fractionis semper in Ecclesia usitatæ ipsi Patres, & Ecclesiastici Scriptores meminerunt. Inter ceteros Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, & Dionysius, qui c. 3. Ecc. Hjer. §. 13. inquit: *Pontifex objecta munera in apertum producit, ipsorumque unitatem in plura dividit*. His accedunt Nazianzenus Epist. 240. ad Admphiloch. Augustinus Epist. 59. ad Paulinum, aliique plures, & Liturgiæ quæcumque exstant hanc fractionem præscribunt. His tamen non obstantibus, hanc non esse de essentia Sacrificii ex eo (omissis superioribus fundamentis) ulterius eruitur, quod non fuit a Christo ad hunc effectum instituta, neque præcepta, neque imposita ad significandum, sed tatummodo introducta ab Ecclesia ad majorem reverentiam Sacramenti, & declarationem eorum Mysteriorum, quæ in Consecratione continentur. Potest quidem dici Ephesini Concilii Patres agnovisse in hac fractione repræsentationem Passionis Christi; videbitur tamen id gratis assertum, nam Epistola, quæ citatur hujus Concilii ad Nestorium, non in fractione, sed in Sacrificio dicit repræsentari Passionem Christi; imò non solum Passionem, sed Resurrectionem, & Ascensionem ejusdem, & alia Mysteria, & consequenter exponi potest Patrum Sententia, quod non loquatur de partibus Missæ essentialibus, sed de sola Missa, quatenus Ecclesiasticas omnes Cæremonias includit, in qua revera principaliter Christi Passio repræsentatur, implicite vero exprimuntur alia omnia Mysteria, quia in illa virtute quodammodo continentur. D. Thomas eamdem opinionem docuit hic l. c. a. 6. ad 6. ubi confirmat id, quod in argumento fuerat indicatum, *quod fractio Hostiæ consecratæ, & quod una sola pars mictatur in Calicem respicit Corpus Mysticum, sicut admixtio aquæ significat Populum: Et ideo horum prætermissio non facit imperfectionem Sacrificii, ut per hoc sit necesse aliquid reiterare circa celebrationem hujus Sacramenti*, id numquam D. Thomas docuisset, si ad Sacrificii essentiam unaqueque ex his Actionibus pertinuisset.

XLVI. Ipsis etiam Adversariis concedimus Sacramenti distributionem factam a Sacerdote inter fideles adstantes non pertinere ad rationem, vel Substantiam Sacrificii propter momenta ab eisdem allata, & omninò negamus fideles, qui præsentes adsunt Missæ Sacrificio teneri jure Divino oblationis participes fieri, quod temere Lutherani repetunt ex verbis Domini: *Hoc facite in meam commemorationem*, & ex verbis Chrysostomi in homil. 3. in Epist. ad Ephes. *Frustra habetur Oblatio quotidiana, cum nemo sit, qui simul participet*: Tum quia id Dominus fieri præcepit, quod ipse fecit attenta personarum, locorum, & temporum conditione, voluntate, & dispositione circumstantium, ne indigni, vel inviti de Divinis Mysteriis participarent: tum etiam quia quando ex præconsecratis ministratur, id etiam in Christi memoriam fieri potest, nam quod hæ Actiones tempore conjungantur, vel parum inter se distent, non mutant rationem, significationem, aut earumdem institutionem; & demum quia illa Chrysostomi verba non sunt accipienda de absoluta Oblatione, quæ ordinatur, tum ad Sacrificium Deo offerendum, tum ad Populum sacro illo Pane reficiendum, sed de illa Oblatione tantum, quæ

ad

ad posteriorem finem dirigitur. Sic etiam explicare possumus Auctoritates illas in quibus legimus dispensationem Eucharistiæ pertinere ad perfectionem Sacrificii, ut scilicet intelligantur de extrinseca perfectione, quæ est *per modum*, ut inquiunt, *actionis transeuntis*: nec iis unquam assentiemur, qui fideles per se offerre dicunt quando communicant, cum revera per se nihil offerant per Communionem, quam accipiunt, sed per Sacerdotem, cui potestas offerendi specialiter commissa est.

XLVII. De sumptione autem, quæ fit a Sacerdote, non eodem modo loquimur, sed dicimus non esse quidem institutam, ut in illa sit tota essentia Sacrificii, sed tamen esse imperatam, ut sit pars essentialis, quatenus est perfecta consummatio, & immutatio victimæ oblatæ, quod pertinet ad rationem Holocausti (cujus naturam præsefert Sacrificium Eucharisticum) in quo Victima debet perfecte consumi. Illa enim immutatio, quæ fit in pane & vino, & quæ aliquibus videri posset sufficiens, revera sufficiens non est, quia propria non est immutatio rei, quæ præcipue oblata fit, Christus enim est res præcipue oblata, vel quia neque revera panis ipse omnino consumitur, nam remanent ipsius species, & demum quia hæc immutatio insensibilis est, e contra Victimæ materia debet esse sensibilis. Neque satisfacit, quod aliqui veline hic fieri mysticam immutationem, alioquin non esset Sacrificium verum, & reale, sed non excederet rationem figuræ, & immaginis Sacrificii, quia esset tantum signum, & repræsentatio realis mactationis. Ad hæc Christus quando Apostolos ordinavit Sacerdotes, non solum jussit illos facere quod ipse fecerat, sed præterea panem quem illis porrigebat accipere, & manducare, jussit ergo ut species consecratas consumerent, quod facturi erant in memoriam ejus, scilicet ad plenius repræsentandam ejus mortem usque ad sepulturam, & effectum sanctificationis ex ea provenientem, & hoc fuerat antea figuratum, tum in Sacrificio Melchisedech, in quo tota sensibilis mutatio circa panem, & vinum oblatum erat in ejus esu, & potu, tum in jugi Sacrificio Agni, quod Sacrificium fiebat quotidie in Lege veteri, in quo præter Agni interfectionem etiam sumptio panis, & vini præcipiebatur. Neque desunt sacrorum Canonum Decreta, & Patrum auctoritates, inter ceteros audiatur quomodo argumentatur D. Thomas hic q. 82. a. 4. *Eucharistia*, inquit, *non solum est Sacramentum, sed etiam Sacrificium: quicumque autem Sacrificium offert debet Sacrificii fieri particeps, quia exterius Sacrificium quod offertur, signum est interioris Sacrificii, quo quis se ipsum offert Deo, ut Augustinus dicit lib. 10. de Civit. c. 5. unde per hoc, quod participet de Sacrificio ostendit ad se Sacrificium interius pertinere; similiter etiam per hoc, quod Sacrificium populo dispensat, ostendit se esse dispensatorem Divinorum, quorum ipse primo debet esse particeps, sicut Dionys. dicit in lib. 3. Eccles. Hierar. & ideo ipse ante sumere debet, quam populo dispenset*; unde & in prædicto capite legitur. *Quale est Sacrificium cui nec ipse Sacrificans participes esse dignoscitur*. Per hoc autem fit particeps quod de Sacrificio sumit secundum illud Apostoli 1. Cor. 10. *Nonne qui edunt Hostias participes sunt Altaris*? & ideo necesse est quod Sacerdos quotiescumque consecrat sumat integre hoc Sacramentum, scilicet utramque speciem. In cap. *Comperimus* de Consecrat. dist. 2. dicitur *immane sacrilegium* non sumere utramque speciem ab eo, qui sacrificat

in

in capite *Relatum* l. c. dicitur *communicandum esse Sacerdoti*, quoties ab eo consecratio facta fuerit, & tam necessarium judicatum est in Ecclesia ut post consecrationem sequatur sumptio, ut si contingat Sacerdotem consecrantem non posse sumere, debet alius loco ejus substitui, ut Sacrificium consumet, ut dicitur in cap. *illud*, & in cap. *nihil* 7. q. 1. & supra laudatus S. Thomas l. c. ad 3. dicit *quod si miraculose Corpus Christi in Altari sub specie Carnis appareat, aut Sanguis sub specie Sanguinis, non est sumendum. Consulendum tamen esse Sacerdoti quod iterato Corpus, & Sanguinem Domini consecret, & sumat*. Neque aliud Tridentini Patres videntur docuisse in cap. 8. Sess. xiii. ubi ritum hunc & morem ex Traditione Apostolica descendentem jure ac merito retinendum dixerunt, & ipsius Ecclesiæ usus est in casu quo contingeret Sacerdotem mori ante sumptionem specierum, stricte præcipere ut alius Sacerdos, etiam non jejunus species consecratas sumat, quemadmodum aliud vinum consecrandum, ut perficiatur Sacrificium, iterum docet D. Thomas q. 83. a. 6. ad 3. *si contingat in calice consecrato venenum esse, quia in hoc casu non debet sumi, sed in aliquo vase Sanguis Christi reponendus est*. Ex tot tantisque rationum, & auctoritatum momentis satis itaque demonstratum creditur, Consumationem, quæ fit a Sacerdote sacrificante, non tam esse commexstionem Victimæ, quam Consumationem Sacrificii, & propterea partem essentialem ejusdem, cum in nulla alia Actione Sacrificii, præter istam, realis Victimæ destructio salvetur. Concedimus certissimum non esse, Christum in Cœna sacramentaliter communicasse, improbabile tamen non est, & D. Hieronymus in epistola 150. ad Hudibium; *Dominus J. C.*, ait, *ipse Conviva, & Convivium, ipse comedens, & qui comeditur*, cui auctoritati innixus D. Thomas q. 81. a. 1. opiniones singulorum contrarias respuit, & hanc solam defendit hoc præcipue fundamento, quia *Christus ea, quæ ab aliis observanda instituit, ipse primitus observavit, unde & ipse prius baptizari voluit quam aliis baptismum imponeret; unde & primo ipse Corpus suum, & Sanguinem sumpsit, & postea Discipulis sumendum tradidit*, & hoc est quod Ruth. 3. super illud *cumque comedisset, & bibisset &c.* dicit Glossa quod *Christus comedit, & bibit in Cœna, cum Corporis, & Sanguinis sui Sacramentum Discipulis tradidit*. Neque ulla in contrarium probabilis conjectura afferri potest, ob quam credibile fiat abstinuisse tunc Christum ab ejusmodi cibo, & potu, quod enim aliqui inquiunt, quia nihil a Sacramento accepisset, illos urget S. Doctor animadvertens varios hujus Sacramenti effectus, & inter ceteros actualem delectationem spiritualis dulcedinis, quam Christum tunc expertum fuisse colligit ex his verbis quæ Lucas c. 22. recenset: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*, quæ exponit Eusebius de novo Mysterio novi Testamenti, quod tradebat Discipulis, *& ideo*, inquit, *spiritualiter manducavit, & similiter sacramentaliter, in quantum Corpus suum sub Sacramento sumpsit, quod Sacramentum sui Corporis intellexit, & disposuit*. Supposito itaque Christum Dominum sumpsisse suum Corpus, & Sanguinem magis patet Actionem hanc intrinsece ad rationem Sacrificii pertinere, cum Christus hoc potissimum fecerit, ut suum incruentum Sacrificium consumaret. Nullus enim est qui nesciat Sacrificii essentiam in particulari, & quoad Actionem impositam ad significandum pendere ex institu-

tio-

tam, hanc vero supponere in ipsis Actionibus aliquid, quod ex se illis convenit, videlicet non repugnantiam, & decentiam ad talem usum seu significationem; hæc autem non repugnantia non ex solis rebus ipsis eruitur, sed pendet ex voluntate instituentis. Cur ergo dubitare debemus de voluntate instituentis Christi Domini, quod sumptionem, quæ nullam habet repugnantiam per se ad partem essentiæ Sacrificii, imò quæ habet majus quoddam fundamentum ad repræsentandam ejus mortem, non instituerit ut talis esset, cum præsertim cruentum Christi Sacrificium in ejus morte fuerit consumatum, & in sepultura testificatum?

XLVIII. His omnibus præmissis, nunc ad principaliorem propositionis partem convertimur, ut in Consecratione ostendamus veram Sacrificii essentiam reperiri, idque præsertim, quia certo credimus Christum consecrationem instituisse, ut essentialiter esset Actio sacrificandi, & essentia ejus; hæc enim Actio est omnium illarum, quas Christus potuisset ad hoc opus eligere maxime sacra, & aptissima ad profitendam Dei majestatem, & omnipotentiam. Id ostenditur primo ex facto ejusdem Christi Domini, qui in mystica Cœna hoc Sacrificium instituens solum panem, & vinum consecravit. Secundo ostenditur ex ritu Apostolorum, qui in Christi Commemorationem hoc facientes, super Panem, & Vinum verba quæ Dominus dixit proferebant, nihil aliud addentes præter Dominicam orationem. Tertio colligitur ex novæ Legis Sacerdotio, a quo primario dari Sacerdotibus potestatem consecrandi docet Concilium Tridentinum Sess. XXIII. cap. 1. per impressionem characteris, ut addit capite 4. Necesse est igitur dicere in Consecratione veram Sacrificii essentiam consistere, quod per illam, ut inquit D. Thomas hic q. 80. a. 12. ad 5. *repræsentatio Dominicæ Passionis agatur*, sic enim Sanguis a Corpore separatur, cum vi verborum solum Corpus sub speciebus Panis, & solus Sanguis sub speciebus Vini existant, & ita demum ea omnia complectuntur, quæ ad Sacrificii essentiam requiruntur, oblationem scilicet, & immolationem Victimæ sensibilis, siquidem eo ipso Victima Deo offertur, & consecratur, quo ad Altare immolanda adducitur, & Deo vere præsens redditur, quod non alia ratione quam per consecrationem Christus gessit in ultima Cœna Patri se præsentem exhibens sub Panis, & Vini speciebus. *Vidimus*, inquit Ambrosius in Psal. 39. *Principem Sacerdotum ad nos venientem vidimus, & audivimus offerentem pro nobis Sanguinem suum. Nunquam autem audivimus Christum offerentem pro nobis Sanguinem suum, nisi quando dixit: Hic est Calix Sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur*, & paullo post, *Tunc ipse offertur*, ait, *in terris, quando Corpus Christi offertur, & tunc ipse offerre manifestatur in nobis, quando sermo ejus sanctificat Sacrificium quod offerimus*, & Gregor. 4. Dialog. c. 56. Consecrationem ipsam immolationem vocat dum inquit, *quis fidelium habere in dubium possit, in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem Cælos aperiri, Angelorum choros adesse?* Et Simeon Episcopus Thessalonicen. lib de myster. Missæ c. 3. distincte inquirens an Christus Sacrificaverit ante, vel post Consecrationem; neque ante neque post, sed in ipsa consecratione respondit (eo modo quo id alibi explicavimus): *Quia tunc facta est mutatio ex Pane non mactato in Corpus Christi mactatum*, neque in hoc discrepavit Nicolaus Cabasila in expositione Liturgiæ cap. 32. *Dixi eo modo*

de quo id alibi explicavimus, quando diximus quod ad rationem Sacrificii non requiritur essentialiter actualis immutatio, & Victimæ destructio, sed sufficit ut illius mors, ex modo quo offertur, naturaliter subsequi debeat. Si enim in veteri Lege Deus conservasset miraculose Victimam lethaliter vulneratam, adhuc verum ibi fuisset Sacrificium, quia ex quo vulnus illud lethale fuisset, non minus illa Actio significasset dominium Dei in vitam, & in mortem, quam si revera mors secuta fuisset. Paritatem habemus in Martyrio, ad cujus essentiam non requiritur mors actualis, sed sufficit quod talis infligatur cruciatus, qui per se mortem inferat, licet postea vere mors non sequatur. Consecratio, quantum est de se Sanguinem Christi ab ejus Corpore separat: igitur quantum est de se Victimam immutat & destruit, nam ponit Corpus sub speciebus modo quodam mortuo, inepto ad suas functiones naturales, & ordinato ad destructionem, cum ibi ponatur per modum cibi, & potus ordinati ad consumptionem, eoque fine, ut consumptis speciebus, ac corruptis, ibi esse desinat, & suum esse sacramentale ammittat. Concedimus nullam exinde Christi Corpus læsionem pati, nam agitur de imperfecta & morali, non de perfecta, & physica destructione, sed tamen sufficit ad rationem Sacrificii, nam etiam in Lege veteri aliquando Vinum litabatur, non per ejus phyficam destructionem, sed moralem, scilicet per effusionem in terram, qua secundum hominum existimationem censebatur destructum, quia factum inutile ad humanos usus.

XLIX. Præcipuam itaque Adversariorum rationem in superiori argumento expositam negamus subsistere, eoquod Consecratio non est præparatio ad Sacrificium, sed ut constat ex dictis, est ipsum Sacrificium, in quo Christus offertur, non ut materia, sed ut terminus oblationis, & ideo non necesse est ut tempore, vel natura supponatur Actioni sacrificandi. Exemplum ab Incarnatione petitum parum concludit, non enim salvatur similitudo. Christus in Sacrificio cruento fuit tum materia Sacrificii, tum principalis offerens, ut Deus, & homo, quomodo per Incarnationem esse cœpit in Cœna, & in Altari. Christus ut principalis offerens supponitur ante Consecrationem, non autem prout offertur, quia offertur, ut est in propria specie, offertur autem ut est sub speciebus, non ut materia.

L. Efficacius argumentum videri potest illud, quod aliqui repetunt ex Officio diei Parasceves, penes quos non Officium, sed verum Sacrificium offertur absque Consecratione, quia illa oblatio fit ex præconsecratis; idque illis certum videri solet, tum quia Ecclesia, vel Sacerdos nomine ipsius Actionem illam Sacrificium vocat, quod ipse offert; & si dies Parasceves sit Festus, jubet quod fideles illi adsint, tum etiam quia Patres Laodiceni Concilii in c. 49. & sextæ Synodi in Can. 52. decreverunt: *In omnibus Sanctæ Quadragesimæ Jejunii diebus, præter quam Sabbato, & Dominica, & sancto Annunciationis die, fiat sacrum præsanctificatorum ministerium*. Veris itaque his præmissis de veritate etiam consequentiæ constare debet, Consecrationem non pertinere ad essentiam Sacrificii.

Id quod in his præmissis supponitur falsum omnino est, cum die Parasceves non offeratur Sacrificium, neque fiat, sed tantum mystice repræsentetur mors Christi, quia eo die recolitur realis mors ejus, seu

Sacrificium cruentum prout in simili die re ipsa gestum est, quod si nihilominus officium illius diei vocatur ab aliquibus *Sacrificium*, hæc vox a suis Auctoribus late sumitur pro quocumque sacro ministerio, vel pro ipsa Hostia Consecrata, eo modo quo Victima ipsa Sacrificii vocatur aliquando Sacrificium. In cap. 49. Concilii Laodiceni non legitur quod supponunt Adversarii sed ita legitur; *quod non oportet in Quadragesima Panem benedictum offerre, nisi in Sabbato, & Dominica*, non ita vero certum est per panem benedictum Eucharistiam semper significari, nam Ecclesia consuevit panem benedictum distribuere Catechumenis loco Eucharistiæ, ut scribit Augustinus lib. 2. de Peccatorum meritis, & remiss. cap. 26. qui panis certe non erat Eucharisticus, quemadmodum etiam a Sacerdote distribuebatur iis, qui ob aliquod impedimentum non poterant, aut non erant parati communicare, ut Græci, & Latini Scriptores testantur, Theodorus Balsamon in Can. 2. Concilii Antiocheni, Simeon Thessalonicen. lib. de Divino Templo, Durandus in rationali l. 4. cap. 53. aliique: quod si forcasse ibi exponatur pro Eucharistia, & dicatur revera Græcos sic consuevisse sæpe in Quadragesima sacrum Præsanctificatorum ministerium agere, dicendum est illis diebus non fuisse oblatum Sacrificium, & quia hoc inconveniens est visum, ideo Ecclesia Romana usum hunc nec probavit, nec recepit. Quod si concedendum sit Ecclesiam præcepisse, ut fideles concurrente aliquo Festo, interessent Officio sacri diei Parasceves, id potuit præcipere, non quia arbitraretur illud esse Sacrificium, sed ut fideles, qui non poterant Sacrificium Missæ audire recolerent tamen memoriam Passionis ejus, pro ut illo die fit, nam præceptum sanctificationis Festi in ordine ad auditionem Sacri Ecclesiasticum est, & propterea potest coextendi ad alia etiam pietatis opera, quæ in defectum illius substitui, & fieri commode possunt. Ceterum hoc non cohæret cum Decreto S. R. C. 11. Febr. & 11. Martii 1690 approbante Alexandro VIII. per quod Festum transfertur una cum præcepto audiendi Missam, & vacandi ab operibus servilibus ad feriam 2. post Dominicam in Albis, etiam quocumque alio Festo impeditam.

LI. Dubitatum est utrum Consecratio utriusque speciei ad essentiam Sacrificii pertineat. Illud nos probabilius censemus, quod ad Sacrificii incruenti essentiam spectet omne id, quod continet expressim imaginem, & repræsentationem Sacrificii cruenti juxta Christi verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, quare ait Cyprianus l. 2. epist. 3. *Scriptura dicit, quotiescumque ederitis Panem istum, & Calicem istum biberitis mortem Domini annuntiabitis donec veniat: quotiescumque ergo Calicem in commemorationem Domini, & Passionis ejus offerimus, id quod constat Dominum fecisse facimus*. Neque dissentiunt Augustinus in capite *semel* de Consecr. dist. 2. & Ambrosius in capite *in Christo* distinctione eadem, & multi alii Patres, qui hoc idem docuerunt: est ergo utraque consecratio simpliciter necessaria, ut hoc Sacrificium constet, & hoc sensu dicitur de essentia ejus, quæ non potest aliunde melius intelligi, quam ex verbis, & factis instituentis. *Si in Sacrificio*, sequitur idem Cyprianus, *quod Christus est nonnisi Christus sequendus est, utique id nos obaudire, & facere oportet, quod Christus fecit, vel quod faciendum esse mandavit, cum ipse in Evangelio suo dicat, si feceritis, quod mando vobis, jam non dicam vos ser-*

vos

nos sed amicos. Idem colligitur ex usu Ecclesiæ, quæ nunquam in ullo casu passa est (nam quod docet Raphael Volaterranus, Innocentium IV. cum Norvegis, aliisque septentrionalibus Populis dispensasse, ut propter vini penuriam Calicem non consecrarent nullo authentico documento probatur) offerri Sacrificium sine utraque specie: imò Concilii VII. Toletani Patres Canone 2. definiverunt, *quod si Sacerdos inchoato Sacrificio ita ægrotet, ut prosequi nequeat, alius Sacerdos succedat, & perficiat Sacrificium*; quod extendit D. Thomas hic q. 80. a. 6. ad casum, in quo celebrans post consecrationem hostiæ recordetur se non esse jejunum, aut esse in peccato mortali, aut esse excommunicatum, vult enim S. Doctor Sacerdotem hunc debere perficere Sacrificium, & sumere Sacramentum, quod idem vult in casu etiam, in quo adverteret post Calicis sumptionem non fuisse vinum in Calice, tunc enim aliam Hostiam apponere proferret, iterum consecrandam simul cum Calice, quod ideo dicit, quia si diceret sola verba Consecrationis Sanguinis non servaretur debitus ordo consecrandi, ut dicitur in prædicto citato Canone Concilii Toletani: *perfecta videri non possunt Sacrificia, nisi perfecto ordine compleantur*. Itaque duarum specierum consecratio ad Sacrificii essentiam potissimum pertinet. Nec certe videtur, quomodo oppositum aliqui tueantur, argumento petito ex Cypriano, qui a culpa eximit quosdam Episcopos, qui metus causa in Sacrificiis matutinis non vinum, sed aquam consecrabant. *Si quis*, hæc sunt verba Cypriani, *de antecessoribus nostris, vel ignoranter, vel simpliciter non hoc observavit, & tenuit, quod nos Dominus facere exemplo, & magisterio suo docuit, potest simplicitati ejus de indulgentia Domini venia concedi*. Ex his Cypriani verbis neutrum eruitur, nihil enim in hac sententia legitur de natura illius Sacrificii, quod sine Calicis consecratione ab illis Episcopis peractum est, utrum fuerit verum Sacrificium, an non, sed ex iis quæ scribit super hæc verba Marci 14. *Amen dico vobis non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam novum in Regno Dei: Unde apparet Sanguinem Christi non offerri si desit Vinum Calici, nec Sacrificium Dominicum legitima sanctificatione celebrari nisi oblatio, & Sacrificium nostrum responderit passioni*, colligitur certe ipsum non favere contrariæ sententiæ. Neque alterum asserit Cyprianus, illos scilicet Episcopos fuisse immunes a culpa; imò potius oppositum, quia venia præsupponit culpam, & hanc veniam illis concedit de indulgentia Domini. Quænam esset in Domino indulgentia, si nulla in illis Episcopis culpa præcessisset? Sed quia res adhuc dilucidata non erat, ideo illorum simplicitas, & ignorantia excusabatur, ut excusatur etiam D. Bernardus, quod in Epistola 69. scripserit: *Sacerdotem, qui post consecrationem in decursu Liturgiæ adverterit aquam solam infusam fuisse in Calice non teneri infundere vinum, & consecrare*, nondum enim Ecclesia hoc præscripserat, & plurimum inter se discrepabant Theologi, qui tamen convenerunt in hoc, scilicet quod etiam si in Missa repræsentaretur Christi Passio variis actibus, gestis, & ornamentis, ritibus &c. tamen Sacrificii essentia minime in hac repræsentatione, & illis gestis consisteret, ut Kemnitius impudenter mentiebatur, sed in oblatione Corporis & Sanguinis Domini, in qua variis gestibus, & actionibus repræsentatur Sacrificium Crucis, & simul Deo offertur verum, & proprium Sacrificium Corporis Domini. Conve-

nerunt etiam Theologi in asserendo omnia verba Canonis non esse necessaria de necessitate Sacramenti ad consecrandum, quia nec Christus totum dixit, nec Ecclesia illum semper in usu habuit, sed temporis successu auctus est, partimque mutatus, ut constat ex antiquis Liturgiis, unde Dionysius, Clemens, Ambrosius, & alii Patres aperte docent Orationes omnes, quæ antecedunt verba Christi esse cæremoniales, & prævias, non vero simpliciter necessarias; quemadmodum necessariæ non sunt illæ, quæ adjunguntur post verba Christi, quia Sacramentum solis Christi verbis conficitur, ut dixit Concilium Florentinum, quæ verba statim ac Christus dixit, cœpit esse verum, quod dixit, & Consecratio perfecta fuit, ut docuerunt Patres Tridentini Sess. xii. cap. 4. Idem asseruerunt Theologi de verbis illis, quæ sunt Evangelistarum: *Simili modo postquam cenatum est &c.* quia illa Christus non dixit cum consecravit, sed fecit id, quod per ea refertur; imò antequam Evangelistæ, & Paulus hæc verba scriberent fiebat in Ecclesia Consecratio, & tamen ea verba non recitabantur,

CAPUT IX.

DE MISSA PRIVATA.

DUplex est hic ineunda concertatio, utraque contra Hæreticos, qui Privatas Missas nullo modo admittunt, & de illarum efficacia altercantur. Lutherus, Brentius, Kemnitius, Melancthonus agmen illorum duxerunt, qui in Germania Privatas Missas repudiarunt. Apud Helvetios Zuinglius, & apud Genevenses Calvinus in idem opus laborarunt, & Eduardus VI. in Anglia, qui antiquam Liturgiam penitus abrogavit.

II. Ex variis Caussis Missa vulgo Privata a Veteribus appellata est, vel quia in privato, & latente aliquo loco agebatur, vel diebus non solemnibus; neque Festis, sed ordinariis fiebat, vel paucis adstantibus, puta unico, aut altero, qui veluti Minister interesset, vel demum ex hoc, quia in illa solus Communicabat Sacerdos. Semper autem unicuique licuit tum ex his, tum ex aliis quibuscumque caussis Missas privatas Celebrare, & consequenter nulli unquam prohibitum fuisse morem, & ritum hunc, plurima Ecclesiastica monumenta, tum vetera, tum recentiora probant, & multiplex ratio confirmat. Unicuique certum est Apostolos circa domos Panem fregisse. In eorum Actis cap. 27. Paulus in tertio domus Cœnaculo Fidelibus Panem fregisse narratur, ex quo Adolescens somno gravatus ad fenestram se lens cecidit. Qui proximi Apostolis floruerunt sæpe in Domibus celebrabant, in Cryptis subterraneis, in Carceribus urgente Paganorum persecutione Sacros peragebant conventus, ibique divinis intererant Mysteriis; & Tertullianus libro de Fuga in Persecutione cap. 14. *Si colligere*, scribit, *interdiu non potes, habes noctem. Non potes discurrere per singulos? Sit tibi, & in tribus Ecclesia*, scilicet noctu celebra, & privatim etiam, si vel tres soli præsentes sint. Verum in his plurimum non immorantur Heretici, qui Missas privatas abrogant, non illas quæ in privato aliquo Oratorio aguntur, si ibi fideles conveniant, & communicent, sed illas in quibus solus Sacerdos communicat.

III. Ve-

III. Verum circa hoc nihil est jure Divino præceptum, aut prohibitum, ut Eucharistia quoties consecratur assistentibus distribuatur, vel ut fideles Communicent, cum Missæ assistunt, ut alibi est demonstratum. Neque Divino jure præceptum est, quod Missa coram multis ministrantibus, & assistentibus dicatur; ita ut non possit etiam cum uno solo dici. Scribit Gregorius Nazianzenus Orat. 19. in laudem Patris se *in cubiculo suo Sacrum egisse*. Uranius in Paulini Nolani vita narrat, *quod paucis horis antequam moreretur ante lectulum suum parari sibi Altare jussit, ibique Sacrificium obtulit*. Meminit etiam cujusdam Missæ privatim dictæ in privato loco Augustinus lib. 22. de Civit. cap. 8. & Paulinus Presbyter in vita S. Ambrosii, & Synodus Agathensis c. 21. quæ permittit privatum Oratorium in Agris, in quibus Missa haberi posset, quorum privatorum Oratoriorum etiam meminit S. Gregorius Magnus lib. 7. Epist. 71. & lib. 8. Epistola 3. in quibus Missæ dici solebant sine Populi concursu, quem morem servari in Monachorum Monasteriis præcepit lib. 4. Epist. cap. 43. seu 87. *ne in Servorum Dei secessibus Popularibus occasio præbeatur ulla convenientibus*; & in quodam alio loco introduxit, ubi antea Missa publica celebrabatur, ut legitur in sua Epist. 46. seu 146. libri 5. Singulare etiam est quod in c. *& hoc attendendum* distinct. 1. de consecratione statuitur, *ut Missæ peculiares, quæ diebus solemnibus fiunt non ita publice fiant, ut propter eas Populus a publicis Missarum solemnibus abstrahatur*. Ex his aliisque sexcentis monumentis, quæ possent afferri ponitur

§. I. *Missæ Privatæ celebratio sine Communione Adstantium, Disciplina fuit antiquorum Ecclesiæ temporum.*

IV. Id evidentius adhuc probatur ex sequentibus testimoniis Chrysostomus Tom. 3. in Epistola ad Ephes. *Frustra est* inquit, *quotidianum Sacrificium frustra adstamus Altari. Nemo est qui participet. Semel tantum per annum ea Sacramenta sumi* homil. 5. in Epistolam 1. ad Timoth. scripsit. Fuisse valde infrequentem Communionis usum in sua Mediolanen. Ecclesia scribit Ambrosius in Sermone 34. ad Populum, quem hortatur, ut singulis diebus Missæ Sacrificio intersit, & quod in Quadragesima die saltem Dominico offerat, & communicet. Eamdem infrequentiam fuisse in Massiliensi Ecclesia eruitur ex Gennadio in libro de Eccles. Dogm. c. 53. & ex Concilio Agathensi A. 505. collapsam in Provincia Arelatensi Disciplinam, etiam quo ad frequentem Communionem patet ex cap. 18. ubi statuitur, quod saltem ter in anno communicent, & suis temporibus varios hac de re agnovit Augustinus Epistola 118. fuisse cujusque Ecclesiæ mores, cum alii quotidie, alii certis dumtaxat diebus communicarent. Circa finem tertii Sæculi numerus Communicantium maxime imminui cœpit; unde Eliberitani, Antiocheni, & Toletani Concilii Patres, ut fideles ad pristinum fervorem excitarent, plurimum contenderunt; sed non per hoc a Missæ celebratione abstinendum esse dixerunt. Quomodo ergo Sectarii fateri possunt privata Sacrificia sine frequentia, & Communione veteri Ecclesiæ fuisse ignota?

V. Neque ignotum id esse potuit attenta Sacerdotum, & Altarium multiplicitate, Convenit apud Eruditos, & Rerum Liturgicarum Scriptores Altarium, & Sacerdotum numerum crevisse, postquam Communicantium desiit numerus, nam cum omnes Communicabant singuli Missæ aderant, nec erat

ne-

necesse quod plures, celebrarent. Quo tempore id incoeperit certum non est; hoc constat Magnum Leonem in Epist. ad Dioscorum Alexandrinum praecepisse Sacrificium iterari. Morem, qui tunc Romae vigebat in exemplum adducit S. Pontifex: *ut in omnibus*, inquit, *observantia nostra concordet*; & post pauca: *ut quod nostrae consuetudini ex forma paternae traditionis insedit, tua quoque cura non negligat*. S. Papa Cornelius, ut refert Eusebius Historiae Ecclesiasticae lib. 6. c. 43. Quadraginta quatuor Presbyteros tunc Romae adfuisse scripsit ad Fabium Antiochenum, & profecto non constat singulos specialibus Ecclesiis addictos fuisse; id tamen certum est quod ante Concilium Chalcedonense A. 451. plures Sacerdotio initiabantur sine Ecclesiastico titulo, ut sibi hoc accidisse S. Paulinus scripsit Epistola 6. ad Severum: *Ea conditione* inquiens *in Barcinonensi Ecclesia consecrari adductus sum, ut ipsi Ecclesiae non alligarer, in Sacerdotium tantum Domini, non etiam in locum Ecclesiae dedicatus*; quod sibi etiam contigisse S. Hieronymus scripsit Epist. 61. c. 16. & Macedonio Anacoretae Theodoretus in cap. 13. Histor. Monasticae. Quis autem credat hujusmodi Sacerdotes a Sacra Actione abstinuisse, quamquam ulla certa procuratione animarum carerent, aut deessent fideles, quibus Sacramenta administrarent? Hos saepius celebrasse nemo dubitabit, ut dubitari non potest saepe Sacrificia obtulisse illos Episcopos, qui ex omnibus Provinciis copiosa multitudine convenerant ad dedicationem Ecclesiae Jerosolymorum, hoc enim testatur Eusebius in Vita Constantini lib. 4. c. 45. ut in eodem lib. c. 17. testatus est Constantinum extruxisse Oratorium in Palatio, & motorium Templum, cum in Castra proficiscebatur ne ullibi Missae sacrificio careret. Quotidianam oblationem suo tempore fieri solitam Hieronymus asserit in c. 1. Epistolae ad Titum, idemque testatur Chrysostomus tum loco supra cit. tum in epist. 17. ad Hebraeos. Quotidianae oblationis pro Sanctis meminit Gregorius in lib. 7. Epist. 29. Indict. 1. ad Fulogium Alexandrinum. Missae quotidianae pro Defunctis meminit Concilium Vesionense Secundum A. 529. & Amalarius lib. 4. c. 42. Missam quotidianam, pro Rege & Filiis praescribit Concilium Toletanum XVI. Triginta saltem Missas singulis diebus celebrandas Angelbertus Abbas sua Constitutione decrevit, quae legitur in Tom. 4. Spicilegii lib. 2. c. 21. in quibus Memoria haberetur Hadriani Papae, & Caroli Magni, & in Tomo 1. c. 42. Grodegondus Metensis Episcopus temporibus Pipini Regis meminit eleemosinae datae Sacerdotibus pro Missis privatis. Augustinus lib. 3. contra Cresconium Donatistam cap. 29. refert Sylvanum fuisse convictum quod plures ejusdem Ecclesiae Calices tradiderit. Cur tot Calices, nisi in illa Ecclesia plures fuissent Sacerdotes, qui quotidie Missas celebrarent? Gregorius Magnus lib. 5. Epist. 50. Palladium Santonensem Episcopum in sua Ecclesia scribit tredecim Altaris construixisse, & lib. 2. Dialog. cap. 8. scribit S. Benedictum in Montis Cassini Summitate duo Oratoria aedificasse, & Faustus in vita S. Mauri quatuor in suo Monasterio construxisse ait. Plura Altaria Romae in Basilica Principis Apostolorum erecta Walafridus cap. 4. scripsit. Cur tot Altaria, cur tot Oratoria? In cunctis Oratoriis Missas actas fuisse legimus in cap. 14. lib. 4. Historiae Anglorum, quam Beda descripsit. Altaria semper ad usum Sacrificii extitisse in typum, & testimonium illorum, in quibus Missae Sacrificium ex Christi Domini institutione offerendum erat ostendit Demochares in Tomo 1. c. 15. sui Operis de Missa adversus Missoliturgos. Demonstratum igitur est toti antiquitati innotuisse Missas privatas, sive in illis com-

mu-

municarent aliqui, sive nulli, & propterea neque esse rejiciendas, neque esse damnandas, ut Tridentini Patres decreverunt in cap. 6. Sessionis XXII.

VI. Contra Catholicam veritatem debacchantur Hæretici, & inter hos Lutherus, Calvinus, & Kemnitius. Lutherus in libro de abroganda Missa privata sic argumentatur. Omnes tres Evangelistæ una diligentia; similiter, & Paulus memorant, Panem esse a Christo fractum, & datum Discipulis, tacent vero an ipse comederit, & biberit cum eis. Si ergo Missa, institutum, & Exemplum Christi referre debet, necesse est, ut nulla unquam fiat, nisi Eucharistia frangatur, & multis distribuatur per Sacerdotem. Si autem aliqua aliter perficitur, non est Christiana Missa, nec cum instituto Christi ulla ex parte convenit. Addit paullo post nostram Missam tam privatam, quam publicam exemplum, & institutum Christi non referre, cum aliud, & contrarium in utraque fiat verbis Christi, qui dixit *hoc facite*. Calvinus lib. 4. Instit. c. 18. cum scripsisset privatas Missas cum Christi institutione pugnare ex diametro; easdemque impiam esse sacræ Cœnæ profanationem, demum ait: *impium esse Abusum in Missis privatis*. Kemnitius in Examine Concilii Tridentini superius Lutheri argumentum repetit, mox addit exemplum Apostolorum, quorum Synaxis per fractionem Panis describitur, scilicet per dispensationem, & distributionem. Argumentum amplificat variis auctoritatibus petitis, tum ex cap. 10. 1. ad Cor. *Panis, quem frangimus Communicatio Corporis Christi est. Unum Corpus multi sumus, ex uno Pane participamus*; tum ex cap. 11. ubi ab Apostolo exponitur comparatio inter Cœnam Dominicam, & privatam. Hæc singula confirmat recensendo descriptiones omnes Liturgiarum, quæ apud Patres exstant. Objicit tandem Auctoritatem Chrysostomi in 1. cap. ad Ephes. & Ecclesiasticos Canones decimum Apostolorum, secundum Antiocheni Concilii, & Decretum Anacleti, quod legitur in cap. *peracta* de Consecrat. distinctione 11. Hæc sunt Heterodoxorum argumenta, iis quomodo occurri possit unusquisque intelligit, qui superiora fundamenta perspicue cognoverit. Nihil a Sectariis proponitur, quod jam confutatum non fuerit, cum tota illorum ratio consistat in ludicra Scripturarum intelligentia. Verum Christi mandatum, quod jactant utinam intellexissent, nihil illis contigisset utilius, neque unquam Sacrificium, quod Hostiæ Consecratione, & consumptione per Sacerdotis Communionem perficitur, sustulissent, & nobiscum sensissent Communionem Adstantium ad Sacrificii Substantiam non pertinere, & Christum Dominum numquam illam præcepisse.

VII. Nullus dubito inveniri potest inter Theologos, qui affirmativi Præcepti naturam ignoret, ut pro loco, & tempore, & personarum circumstantiis obliget. Qui igitur Missæ Sacrificio adstant possunt, si voluerint, & fuerint parati Communionem suscipere, sed non tenentur in contrariis circumstantiis. Ex hoc vero, quod solus Sacerdos Sacrificans Communicet, fructus ipsius ad omnia Ecclesiæ membra descendit, præcipue vero ad eos, pro quibus Missam celebrat, & ad circumstantes, qui cum illo offerunt, quia Sacerdos publicus Minister est, & Sacrificium munus est publicum, & nomine totius Ecclesiæ offertur, ut de illius fructu singula Corporis Mystici membra participent. Quia vero semper optavit Ecclesia, ut fideles omnes, qui Sacrificio interessent, Communi-

carent, & quia Christus Dominus non solum Eucharistiam instituit, ut esset Sacrificium, sed ut esset etiam Sacramentum, & animarum cibus; hinc est, quod Sancti Patres, & inter ceteros Chrysostomus, qui in argumento citatur homil. 3. in cap. 1. ad Ephesios inquit: *Frustra esse ac inutile fieri ad posteriorem hunc finem Sacrificium Missæ eorum socordia, qui non communicant, & hanc inferre contumeliam convivatori, a quo fueris vocatus, & propterea satius esse eum, qui talis est, in Missa prorsus non comparere*. Receptum Ecclesiæ usum supra recensuimus ex Concilio Agathensi. Fidelium mores ex D. Augustino audivimus, quare cognovimus totum id ad Disciplinam Ecclesiæ pertinere, quæ regula fidei immobili permanente, mutationi obnoxia est. Primis Ecclesiæ Sæculis certe constat Communicavisse, quotquot aderant Sacrificio, aut certe plures. Id colligitur ex verbis Canonis: *Ut quotquot ex hac Altaris participatione Sacrosanctum Filii tui Corpus, & Sanguinem sumpserimus, omni Benedictione Cælesti, & gratia repleamur*. Constat etiam ex canone 10. Apostolorum, aliisque citatis videlicet 28. Elberitani 11. Antiocheni sub Julio I. Decimo tertio Toletani I. ab Ecclesia fuisse ejectos, qui conveniebant Communicare nolentes, & hanc Disciplinam Micrologum commendasse cap. 51. & morem hunc viguisse Romæ, & in Hispania, usque ad IV. Sæculum, ut Hjeronymus scripsit in sua Epistola 30. ad Pammachium, & vestigium ejusdem apparuisse etiam IX. Sæculo in Germania, aliisque finitimis Ecclesiis, ut scripsimus in Superiori tractatu, sed in Oriente citius hic fervor elanguit, præsertim temporibus Chrysostomi, qui sollicite fideles hortabatur ad frequentandam Communionem, ne ut ajebat frustra, *haberetur oblatio quotidiana, cum nemo esset, qui participaret*. Ceterum Chrysostomum non agnovisse frustraneum quotidianum Sacrificium, etiam si fideles Sacræ oblationis participes non fuissent, constat ex iis, quæ docuit homil. 21. in Acta cum scripsit *vivis, & Defunctis illud prodesse*, quod repetit homil. 1. in Epist. ad Philippenses. Ad simplicium deceptionem addit Kemnitius contra Missas privatas dictum esse id, quod Apostolus ad Cor. scribens Epist. 1. c. 11. ait. *Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam Cœnam manducare, unusquisque enim suam Cœnam præsumit ad manducandum*, eo quod Chrysostomus, in hunc locum doceat, hoc ab Apostolo dictum esse, quia id, quod Dominicum est, privatum Corinthii fecerant, cum Cœna Domini debeat esse communis; nam neque Apostolus, neque Chrysostomus ibi loquebantur, de Eucharistiæ sumptione, sed de Convivio, in quo, tam pauperes omnes, quam divites reficiebantur, vel ante Cœnam Dominicam, vel post, ut alibi etiam notavimus, ad repræsentandam ultimam Cœnam institutam, & ad fovendam mutuam Charitatem. Nolens ergo Apostolus fieri edulium privatum illud, quod oportebat esse commune, & unusquisque suam Cœnam præsumeret ad manducandum ceteris, & maxime pauperibus exclusis, ut laute divites epularentur, & pauperes esurirent Superioribus verbis Corinthiorum ingluviem coërcuit, & reliquis, quæ sequuntur, *numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? Aut Ecclesiam Dei contemnitis, & Confunditis eos, qui non habent*. A contumelia Pauperum, criminationem traduxit ad Ecclesiam, ut graviorem redderet Orationem. Deinde volens etiam aliunde Corinthios majori pudore afficere,

æ, rursus ex eis, quæ sunt præcipua contexit Orationem. *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quod Dominus Jesus in qua nocte tradebatur accepit Panem, & gratias agens fregit, & dixit. Accipite, & manducate. Hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur. Hoc facite in meam commemorationem.* Cur hic meminit Mysteriorum, seu Sacramentorum? Quoniam ad præsens argumentum hæc Oratio erat ei valde necessaria. *Tuus enim*, inquit, *Dominus omnes eadem Mensa est dignatus, licet ea esset valde reverenda, & longe omnium superaret dignitatem. Tu autem eos hac tua parva, & vili indignos existimas, & cum illi in Spiritualibus plusquam tu nihil habeant, tu eos spolias in sensibilibus.* Clarum ergo est nihil ex verbis Pauli, & Chrysostomi inferri posse contra Missas privatas, in quibus solus Sacerdos Sacrificans Christi Domini Corpus sumit, & Sanguinem, propterea illorum sententiam ab Hæreticis detorqueri: quod evidentius adhuc arguitur ex loquendi modo Apostoli Pauli; *& alius quidem esurit, alius autem ebrius est*, cum unumquodque horum accomodari non possit, vel iis, qui Eucharistiam participant, vel ceteris, qui Sacramentaliter non Communicant, cum utrumque per se dignum, sit reprehensione, neque simul possint esse conjuncta sine sceleris, & iniquitatis excusatione; quibus tamen carent Sacerdotes, qui nemine sacramentaliter Communicante celebrant, cum neque ipsi inebrientur, neque alios esurire cogant, cum parati sint Sacra dona iis omnibus dispensare, qui participes esse voluerint, ac digni fuerint, imò, cum revera Sacerdos illis dispenset suum fructum, qui animi consideratione, attentione, pioque affectu Ecclesiam, & Sacerdotem Sacra facientem prosequuntur, quod satis esse, Tridentini PP. loco, & Sessione supra laudata definiverunt, ut illæ quoque Missæ, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter Communicat, vere communes censeri debeant, & quemlibet execrantur in canone 8. qui hujusmodi Missas dixerit esse illicitas, ideoque abrogandas.

VIII. Quorsum ergo Chrysostomus homil. 18. in secundam ad Corinth. scribit non fieri in celebratione Eucharistiæ sicut fiebat in veteri Testamento, ubi solus Sacerdos quædam commedebat? Quorsum Humbertus contra Nicetam imperfectam esse Missam ait, in qua non simul fit Consecratio, fractio, distributio, & Communicatio? Quorsum D. Basilius in Psalmum 115. protestatur: *Non in latebris delitescens sacrificabo, sed publicum exhibebo tibi Sacrificium*? & quorsum demum viri etiam pietate & Religione nobis maxime commendati unam tantum Missam in singulis diebus celebrari præceperunt secundum formam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in illis iisdem locis ubi plures aderant Sacerdotes? Scilicet ut intelligamus, saltem non defuisse præclaris Theologis fundamenta, quæ reponerent contra Missas privatas.

IX. Sed neque fundamentis his quidpiam detrahitur licito earumdem usui. Nam quod Chrysostomus scribit discriminem exhibens inter ritum celebrationis Missæ in Nova Lege, & ritum, quo Sacerdotes immolabant in Veteri, hoc unum probat Aaronicos Sacerdotes, aut solos consuevisse edere Victimas, aut ipsos partem Victimarum majorem, Populum vero minorem partem consumpsisse; e contra vero in Eucharistia Sacerdotes, & Populum totam Victimam edere, scilicet toto Christi Corpore, & San-

guine saginari, sed hoc nihil concludit contra Missas privatas, quarum usum nunquam illicitum probabimus ex Sacrificiis Veteris Testamenti, cum in Levitico cap. 6. & 7. describantur Sacrificia, quæ offerebantur pro peccato, & nihil inde manducabat is, pro quo offerebatur hujusmodi Sacrificium. Possunt itaque etiam in lege Evangelica Sacrificia offerri etiam si nulli intersint, aut communicent, cum Sacrificium Deo offeratur pro Populo, & possit pro Populo offerri, etiam si Populus nec adsit, nec communicet. Reprehendunt Toletani XII. Concilii Patres Canone 5. Sacerdotes illos, qui Sacrificium offerentes non communicabant. *Quale erit*, inquiunt, *illud Sacrificium, cui nec ipse Sacrificans participasse dignoscitur*? ergo si Sacerdos communicet, Sacrificium ejus ratum agnoscunt; neque sunt solliciti, quod communicent alii; quamquam ex illius Canonis verbia satis aperte colligatur, in ejusmodi Sacrificiis, nullum omnino fuisse qui communicaret. Reprehendit etiam Chrysostomus ipse Auditores suos quod peracta Concione recederent, & Sacrificio non interessent, sed nihil de Communione dicit, licet certissimus esset quod plurimi non communicabant, nisi rarissime, & dum illos manere hortatur hanc caussam reddit ut simul orent, ac spectent Christum qui in Mysteriis se ostendit. Ut vero intelligamus, in quo sensu Humbertus contra Nicetam scriberet: *Missam esse imperfectam, in qua non simul fit consecratio, fractio, & Communio*, qui loquendi modus invenitur etiam apud Walafridum libro de rebus Eccles. cap. 22. ubi illam dicit esse *Missam legitimam in qua adsunt Sacerdos, respondens, offerentes, & Communicantes*. Advertendum est ab his Auctoribus Missam accipi, non tantum, prout Sacrificium est, sed ut medium etiam ordinatum ad Populum nutriendum spirituali pabulo, propterea illam perfectam, & legitimam vocant, cum utrumque munus, ad quod ordinatur expletum fuerit, quod postremum munus maxime patet in ipsa Sacramentorum confectione, in qua Sacerdos non pro sola sua oblatione, & communicatione, sed & aliorum rogat, & maxime in Oratione post Communionem, in qua pro solis Communicantibus orare videtur. Nec proprie Communio dici potest nisi plures de eodem Sacrificio participent. Hic fuit sensus verborum Humberti, & Walafridi, in quibus exprimitur primorum fidelium consuetudo, & Sacrificii principalis institutio. Sic enim ab initio institutum fuisse ut publice, ac solemniter fieret Clero, & Populo astante, offerente, ac communicante ipse tenor Missæ, & veteris Ecclesiæ praxis evincunt, cum orationes, & ipsa Canonis verba in plurali numero, tamquam plurium nomine proferuntur. Quod additum est ex S. Basilio per eumdem Sanctum Doctorem explicatur, qui superioribus verbis in argumento relatis ista conjungit: *Audite qui Ecclesiam relinquitis, & in publicis domibus versati miseras facitis Corporis pretiosi scissuras*. Sanctus itaque Doctor in illo loco de Schismaticis loquitur, qui in suis conventiculis Sacrificia offerebant, quos maxime avversabatur, & quorum usum se nolle imitari protestatus est cum scripsit, *non in latebris delitescens sacrificabo*. Mala igitur fide argumentantur ii, qui Basilii auctoritate abutuntur, ut illam in suum sensum trahant. In eodem sensu idem S. Doctor pronunciavit unum esse Altare Ecclesiæ, ut illud distinguat ab Altaribus Hæreticorum, apud quos tot sunt, quot Schismata, ut Hieronymus in caput 3. Amos observavit, non

ut

ut negaret pluralitatem Altarium quæ sua ætate jam in pluribus Oratoriis erecta Sacerdotum comodo inserviebant. Græcorum certe consuetudo fuit (nec alia etiam nunc est) ut unicum Altare in singulis Ecclesiis haberent, quia fas esse non putabant intra Septa ejusdem Templi Sacrum eadem die iterare, ideo Patres, & Græci Historici unius tantum Altaris in una Ecclesia meminerunt. Cæterum, plura tamen ipsi Ecclesiæ proxima, muroque disjuncta construebant Sacella, quæ Parecclesias vocabant, in quibus, ut refert Goar in notis ad Euchologium pag. 16. pro Festis diebus Liturgias privatim agebant. Neque exempla, quæ adducuntur ex variis Sanctorum ordinationibus nos movent, ut credamus privatas Missas viros illos Sanctissimos illicitas agnovisse, quia uni tantum ex pluribus Sacerdotibus, quibus præerant, Missæ quotidianæ celebrationem commiserunt. De S. Francisco hoc præcipue narratur, quod in una ex ejus Epistolis ad Sacerdotes sui ordinis hæc verba leguntur: *Moneo præterea, & exhortor in Domino, ut in locis in quibus morantur Fratres una tantum Missa celebretur in die, secundum formam S. Romanæ Ecclesiæ. Si vero in loco plures fuerint Sacerdotes sit per amorem charitatis alter contentus audita celebratione Sacerdotis alterius.* Etiam Palladius in Vita Abbatis Arsisii in Ecclesia Montis Nitriæ narrat octo fuisse Presbyteros, inter quos qui primus erat, solus offerebat, & quamdiu ipse vivebat, reliqui nec offerebant nec judicabant, nec sermonem habebant. His Exemplis aliisque, si afferri possent, obvia est quorumdam responsio. Singularem unius quantumvis Sancti assertionem, seu opinionem non tanti esse, ut juste possit aliis innumerabilibus, & omni exceptione majoribus anteponi, eorumque vim ac auctoritatem infringere, & superare. Verum non est necesse ad hanc responsionem confugere cum melior haberi possit petita ex circumstantiis personarum, & temporis. Illud itaque primum dico verba illa, *secundum formam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, non esse trahenda ad unicam celebrationem, sed ad ritum celebrationis, ut celebratio correspondeat Officio, cujus recitationem ordinandam secundum Romanum Directorium, in Regula jam præceperat. Dico secundo, quod cum Seraphicus Pater, tam demisse de se sensisset, ut nulla unquam permiserit, accedente etiam justissima caussa, se Sacerdotio initiari, id in suis curavit Fratribus, ut non vi præcepti, sed consilii, quod constat ex ejus verbis: *moneo præterea. & exhortor in Domino &c. sit per amorem charitatis alter contentus &c.* tum humilitatis causa, & ne Sacerdotes ex frequenti celebratione tepidiores fierent, a celebratione abstinerent, unica oblatione contenti, cui omnes interessent. Alii alia respondent, neque desunt, qui volunt, vel esse supposititiam illam epistolam, quæ Seraphico attribuitur, ne quis unquam suspicaretur Sanctum Virum scienter mendacium scripsisse, aut ignorasse usum, quem invaluisse in Romana Ecclesia a temporibus primi Innocentii constat ex ejusdem Sancti Pontificis epistola ad Exuperium Episcopum Toletanum, in qua, inter rationes, propter quas Sacerdotibus servanda dicitur pudicitia, hæc ponitur: *quia non præterit dies, qua a Sacrificiis Divinis vacent*: vel in illa epistola agi de Missa Publica, & Conventuali. Sed neutrum existimo dicendum, non primum propter explicationem superius allatam. Non secundum, quia etiam si Virum Sanctissimum latuisset antiquissima Consuetudo Romanæ Ecclesiæ bis, vel ter offe-

rendi Sacrificium in certis quibusdam Festivitatibus, quas recensent Durandus in suo Rationali lib. 6. c. 5. Menardus in notis ad librum Sacram. pag. 68. Micrologus cap. 58. Fronto in prænotatis ad suum Kalendarium §. 10. ignorare tamen non potuit Honorii III.[i] qui ipso vivente florebat Decretum, quod legimus in cap. *Cum creatura* de Celebr. Miss. quo jubetur non omitti Anniversaria sacra pro Defunctis ob Festum, vel feriam occurrentem, sed utraque sacra eodem die celebrari, & Decretum Innocentii III. in cap. *consuluisti* eodem titulo, quo Pontifex, si caussa necessitatis id suadeat, Sacerdoti concedit plures in die Missam celebrare. Passim in antiquis sacrorum rituum Expositoribus invenimus, quod quoties duæ Missæ cantandæ erant, idem Sacerdos singulas decantabat, neque morem hunc desiisse quando plures etiam uni Ecclesiæ Sacerdotes addicti fuerunt, quia tunc Hebdomadarius eligebatur, & quidquid publice in Ecclesia cantandum erat ille cantabat, in majoribus vero solemnitatibus hoc munere fungebatur major ex Clero. Exemplum hujus moris exhibet Palladii supra descripta narratio. Verum ut unicuique patet, neque ex hoc, neque ex aliis jam expositis, potest unquam inferri id quod obsit Missis privatis, & faveat Missoliturgis.

X. Colligitur ex his nugaces, vaniloquos, & blasphemos esse, qui privatas Missas *occultas*, & *angulares* vocant, hæc enim nomina contemptus Hæreticorum fecit, non ritus Ecclesiæ, ratione cujus Missa vocari solet *Solemnis*, *Publica*, *Privata*, & *Solitaria*. Vocatur *Solemnis* Missa, quando cum cantu, & pompa peragitur, sive ad eam fideles promiscue admittantur, sive interesse prohibeantur, ut illis interesse prohibuerunt Magnus Gregorius, Lateranense Concilium sub Calixto II. in cap. 17. & Innocentius III. Libr. 2. Regesti 14. epist. 18. Missa Publica dicitur non a loco, quia olim in cryptis, abditisque ac remotissimis locis agebatur, sed a conventu Populi, celebratur enim sine cantu, & apparatu, sed in Ecclesia quæ pateat omnibus, & coram fidelium multitudine. Reliquæ Missæ omnes, quæ sine Diacono, & Subdiacono, Cantoribus, & uno tantum ministrante peraguntur, *Privatæ* audiuntur, sive postea aliqui fideles illis intersint, sive nullus adsit, sive solus celebrans communicet, sive sint aliqui communicantes. Quotidianæ etiam hujusmodi Missæ appellari solent, & ad hoc respexit Gregorius cum lib. 4. Dialog. cap. 56. scripsit: *Cassius Narniensis Episcopus quotidianum offerre consueverat Deo Sacrificium, seque in lacbrymis inter ipsa Sacrificiorum arcana mactabat*. Demum *Solitariæ* Missæ vocantur illæ, quæ a solo Sacerdote, nemine præsente, & respondente fieri aliquando in Monasteriis consueverunt, ex indulgentia, ut loquitur Eduensis lib. de Sacram. Altaris c. 13., sive ex privilegio, quod privilegium si desit *nullus Presbyterorum solus Missam celebrare præsumet*: ita enim decrevit Narniense Concilium apud Ivonem p. 3. cap. 70. & Synodus Parisiensis sub Gregor. IV. lib. 1. c. 48. & Theodulphus Aurelianensis Episcopus in suo Capitulari ad Clerum c. 7. & confirmari potest ex cap. *proposuit* de filiis Presbyterorum, & ex Decreto quod legitur in Sess. XXI. Concilii Basileensis.

XI. Colligitur 2. in Missis privatis non requiri pluralitatem Ministrantium, etiam ex Ecclesiastico jure, & propterea plus justo fuisse scrupulosiores illos, qui a Sacrificii oblatione abstinebant, nisi præter Ministrum

alter

alter saltem adesset, quod enim objicitur ex Constitutionibus Soteris Papæ, *ut nullus Presbyterorum Missarum Solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus, ipse tertius habeatur*, & ex prima Epistola Anacleti: *Sacerdotes quando Domino sacrificant, non soli hoc agere debent, sed testes secum adhibeant, ut Domino perfecte in Sacratis Deo sacrificare locis probentur*, neutri illorum convenire severiores Critici, & æqui Sacrorum Canonum Collectores censuerunt, eo quod Solitariæ Missæ celebratio aliena esset a praxi, & spiritu illius sæculi, in quo laudati Pontifices floruerant, nec illis temporibus ullus circa hoc abusus irrepserat, cui Pontificiis Constitutionibus occurrendum esset. Addunt alii Aniceti, & Soteris Epistolas suppositititias esse, & fuisse compilatas ex Epistolis, Operibus, & Decretis posteriorum Pontificum, Patrum, & Conciliorum; nec quidquam probare, quod genuinas agnoverint nonnulla Concilia, nonnulli Canonum Collectores, aliique Auctores licet doctissimi, & gravissimi, quia id verum est, si agatur de Conciliis, Collectoribus Canonum, & Auctorum illorum, qui nono sæculo antiquiores non sunt, & Epistolas illas ad severioris criticæ regulas non expenderunt, non vero de ceteris. Cum vero controversia hæc alterius sit loci, dicimus quod etiam si li suis legitimis Auctoribus petantur textus laudati, tamen præceptum, quod ab illis insinuatur potest explicari, ut illud explicat Innocentius III. lib. 2. de Misteriis Missæ c. 25. ubi referens hoc præceptum, addit hæc verba: *Verum aliud est necessitatis articulus, aliud Religionis contemptus*, quibus significat præceptum illud obligare, quando commode impleri potest, tamen ob necessitatem prætermitti posse, puta quia non sunt plures, qui velint Missæ assistere, aut ministrare, alioquin frequenter cogerentur Sacerdotes Sacrificium omittere. Cæterum congruentiam potius inferri oportere, ex laudato Canone Soteris, quam necessitatem argumentatur Olo Cameracensis ex ratione, quam in suo Decreto exponit Sanctus Pontifex: *quia cum pluraliter ab eo dicitur Dominus vobiscum, & illud in secretis orate pro me, aptissime convenit ut ipsius respondeatur salutationi*: unde de Sacerdotibus privatim ministrantibus ita scribit: *Cum non habeant quam pluraliter collectam salutem, nec plurales mutare possint salutationes, convertant se ad Ecclesiam dicentes se Ecclesiam in Ecclesia salutare, & in corpore totum corpus alloqui, & virtute totius communionis in Ecclesia confici Sancta Mysteria per gratiam Dei. Neque esse quemquam alicubi fidelium, qui vivificorum non fiat particeps Sacramentorum, dum in Corpore Ecclesiæ adheret capiti, velut utile membrum*. Consentit Eduensis loco supra citato, & Titelmannus, qui eodem modo exponit illa verba: *Vel qui tibi offerunt*, & illa *quotquot ex hac Altaris participatione sumpserimus*, & D. Thomas hic q. 83. a. 5. ad 12. ubi ait: *in Missis privatis sufficit unum habere Ministrum, qui gerit personam totius Populi catholici, ex cujus persona Sacerdoti pluraliter respondet*.

§. II. *Sacrificium Missæ Propitiatorium est pro pœnis, & quibuscumque culpis, & est Impetratorium beneficiorum spiritualium, & temporalium, ideoque offerri potest pro Peccatis, pro Pœnis, & pro quibuscumque aliis necessitatibus*.

XII.

XII. Expedita prima Controversiæ parte ad alteram progredimur, ut videamus quale Sacrificium Missa sit. Agentes de hac re Tridentini Patres in cap. 1. sess. xxii. In Missa Hostiam offerri dicunt, quæ per varias Sacrificiorum Naturæ, & Legis tempore similitudines figurabatur, utpote quæ bona omnia per illa significata, velut illorum omnium consumatio, & perfectio, complectitur. Illud autem Sacrificia veteris Legis operabantur, quod postea ad hominum intelligentiam his nominibus explicatum est: *Holocaustum, Hostia pro peccato. Hostia pacifica*. Cum prima Sacrificii ratio sit ad tribuendum Deo honorem illi proportionatum, quantum homo potest, primum omnium fuit in veteri Lege Sacrificium illud, quod honorarium *vel holocaustum* appellatum est. Ad propitiationem irati Numinis, & peccatorum remissionem consequendam offerebatur *Hostia pro peccato*; Quod si Deo agendæ erant gratiæ pro beneficiis acceptis, vel beneficia impetranda erant, utrumque explebat *Hostia Pacifica*. Est igitur Sacrificium Missæ Holocaustum, ad quem finem aptissima sunt omnia quæ in hoc Sacrificio concurrunt, præsertim principale offerens, res oblata, & modus offerendi, & ex illius perfectione satis constat hunc esse primarium finem hujus Sacrificii, quod, & verbis, & factis, quantum potest Ecclesia declarat in modo illud offerendi. Est etiam hoc Sacrificium Propitiatorium, nam ex Apostoli testimonio ad Gal. 5. Sacerdotium ad hoc ordinatur: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis*, oportet ergo ut aliquod Sacrificium propitiatorium illi respondeat, quod pro peccatis offeratur quod non est nisi in Eucharistiæ mysterio. Denique quia in eo Christi Passio repræsentatur, ideo aptissimum est ad impetrandum omnia bona, quæ Passione sua Christus nobis promeruit, & cum *propter tantum beneficium in ipsomet Sacrificio nobis collatum*, ut Chrysost. hom. 24. in 1. ad Cor. scribit, *specialiter laudandus sit Deus; unde Deo majores gratiæ erunt agendæ, quam per Christum Dominum nostrum? Id faciunt fideles Ecclesiæ Sacrificio*, ut exponens illud Psal. 49. *Sacrificium laudis honorabit me*, inquit Augustinus in lib. 1. contra Advers. Legis, & Proph. c. 18. Si Ethrodoxi nobiscum convenirent nulla hic modo esset concertatio, at cum negent Missam esse Sacrificium Propitiatorium, & Impetratorium; ideo ipsos urget nostra Propositio.

XIII. Prima pars patet ex comparatione, quæ fit inter Sacrificia veteris Legis, cum hoc Sacrificio; quapropter si Levitici 4. legitur *offerat Sacrificium, & orabit Sacerdos pro peccatis ejus, & dimittetur ei*, ergo etiam novæ Legis Sacrificium, quod continet Hostiam Deo gratiorem, quam illa continent, peccatorum veniam consequetur, idque Christus Dominus jam suis Apostolis est pollicitus cum ait: *Hic est Sanguis meus, qui pro vobis funditur in remissionem peccatorum*, & eruitur ex fundamentis ipsorum Hæreticorum, qui contendunt Eucharistiam institutam esse, ut peccata remittat; cum igitur ut Sacramentum est id præstari non possit, quemadmodum suo loco probavimus, sequitur ut hunc effectum operetur, quatenus est Sacrificium. Hinc in Liturgia Jacobi legimus *Offerimus tibi incruentum Sacrificium pro peccatis nostris, & ignorantiis populi*: In Liturgia Basilii: *dignos* legitur *efficis nos, ut puro corde stemus coram te, tibique ministremus, & offeramus Sacrificium hoc reverendum ad abolenda delicta nostra, & pro piaculo populi tui*, quibus consonant Chrysostomus tum in sua Liturgia, tum aliis in locis, Justinus in dialogo cum Triphone, Origenes homil. 13. in Levit. Athanasius in Sermone de Defun-

functis, Cyrillus Catechesi Mystagog. & Damascenus, tum in lib. 4. cap. 14. tum in Sermone pro Defunctis ubi *incruenta Hostia*, inquit, *oblatio, propitiatio est*. Ex Latinis Patribus nullus in hoc argumento dissentit, & ex Antiquis Conciliis Bracarense III. A. 675. hæc canone 1. pronunciavit. *Cum omne crimen, atque peccatum oblatis Deo Sacrificiis deleatur, quid de cetero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipsa Sacrificii oblatione erratur?* Adduntur huic Concilio Carthaginense III. cap. 29. IV. cap. 79. Bracarense I. cap. 34. & 39. Cabilonense in can. *visum est* Wormatiense cap. 16. Concilium VI. sub Symmacho, & Capitulum 69. Capitulorum ex Græcis Synodis collectorum a Martino Bracarensi Episcopo, in quibus omnibus Conciliis, quod jam in usu erat ab Apostolica traditione, ut docet Rabanus lib. 2. de Institutione Cleric. cap. 44. & ante eum Isidorus lib. 1. de Officiis Divinis cap. 18. est confirmatum *Sacrificium pro Defunctis in Purgatorio existentibus rite offerri non temere*, sciebant enim illorum Conciliorum Patres id, quod in sua homil. 69. ad Populum Antiochenum Chrysostomus aliquando asseruit *Defunctis inde multum contingere lucrum, & multam utilitatem*. Hujus ritus meminerunt etiam Eusebius Cæsariensis centum annis Carthaginensi Concilio antiquior in lib. 4. de vita Constantini, Tertullianus in lib. de Corona militis cap. 3. Clemens lib. 8. Constit. cap. 19. Dionysius in Ecclesiastica Hierarc. ubi ritum pro Defunctis offerendi magnifice, ut solet, describit, & Epiphanius, qui hæresi 75 inter errores Ærii hunc enumerat, quod negaret Sacrificium offerendum esse pro Defunctis, ut sileamus antiquissimi hujus moris vestigium, quod libri Machabæorum auctoritas nobis commendat in Sacrificio, quod Judas Machabæus jussit offerri *bene, & piè de Religione cogitans, cum sancta, & salubris sit cogitatio pro Defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*, & neque Christum Dominum, neque Apostolos, neque ulla Concilia, Doctoresque nullos, nisi Ecclesiæ hostes morem hunc reprehendunt, quem ipsi quoque Ethnici non reprobarunt, ut docet Scævola lib. 34. Digestorum tit. 1. *de Alim. vel Cib. Legat.* 18. §. ultimo.

XIV. Secundam Responsionis partem probant ea, quæ scribit Apostolus Epist. 1. ad Tim. c. 2. præcipiens faciendas in Ecclesia obsecrationes, Orationes, Postulationes, & Gratiarum actiones pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, & tamen Reges tunc Deum non colebant, ut Chrysostom. homil. 6. in hunc locum observavit, sed in infidelitate multis postea temporibus perstiterunt. Præceptum Apostoli post Apostolica tempora custoditum fuisse in Ecclesia accepimus ex Tertulliano, qui in libro ad Scapulam *Sacrificamus*, inquit, *pro salute Imperatoris*, & ex Cyrillo Jerosolym. qui l. c. *super ipsa propitiationis Hostia*, inquit, *obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis, & afflictis, & denique pro omnibus qui egent auxilio*. Necesse igitur est, quod a primis usque Ecclesiæ sæculis Ecclesiarum Pastores omnes sentirent Eucharistiam offerri posse, etiam pro impetrandis ejusmodi beneficiis, & id cohæret tum cum variis formulis ad hoc institutis, quæ in Liturgiis Jacobi, Clementis, Basilii, Chrysostomi leguntur, tum ex ritu usitato jam in Ecclesia pro speciali aliqua caussa, aut necessitate, seu publica, seu privata interdum celebrandi Missas, quæ Votivæ dicebantur, quarum meminit Augustinus lib. 22. de Civitate Dei cap. 8. Prosper libro de Prædic. dimidii temporis c. 9. Amalar. lib. 1. cap. 8. Ordo Romanus, & Cornelius Schultingius, qui Tom.

3. Bi-

3, Biblict. Ecclesiasticæ Exempla centum & quindecim harum Missarum ex variis Missalibus collegit. Hoc etiam spectant singulæ illæ Missæ, quæ in honorem Sanctorum agi consueverunt ab ipsis temporibus Cypriani, ut ipse scribit Epistola 37. ad Clerum suum præcipiens diligenter adnotari dies, quibus Martyres excedunt, ut celebrentur oblationes, & Sacrificia ob commemorationes eorum, in quibus Missis non solum supplicatur Deus pro accipiendis beneficiis, sed ulterius gratias agimus pro acceptis, scilicet pro victoria, & triumphis Sanctorum, quorum nomina cum honore, & exultatione semel aut iterum recitamus, & *nos*, ut ait Augustinus lib. 8. de Civit. c. 27. *ad imitationem talium coronarum, atque palmarum, eisdem invocatis in auxilium, & eorum memoriæ renovatione adhortamur*.

XV. Difficultas esse potest quomodo Missæ Sacrificium ejusmodi effectus operetur; quare Notandum est 1. Sacrificium Missæ offerri a Christo, ab Ecclesia, a Ministro. Christus offert ut primarius Sacerdos, Ecclesia ut Populus, Homo Sacerdos ut proprius minister Christi, & ut Mediator quidam pro Populo ad Deum. Notandum 2. quod Sacrificium Missæ, ut a Christo offertur vim habet ex opere operantis, ut offertur ab homine vim habet ex opere operato. Ut offertur a Christo infallibilis est ejus efficacia ex intrinseca, & essentiali Christi bonitate, ut offertur ab homine habet aliquam vim si bonus, & devotus Minister sacrificet. Notandum 3. Certitudinem alicujus effectus a duplici principio pendere posse, vel quia opus, ex quo effectus prodire debet per se institutum est ad hunc effectum producendum, vel quia de se efficax est ad movendum Deum, ut hunc effectum producat. Sacramentorum omnium effectus per primum principium explicantur, & propterea nisi obex ponatur non impediuntur, sive Minister sit infidelis, sive sit impius. Secundum vero contingit erga illud, quod pollutæ manus Deo offerunt, & id quod malus Minister petit offertur, vel petitur alterius nomine, cui Deus aliquid negare non possit. His prænotatis,

XVI. Dicimus Sacrificium Missæ habere vim ex Opere operato non ad modum Sacramentorum, sed per modum impetrationis, in quantum scilicet ex vi suæ institutionis habet singularem vim, & efficaciam ad applicandum aliquem fructum Redemptionis Christi ultra omne meritum operantis Ministri.

Probatur hæc responsio ex verbis Concilii Tridentini Sess. XXII. cap. 1. ubi Patres dicunt. *Christum instituisse hoc Sacrificium, ut illius (idest Sacrificii Crucis) salutaris virtus in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur peccatorum, applicaretur*. Ergo hæc applicatio non dependet a merito operantis, sed fit ex vi suæ institutionis, ergo Sacrificium Missæ suam vim habet ex Opere operato. Sed clarius dixerunt Tridenti Patres in cap. 2. ubi cum statuissent, quod hac oblatione placatus Dominus, gratiam, ac donum Pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata, etiam ingentia dimittit, hanc rationem addiderunt: *Una enim, eademque est Hostia, idem nunc offerens Sacerdotum Ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa*. Igitur si eadem est Hostia, si idem Offerens, nihil interest, quod Minister sit bonus, vel quod Minister sit malus; quare principalis hujus Sacrificii effectus pendere non debet ex qualitate immediati Ministri, cujus nihil aliud est, quam Ministerium. Virtus omnis penes eamdem illam est, quæ

cum

cum propter nostram salutem in Cruce pependisset, nunc ad dexteram Dei collocata pro nobis interpellare nunquam intermittit, unde Augustinus Tractatu 5. in Joan. ait: *Qui fuerit superbus Minister cum Diabolo computatur, sed non contaminatur donum Christi*, & Innocentius lib. 3. Myster. Missæ c. 3. *Non ergo Sacerdotis iniquitas effectum impedit Sacramenti, sicut nec infirmitas Medici virtutem medicinæ corrumpit*. Quamvis igitur opus operans aliquando sit immundus, semper tamen opus operatum est mundum.

Ex nuper citatis Concilii verbis probata remanet altera pars responsionis Sacrificium Missæ non habere vim ex opere operato ad modum Sacramentorum, quia non est proprie instrumentum Dei ad justificandum, ut est Baptismus, & Pœnitentia, sed solum donum Pœnitentiæ impetrat, quo impetrato, si vult homo, potest ad meliorem frugem redire, & ex maximo peccatore Sanctus fieri, inutilis itaque est Calviniana illa queremonia, *quod prædones, & ad omne flagitium prostituti homines uno Missæ Sacrificio, tamquam soluto pretio absque vita emendatione, & Pœnitentia Deo satisfaciant*, hoc docuit in Ecclesia nemo, & nemo docet, cum affirment omnes: Nisi quis per fidem, animique devotionem fructum illius in se transferre conetur exitio potius illi futurum Sacrificium, quam utilitatis aliquid allaturum, & ita sentit etiam D. Thomas in 4. Senten. dinstin. xii. q. 2. a. 2. quæstiuncula 2. ad 4. ubi *Eucharistia*, inquit, *in quantum est Sacrificium habet effectum, etiam in aliis pro quibus offertur. In quibus non præexigit vitam spiritualem in actu, sed in potentia tantum, & ideo si eos dispositos inveniat, eis gratiam obtinet virtute illius veri. Sacrificii, a quo omnis gratia in nos influxit, & per consequens peccata mortalia in eis delet, non sicut caussa proxima, sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat*.

XVII. Aliam etiam rationem attigerunt Patres Tridentini cum asseruerunt quod Hostia una, & eadem est quæ nunc offertur Sacerdotum ministerio, & quæ oblata est in Sacrificio Crucis; quapropter cum Sacrificium illud solum justificaverit impetrando justificationis gratiam, quam Christus moriendo omnibus promeruit, non vero re ipsa justificando, idem Sacrificium Missæ præstabit, per quod, quia Christus Dominus iterum se ipsum Patri offert, per oblationem Sanguinis sui Divinam iram placat, gratiam peccatori implorat, ut a culpa, & a malitia recedat, & Sacrificii in ara Crucis oblati fructum non contradicentibus applicat, quod ipsa Ecclesiæ praxi probatur, quæ Missas celebrat pro iis, quos obduratos esse in peccatis certo scit, & pro impœnitentibus, si forte Deus exaudiat, ut a via sua mala resipiscant, & ambulent in viis ejus, quod est tertium illorum, quod in responsione statuimus; scilicet Sacrificium Missæ habere vim per modum impetrationis, & hoc ita proprium est illius, ut propterea a Sacrificio Crucis distinguatur, quod vere fuit Meritorium, Satisfactorium, & Impetratorium, quia cum Christus tunc esset in statu Viatoris, mereri potuit, satisfacere potuit, & impetrare, nunc vero amplius mereri, & satisfacere non potest, sed solum impetrare: unde legitur, quod si peccaverimus Advocatum habemus apud Patrem, quemadmodum scriptum est, quod hic est, in cujus nomine, si quid petierimus Patrem, dabit nobis, vera propitiatio pro peccatis nostris, verus Sacerdos in æternum, solus sanctus, & immaculatus Pontifex, qui & exauditus est, & exauditur semper pro sua reverentia, cujus Corporis, & Sanguinis Sacramen-

 tum,

tum, cum præsens adsit in Altari, in hujus Sacramenti præsentia *non supervacue*, sicut ab Auctore octavi Sermonis de Cœna Domini inter Opera S. Cypriani dictum est, *mendicant lachrymæ veniam, nec unquam patitur contriti cordis holocaustum repulsam*.

XVIII. Catholicam hanc Doctrinam Heterodoxi traducunt asserentes Missam a nobis dici esse propitiatorium Sacrificium quasi mereatur remissionem culpæ, & pœnæ celebranti, & aliis ex opere operato, *sine bono motu utentis*. Peterem ab Augustanæ, & Saxonicæ Confessionis Auctoribus apud quem Theologorum errorem hunc perniciosissimum legerint, nisi mihi occurrerent ea, quæ Lutherus scripsit in libro de Missa privata, & unctione Sacerdotum; Doctrinam adversus Missæ Sacrificium se accepisse a Diabolo, quo suggerente sua in Dogma Catholicum argumenta fabricatus est, quibus Synagogam suam superextruxit. Nullus Theologorum suæ sententiæ unquam hæc verba addidit, *sine bono motu utentis*, sed contraria docuerunt omnes iis, quæ sibi effinxerunt Hæretici. Verum Theologorum sensum dilucide exposuit Hosius Cardinalis in cap. 59. Confessionis Fidei, quam edidit nomine Synodi Petricoviensis, & idem eruitur ex nostris responsionibus. Satis itaque esse putamus animadvertere Theologos non dicere Missam Propitiatorium Sacrificium, quasi mereatur remissionem culpæ, & pœnæ celebranti &c. ut per Sectarios explicatur, sed ut explicat Concilium Tridentinum loco supra citato: *quod per ipsum fiat, ut si cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reverentia contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno*. Animadvertimus etiam Theologos illa responsione usos esse cum foret disceptatio, num & mali Sacerdotis Missa valeret? Ad quam rem apertius intelligendam distinxerunt Opus operans, & Opus operatum. Actionem Sacerdotis, vel Sacerdotem ipsum Sacris operantem, Opus operans appellarunt; Opus autem operatum rem immolatam: quare Missam valere ex Opere operato nihil aliud est, quam non esse personam Sacerdotis, aut ejus Actionem attendendam, verum ipsam, quæ præsens est in Altari, rem immolatam, quod dicitur ut hac ratione fiducia ab homine transferatur, & in sola Christi Passione collocetur: Sive postea Sacerdos consideretur tamquam Christi Capitis, sive tamquam Christi Corporis Minister, utroque modo valet Missa, nec refert, quod sit vitæ merito Sacerdos (licet aliunde certum sit, quod *multum valet deprecatio Justi*) nam in prima hypothesi Christus est summus ille Sacerdos, qui semetipsum offert. Quod vero spectat posterius Ministerium, si nulla sint ipsius Ministri merita, non desunt tamen ejus, cujus est Minister Ecclesiæ merita, ut propterea non possit ejus oratio non esse fructuosa iis pro quibus orat, quamvis ipsi sacrificanti sit perniciosa. *Si primis temporibus*, inquit Augustinus lib. 2. contra Petilianum, *non obfuerunt mali Sacerdotes, vel Collegis bonis, sicut fuit Zacharias, vel Popularibus, sicut fuit Nathanael, in quo dolus non erat, quanto magis nihil obest in unitate Christiana Episcopus malus, vel Coepiscopis, vel Laicis bonis, cum jam ille Sacerdos, in æternum secundum ordinem Melchisedech, & Pontifex noster sedens ad dexteram Patris interpellat pro nobis. Nec illud bonis obest, sed offerentibus malis, quod verissime dictum est: Dona iniquorum non probat Altissimus*. Ex hoc itaque quod coguntur Hæretici verum sensum co-

cognoscere in Propositione Theologorum, fateri etiam coguntur Missæ Sacrificio convenire, quod sit Propitiatorium, quod non sit vacuum Sacrificium, quod prosit vivis, & mortuis, cum hæc singula in suo Tractatu de Sacramento Corporis, & Sanguinis scripserit Joannes Huss & defenderit inquiens: *Presbyter dum elevat, offert in Sacramento Venerabili Deo Patri Corpus Christi, quod ipse Christus obtulit in ara Crucis, non in vacuum, sed in redemptionem multorum. Nam hoc significans dixit: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur.*

XIX. Sed alia hic nascitur difficultas utrum virtus Sacrificii sit infinita? Et facilis est responsio. Hujus Sacrificii valor, ut a summo Sacerdote Christo offertur infinitus est, est enim Sacrificium hoc idem numero cum Sacrificio Crucis ex parte rei oblatæ, & principalis offerentis, ut supra dicebamus cum Concilio Tridentino, quamvis in ritu, & modo offerendi differat. Quis autem ignorat Sacrificium Crucis fuisse valoris infiniti ad promerenda nobis Divina beneficia, sic Sacrificium Missæ infiniti valoris esse debet ad ea nobis impetranda, seu applicanda. Nec obstat quod illud offeratur Sacerdotum ministerio, quia *non hanc oblationem sanctificant homines*, ut Chrysost. hom. 2. in epist. 2. ad Tim. scripsit, *sed Christus qui illam antea sacraverat*. Si vero alter a Christo sit offerens, quia nimirum Eucharisticum Sacrificium offeratur in persona Ecclesiæ, cum in valore ad impetrandum, tum in effectu finitum est, quia sanctitas Ecclesiæ finita est, consequenter valor hic potest crescere, & minui quo in Ecclesia fuerint sanctiores, quod multo magis dicendum est si valor, & fructus hujus Sacrificii considerari debeat respectu Sacerdotis, vel cujuscumque alterius privati offerentis, hi enim neque in ratione meriti, neque in ratione satisfactionis, neque in ratione impetrationis, mereri, satisfacere, & impetrare ultra suas vires possunt, sed secundum quantitatem suæ dispositionis; quod docuisse videtur D. Thomas quest. 79. a. 5. dicens: *in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis. Quamvis ergo hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen fit satisfactionis illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundum quantitatem suæ devotionis, & non pro tota pœna.*

XX. Quamvis vero Christus per unam oblationem Sacrificii incruenti, sive per se, sive per Ministrum oblati possit omnia nobis impetrare tamen ex mera ejus voluntate, Missæ virtus finita est, quia certam mensuram fructus ejus applicat, per quam peccatoribus remissio, cæterisque beneficia illa acquiruntur, quibus indigent, quod caussæ esse soler cur Sacrificia iterentur, ut sic sæpe recolentes homines memoriam Passionis ejus; & eorum in Deum charitas jugiter augeatur, & Divinæ providentiæ statutus ordo constantissime perseveret. Hanc porro mensuram, ex triplici capite definimus, ex absoluto Dei beneplacito, ex intentione Ministri, & ex devotione Personæ, pro qua specialiter Missa offertur, ita ut impiissimus homo, nihil de sua salute sollicitus, si pro illo Missa celebretur, tantum ex hac emolumenti sit percepturus, quantum Deus voluerit. Illud tamen solet contingere, ut nihil accipiat, quod Deus fructum hunc applicet aliis, qui, ut inquit D. Thomas hic q. 79. a. 7. ad 2. *conjunguntur huic Sacramento per fidem, & charitatem*. Quantum vero isti percipiant, ex speciali Sacerdotis intentione, licet ut causa inadæquata,

desumitur: consideratur enim in hoc veluti specialis oratio, quæ magis prodest quam generalis. Hinc apud Lucam Christus Dominus dixit Petro, quod *pro illo rogaverat, ut illius fides non deficeret*, & in Actibus Apost. c. 12. legitur quod pro eodem Petro Carceri mancipato *fiebant ab Ecclesia sine intermissione orationes*, & has speciales orationes præscripsit pro se Apostolus scribens Ephesiis, postquam dixerat, quod rogarent pro omnibus, & cum docuisset Wicleffus *speciales orationes adplicatas uni personæ per Prælatos vel Religiosos non plus prodesse eisdem quam generales, ceteris paribus*, Concilium Constantiense hanc propositionem proscripsit. Quod si Sacerdos vellet suum Sacrificium pluribus applicari, prodesset omnibus æqualiter, ac si pro uno tantum fuisset oblatum, cum infinitus valor hujus Sacrificii nunquam exhauriri possit. Ex hoc tamen inferri non potest, quod Sacerdos pro una Missa possit plura stipendia percipere, quia stipendium non datur tamquam pretium fructus Sacrificii, sed tamquam eleemosina ad vitam sustentandam, si agatur præsertim de paupere Sacerdote, vel tamquam pretium ministerii, quod exhibetur, cui illa compensatio solum debetur, quæ a Lege, vel Consuetudine definita est. Qua de re plura super his, recentioribus etiam temporibus Ecclesia sancivit, & 1. ne plura stipendia pro una Missa recipiantur 2. ne sibi aliquid reservet Sacerdos de pingui stipendio accepto, si ab alio Sacerdote Missa illa celebretur, pro qua pingue stipendium accepit 3. neque accipiat stipendium pro Missa celebrata pro illo, qui forte in futurum daturus esset hoc stipendium; & 4. demum ne accipiantur hæc stipendia pro applicatione fructus Sacrificii ipsi celebranti debiti, cui ipse renuntiat, & alteri cedit. Quia vero diximus quantitatem fructus Sacrificii desumi etiam ex devotione personæ pro qua specialiter offertur, id pronunciavimus cum auctoritate D. Thomæ, qui q. 79. a. 5. sic loquitur: *In quantum vero Eucharistia est Sacrificium, habet vim satisfactivam, sed in satisfactione* (quæ fit per modum impetrationis) *magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis, unde & Dominus dicit Lucæ 21. de Vidua, quæ obtulit duo æra, quod plus omnibus misit*, ex hoc tamen inferri non debet quod Sacrificium non prosit, nisi dispositis, quia semper utiliter offertur ad obtinendam primam conversionis gratiam, ex dispositis vero illi plus percipient qui melius erunt dispositi, quales censentur, qui eleemosinas conferunt, & curant ut per se specialiter offeratur, quare his Sacrificium Missæ prodest ad Gratiæ sanctificantis augmentum, quatenus per illud conceduntur gratiæ actuales, per quas justi eliciunt bona opera de condigno, hoc augmentum merentur, & consequuntur etiam bona temporalia in hypothesi, quod ad illorum salutem conferre possint.

XXI. Ex his infertur quod licet Sacerdos possit, pro quibus ipse vult Sacrificium offerre, tamen semper illud offerre tenetur pro universis fidelibus baptizatis, & non sine peccato aliquem excluderet a sua oblatione, nisi tamen esset excomunicatus declaratus, quem Ecclesia a suis orationibus & suffragiis excludit, neque vult, quod ad Altare nominetur cap. *A nobis* de sententia Excommunicationis. Neque Sacerdoti licet pro Damnatis Sacrificium offerre, impium est enim asserere illis Christianorum Sacrificium prodesse, ut scribit Augustinus lib. 3. de Anima, & illius origine cap. 12. *Noli credere, nec dicere, nec docere Sacrificium Christianorum pro iis, qui*

non

non baptizati de corpore exierint offerendum, si vis esse catholicus. Contra Origenistas jam innixa Scripturæ auctoritatibus, & traditioni definivit Ecclesia perpetua esse ex Dei immutabili decreto damnatorum supplicia, & fabula est id, quod auctoritate Scriptoris Apochryphi memoratur de liberatione Trajani, & Falconillæ meritis Sancti Gregorii, & orationibus S. Theclæ. S. Joannes Damascenus, cujus Auctoritas citatur ad faciendam fidem his narratiunculis, clarissime docet lib. 2. de fide c. 4. *mortem id esse hominibus, quod fuit Angelis casus*.

CAPUT III.

DE NECESSITATE SACRIFICII MISSÆ, ET QUID CIRCA HOC OBSERVARE CONTINGAT.

I. Necessitatem hic non accipimus pro necessitate Sacrificii exterioris in hominum societate, vel pro imperfectione Sacrificiorum Legis tum Naturæ, tum Scriptæ per Religionem Christianam expungenda in Sacrificio Missæ, neque ut hoc medio grata fiat commemoratio Passionis, & aliorum Dei beneficiorum. Hactenus actum est de singulis his aliisque caussis finalibus Sacrificii Missæ. Hic necessitatem accipimus per respectum ad Sacerdotes, vel per respectum ad Fideles, & propterea quærimus utrum teneantur Sacerdotes aliquando Missam dicere, seu Sacrificium offerre, & utrum Fideles teneantur huic Sacrificio interesse.

In superiori Tractatu demonstravimus solos Sacerdotes legitime ordinatos posse Eucharistiam consecrare, & propterea solos Sacrificium offerre. *Hoc* utique Sacramentum inquit Lateranense Concilium sub Innocentio III. *nemo potest conficere, nisi Sacerdos fuerit rite ordinatus secundum claves Ecclesiæ, quas concessit Apostolis, eorumque successoribus Jesus Christus*. Dixi *solos* Sacerdotes Sacrificium offerre, ut excluderem Diaconos, quos jam ante Lateranense Concilium ab hoc munere excluserat Concilium Arelatense I. & primum Nicænum, non vero, ut negarem plures Presbyteros posse simul Eucharistiam consecrare, quæ consuetudo non solum viguit, & viget apud Græcos in iis Urbibus, ubi dumtaxat unum est Templum, & apud Latinos octavo sæculo, ut moris hujus documentum exhibet Ordo Romanus antiquus sub hoc titulo: *Ordo Processionis ad Ecclesiam, sive Missam*, sed adhuc superest apud Latinos in Ordinationibus Episcoporum, & Presbyterorum, in quibus cum aliquis, vel in Episcopum, vel in Presbyterum inauguratur, uterque simul cum Episcopo Consecratore celebrat, & integram Consecrationis formam profert, ac tandem ille de Corpore, & Sanguine Christi participat, hic vero sub Panis specie communionem ab ipso recipit, & in his casibus multorum illorum Sacerdotum Actio, quæ physice multiplex est, unica tamen moraliter ex Ecclesiæ intentione efficitur, ut tunc consecrata esse oblata dicuntur, cum tota & integra illa Actio peracta est. His præsuppositis sit.

§. I.

§. I. Quilibet Sacerdos tenetur rigoroso praecepto, & sub peccato mortali ad Sacrificandum, nisi legitimo aliquo impedimento excusetur.

II. Pluribus rationibus probari solet hæc responsio: potissima vero videtur illa, quam in sua ad Hebræos Epistola cap. 5. reddit Apostolus cum scribit: *omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis*, in qua Apostoli sententia observandum est, verbum *debet* præceptum designare quod certe non adhibuisset, ad procurandum executionem rei, quæ merum consilium complecteretur: peccat ergo Sacerdos nunquam exequendo munus, & officium suum, nam officium propter ministerium & opus datur, & inordinate retinetur si executioni non mandatur. *Neque alia*, inquit Isidorus lib. 7. Orig. c. 12. *istius verbi Sacerdotis notio est, quam ex Actione Mystagoge, ita ut Sacerdos a Sacrificando vocetur, consecrat enim, & sanctificat*: ait S. Doctor. Eo spectat etiam illud quod docet D. Hieronymus lib. 3. adversus Pelag. dum Missam vocat *quotidianum Corporis Christi Sacrificium*, & non alia ratione D. Ambrosius Epistola 29. ad Theodosium Imperatorem scribit: *Presbyteros gradu functos merito conqueri quod per innumeros annos a munere sacro retrabantur, & Curia deputentur.* Unde similes Sacerdotes ignaros, & socordes peccare lethaliter ex eodem D. Ambrosio docuit D. Thomas in 4. lib. 3. dist. 13. q. 1. a. 2. ubi sic loquitur: *Ambrosius dicit: Grave est quod ad mensam tuam mundo corde, & manibus innocentibus non venimus, sed gravius est, si dum peccatum metuimus etiam Sacrificium non reddamus; sed primum est mortale, ergo & secundum.* Favet huic sententiæ Pii V. auctoritas; cum enim Cajetanus in suis Commentariis in locum D. Thomæ scripsisset *transgressionem hujus obbligationis tantum esse peccatum veniale* illa doctrina ejus auctoritate ab hoc Commentario expulsa est, satis ergo S. Pontifex se sentire significavit opinionem illam non esse dignam, quæ passim circumferretur, & propterea ad Sacerdotes omnes, non tantum ad Pastores Ecclesiarum, sed in communi ad Ecclesiam Christum Dominum fuisse locutum, ut opportune notavit Concilium Tridentinum cum Discipulis ait: *Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Ecclesia Catholica intellexit, & docuit.* Verum non solum intellexit, & docuit, sed quoties per Tyrannos licebat primitivæ Ecclesiæ tum Episcopi, tum Sacerdotes Missæ Sacrificium singulis diebus offerebant, ut constat, tum ex iis quæ obiter diximus in superiori capite, tum ex Auctoritatibus S. Irenæi lib. 4. adversus hæreses cap. 37. S. Justini Martyris in 2. Apologia, & Cypriani qui Epist. 54. ad Cornelium Papam inquit *Episcopatus nostri honor grandis, & gloria est, pacem dedisse Martyribus, ut Sacerdotes, qui Sacrificia Dei quotidie celebramus hostias Deo, & Victimas, præparemus.*

III. Optandum igitur esset quod singuli Sacerdotes quotidianum panem, & vinum Deo offerrent, verum ad hoc nullo præcepto obbligantur. *Presbyteri recens ordinati moneantur*, inquit Concilium Rhotomag. A. 1581. *ut intra semestre sine alterius cujuscumque licentia Missam primam celebrent, & deinceps repetant, saltem omnibus diebus Dominicis, & festivis* so-

solemnibus: si autem curam habuerint animarum, tam frequenter ut suo muneri satisfaciant. Curati, inquit Concilium Aquense, *ter in hebdomadâ Sacrum faciant, aut eo etiam sæpius, si vel loci consuetudo, vel necessitas crebriorem Divini Sacrificii usum postulabit. Ceteris etiam Clericis præcipimus, ut singulis mensibus:* eandem Concilium Tridentinum Sess. XXIII. cap. 14. decrevit, *curet Episcopus ut Presbyteri saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus, si autem habuerint curam animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant Missas celebrent*. Constat igitur ex his Conciliorum Decretis ad quod teneantur Sacerdotes in vi Præcepti in ordine ad Missarum celebrationem, quod verum est si nullo impedimento fuerint irretiti, puta aliqua Ecclesiastica Censura innodati, & vitæ integræ & scelleris puri inveniantur, & si fuerint jejuni. Sed de his alibi, ubi scripsimus de dispositionibus ad Eucharisticam Communionem. Notetur tantum, quod si *necessitate urgente*, ut inquiunt Tridentini Patres, Sacerdos absque prævia confessione celebraverit *quamprimum confiteatur*, quod ita intelligendum est, ut scandalosas illas sententias laxiorum Theologorum execremur, quas optimo consilio Sanctissimus Pontifex Septimus Alexander proscripsit anatematizavit. *Mandatum Tridentinum factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quam primum est Consilium non Præceptum: Illa particula quam primum intelligitur cum Sacerdos suo tempore confitebitur*.

IV. Etiam si nullo Præcepto teneantur Sacerdotes quotidie celebrare, non prohibentur tamen, si velint, imò ut velint sunt consulendi, nam id cedit in cultum Dei, quem illi perpetuo debemus, & est consentaneum dignitati hujus Sacrificii, quod propterea *juge* appellatur Danielis c. 12. est etiam valde utile fidelibus, qui plurimum indigent hujus Sacrificii fructu. Solum moneri possunt ii qui quotidianas offerre Deo Hostias elegerint, ut plurimi sunt hac nostra ætate, & paucissimi reliqui, quod in aliquibus anni diebus prohibitum est Ecclesiastico jure Sacerdotibus omnibus sacrificare scilicet Feria v. in Cœna Domini, die Parasceves, & die Sabati S. Ex antiquissima Ecclesiastica traditione hic usus invaluit, sed non semper constans quoad ritum. Feria v. olim duæ tantum Missæ celebrabantur, prima pro pœnitentibus, altera pro sacri Chrismatis confectione, tertiam exhibent antiqui Codices cum Ordine Gelasiano. In aliquibus Pontificalibus quinque Missæ huic diei assignabantur 1. pro uno pœnitente, 2. pro pluribus, 3. pro baptizandis, 4. Chrismalis, 5. Solemnis, quæ non in una Ecclesia, sed in diversis Ecclesiis celebrabantur. Sua ætate scribit Augustinus in Epistola 54. ad Januarium hic usus erat, ut duæ Missæ celebrarentur, mane a jejunis altera, & sero post cœnam altera, & hujus Missæ meminit Carthaginense III. Concilium, quam approbat. Unica nunc restat Missa, quæ sola in Sacramentario Gregorii notatur, & in illa omnes Presbyteri, & Diaconi unusquisque Ecclesiæ de manu sui Pastoris communicant. Communionis hujus consuetum morem hactenus retinuerunt Græci ex testimonio Allatii in lib. 3. de consensu utriusque Ecclesiæ c. 17. n. 7. Aliquid nostris temporibus a S. R. C. innovatum est circa Celebrationem unius Missæ in hac Feria, ut Consulenti illius Decreta patere potest.

Secunda dies est Parasceves, seu Feria 6. Majoris Hebdomadæ, quæ so-

sola hodie in Ecclesia Latina Sacrificio caret quia hac die Ecclesiastico jure prohibitum est Sacerdotibus Sacrificium offerre. Hujus præcepti meminit Innocentius I. in Epistola 1. ad Decentium c. 4. & Auctores, qui de Ecclesiasticis Officiis scribunt referunt hanc esse antiquissimam traditionem; affert rationem D. Thomas hic q. 83. a. 2. ad 2. *Hoc Sacramentum est figura quadam, & exemplum Dominica Passionis, & ideo in die quo ipsa Passio Domini recolitur, pro ut realiter gesta est, non celebratur consecratio hujus Sacramenti. Ne tamen Ecclesia, ea etiam die sit sine fructu Passionis per hoc Sacramentum nobis exhibita, Corpus Christi consecratum in die præcedenti reservatur sumendum in illa die*. Et fit Missa, quæ Præsanctificatorum vocatur, in qua tam ipse Celebrans, quam Clerici, ipseque Populus universus olim communicabat, ut Gregorius Magnus in libro Sacramentorum, & Pamelius refert in Liturgiis Latinis.

Ex eadem antiquissima traditione derivatum est, quod Sabato Sancto una tantummodo cantatur Missa solemnis, quæ olim in nocte peragebatur, ut in antiquis Sacramentorum Codicibus legitur, & constat ex decretis Conciliorum Antissiodorensis canone 2. & Rothomagensis A. 1072. qui mos perseveravit usque ad finem Seculi XIV. cum itaque antiquum illud jus contrario iure abrogatum non sit, imò confirmatum ex recentioribus Decretis S. Rituum Congregationis ab illo nulli Sacerdotum licebit recedere.

V. Neque licebit recedere a sacris illis sanctionibus, quæ unius Missæ quotidianam celebrationem cuilibet Sacerdoti permittentes pluralitatem Missarum prohibent. Alexander II. in cap. *sufficit* de consecr. dist. 1. *sufficit*, inquit, *Sacerdoti unam Missam in die una celebrare, quia Christus semel passus est, & totum Mundum redemit. Non modica res est unam Missam facere, ut valde felix est qui unam digne celebrare potest, qui vero pro pecuniis, aut adulationibus sacularium una die præsumat plures facere Missas, non æstimo evadere damnationem*. Innocentius III. in capit. *Consuluisti*, & III. Honorius in cap. *referente* de Celebrat. Missarum idem decreverunt nisi quod Honorius addit *hoc esse intelligendum de quocumque Sacerdote, quacumque dignitate fulgeat*. Idem cautum fuit in Concilio Londinensi anni 1200. Oxoniensi A. 1222. Herbipolensi A. 1287. Ravennatensi II temporibus Clementis V. & Toletano A. 1314. tempore Joan. XX. can. 7. In singulis his Decretis excipitur *Casus Necessitatis*, in quo permittitur quod idem Sacerdos pluries eodem die celebret, *iterato tamen vinum Calici infusum, vel digitis superfusum sumere non præsumet*, ut in canone 1. Concilii Oxoniensis fuit definitum, & in 10. Brachar. II. & in cap. *ex parte vestra* de Celebr. Miss. Plures a Theologis indicantur hi casus necessitatis, precipuus tamen creditur, quando Sacerdos habet duas Ecclesias Parochiales, & non potest habere Coadiutorem, & in utraque est populus, qui auditurus est Missam. Tutius vero erit in hac re Episcopum consulere. Usum Ecclesiæ in primis sæculis supra exposuimus, cum pauci admodum essent Sacerdotes, quem non juvat in exemplum afferre, ut alicui Sacerdoti concedatur septies, vel octies, novierque eodem die Missam offerre, ut factum legimus a Leone III. quem propterea laudant Concilii Triburiensis Canones; neque affirmari debet plures quam tres Missas posse uno die Sacerdotem offerre, quod hoc caveatur in Canone 5. Concilii Saleguftad. Episcopus enim; imò R. Sedes in hoc quid expe-

diens

diens fuerit declarabit; quod contigisse legimus in Ecclesia Hispana, & Lusitana; cui A. 1748. a Benedicto XIV. indultum fuit, ut die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum Sacerdotes omnes in Regnis illis commorantes tres Missas celebrarent. Sed quæres, qua hora diei, & quo in loco Sacerdos quilibet celebrare teneatur?

VI. Noctu ad Missas convenisse fideles cum Tyrannorum persecutio vexabat Ecclesiam notissimum est Tertulliani testimonium in lib. de fuga in Persecut. *Si colligere interdiu non potes, habes noctem*. Idque per prima Ecclesiæ Secula passim obtinuisse scribit Joannes Phurnes in Epistola de ritibus immutatis apud Allatium lib. 3. de Consensu Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis cap. 13. *Hinc nocturnæ convocationes* apud eumdem Tertullianum lib. 2. ad Uxorem c. 4. *& cœtus antelucani* apud Plinium Secundum lib. 10. Epist. 97. ad Trajanum. Reddita postmodum Ecclesiæ pace certæ Horæ rei Divinæ celebrationi tributæ fuerunt, quas præterire fas non erat. Disserit de his Amalarius lib. 3. cap. 42. & nobis has potissimum indicat *Tertiam, Sextam, & Nonam*; ut scilicet, quemadmodum explicat Honorius in lib. 1. de Gemma Animæ c. 113. *in Festis Tertia, in privatis diebus Sexta, in Quadragesima, vel in diebus Jejunii Nona hora Missa peragatur*: subintelligendum certe est, *vel Solemnis, vel Conventualis*, ut colligitur ex can. 14. Concilii Aurelianensis III. in quo dicitur *in præcipuis dumtaxat Solemnitatibus id observari debet, ut hora Tertia Missarum celebratio inchoetur*. & ex Decreto Concilii Moguntini ab Ivone P. 4. c. 35. relato ubi de jejunio Quatuor Temporum, *quarta*, inquit, *& sexta Feria, & Sabbato veniant omnes ad Ecclesiam hora Nona cum Letaniis ad Missarum Solemnia*. Et revera hanc horam quolibet die Festo servatam semper fuisse veterum Patrum testatur auctoritas, Sidonii Apollinaris lib. 5. Epistol. 17. Gregorii Turonensis in vita S. Nicetii, & Gregorii Magni homil. 37. in Evangel. Hujus horæ tertiæ institutionem nonnulli tribuunt Thelesphoro Papæ inter quos Bernoldus Rofiensis in Epistola ad Lambertum Spicilegii Tom. 5. Verisimilius tamen est horam hanc S. Damasum sanxisse ex præscripto, ut creditur, Niceni Concilii, ut scribit Baronius ad annum 382. In jejuniis quadragesimalibus dilatum fuisse quandoque Sacrum usque ad Vesperam evidenter demonstrat locus ex S. Ambrosio petitus in explicatione versiculi 62. Psal. 118. *indictum est jejunium, cave ne negligas. Et si te fames quotidianum cogit ad prandium, tamen cœlesti magis te servato convivio. Non epulæ paratae extorqueant, ut cœlestibus sis vacuus Sacramentis. Differ aliquantulum, non longe est finis diei*, & huc pertinet, quod scripsit Tertullianus in libro de Jejuniis: *Statio sera, quæ ad Vesperam jejunans pinguiorem Orationem Deo immolat*. Etiam post Matutinum quandoque Missas fuisse celebratas habemus in can. 29. Concilii tertii Aurelianensis, & Gregorius Turonensis in lib. de Gloria Confess. c. 65. meminit Missæ post Matutinum celebratæ. Amalarius Fortunatus lib. 3. c. 42. *Vidi*, inquit, *Leonem Apostolicum diluculo intrare ad Missam*. De Leone III. ibi loquitur Amalarius, & hunc usum invaluisse in S. Sede Romana scribit Ordo Ecclesiæ Cameracensis, & Atrebatensis.

Quod ex antiqua Ecclesiæ disciplina observatum diximus circa tempus celebrationis Missæ, non est sufficiens argumentum, ut probetur aliis etiam horis singulis celebratas non fuisse Missas privatas. Humbertus respondens ad argumenta Græcorum, qui Latinos criminabantur, quod non observarent horas ad celebrandum statutas, docet *quotacumque hora diei, non autem sola Tertia La-*

viros perfectam Missam agere, *ex Verbis Domini; hoc facite quotiescumque sumitis in meam commemorationem*; & ex verbis Pauli: *Quotiescumque manducabitis Panem hunc, vel Calicem bibetis mortem Domini annunciabitis*, & pluribus exemplis Sanctorum Præsulum, & Sacerdotum confirmari posset. Verum tamen est, quod licet hæc horarum præscriptio contrario usu abrogata sit, aliquod tamen antiquitatis vestigium permanet in Missæ solemnis celebratione, cum in Rubricis Missalis §. 15. hæc legantur. *Missa Conventualis solemnis sequenti Ordine dici debet. In Festis duplicibus, & semiduplicibus, in Dominicis, & infra Octavas, dicta in Choro Tertia. In Festis simplicibus, & Feriis per annum, dicta Sexta. In Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, & Vigiliis, quæ jejunantur, post Nonam*. Cœpit hic usus introduci post Seculum XII. Missæ vero privatæ tempus antiquis Canonibus definitum non est. Consuetudine tamen receptum est, ut ab aurora usque ad meridiem, nisi adsit Privilegium celebretur, excepta prima Missa in Nativitate Domini, quæ solet post mediam noctem, & ante auroram celebrari, ita D. Thomas 3. p. q. 83. artic. 2. ad 4. *dicendum quod regulariter Missa debet celebrari in die, & non in nocte ... ita tamen quod principium diei accipiatur non a media nocte, nec etiam ab ortu Solis, id est quando substantia Solis apparet super terram, sed quando incipit apparere aurora, tunc enim quodammodo dicitur Sol ortus, in quantum claritas radiorum ejus apparet .... specialiter tamen in nocte Natalis Domini Missa celebratur propter hoc, quod Dominus in nocte Natus est, ut dicitur de Consecrat. distinc. 1. c. nocte*.

Dixi nisi *adsit Privilegium*, nam ex Privilegio certum est, quod Missæ possunt fieri, & de facto fiunt ab aliquibus Religiosis, & aliis Personis ante auroram, & post meridiem, præsertim quia Pius V. speciali quodam motu proprio vetuit omnes nocturnas, vel matutinas Missas, etiam in Sab. S. & Concilium Tridentinum Sess. XXII. c. de observandis in ritu hujus Sacrificii, jam præceperat ne Sacerdotes aliis, quam statutis horis celebrarent, sed prædictum tempus est jam statutum in Missali, quod non licet præterire. Hoc privilegio gaudet Episcopus, qui dum iter agit, potest Missam ante auroram dicere, vel alteri concedere, ut eam sibi dicat, quod notavit Glossa in cap. ultimo de Privilegiis in 6. Circa hoc Privilegium Notatur 1. non esse generale, aut in jure contentum, sed personale, & propterea unusquisque scire debet quo Privilegio uti sibi liceat. Notatur 2. Privilegium semper esse intelligendum secundum anticipationem, vel pospositionem totius temporis in Privilegio concessi ad totum tempus illud, in quo sine Privilegio potest Missa legitime dici: quare si concedatur unius horæ intervallum poterit Missa incohari tribus horis ante ortum Solis, & ratio est quia Privilegium tantum operatur quantum sonat, & ita per integram horam post meridiem poterit Sacrum peragi. Notatur 3. quod si occasione alicujus Solemnitatis Missa Publica, & Concio protrahatur usque ad unam, vel duas horas post meridiem, Missa Privata incohari potest post finitum Solemne Officium, ne aliqua pars Populi Missa privetur ex Leonis Papæ Doctrina in sua Epist. 81. ad Diosc. c. 2. Singulare est Privilegium, quod in Ecclesiis bene multis Venetiis obtinet ante noctis dimidium in Pervigilio Nativitatis D. celebrandi Missas; & illud, cujus supra meminimus concessum Ecclesiis constitutis in Lusitaniæ, & [illegible] paniarum Regnis, ut illarum Sacerdotes in Solemni Anniversaria Defunctorum omnium commemoratione Missas protrahant per duas horas post meridiem. Et hæc dicta sint quo ad horam diei.

VIII. Quod vero pertinet ad Locum, non hunc inquirimus fervente Persecutionum æstu, notum est enim omnibus id, quod tunc usuvenisse scribit Dionysius Alexandrinus apud Euseb. lib. 7. Histor. Eccles. cap. 22. *quivis*, inquit, *locus, in quo varias ærumnas sigillatim pertulimus, ager, solitudo, navis, stabulum, carcer instar templi ad Sacros Conventus peragendos fuit*, sed illum quærimus extra casus Persecutionum, an semper intra Sacras ædes Sacerdotes offerrent, ita ut ex disciplina veteris Ecclesiæ probari possit usus recentioris, juxta quem nemo potest licite hoc Sacrificium extra Ecclesiam, seu locum Sacrum ad hoc peculiariter deputatum, offerre. Affirmativa sententia pluribus argumentis probatur. Primum hujus ritus exemplum suppeditat Apostolus, qui suam primam scribens Epist. ad Corinth. Ecclesiam memorat in qua Eucharistia celebrabatur, & Domum in qua oportebat, quod Corinthii convenirent, ne ipsam Ecclesiam contemnerent. Sic enim loquitur c. 11. *Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis? Convenientibus vobis in unum jam non est Dominicam Cœnam manducare*, & ita hunc locum explicant Chrysost. Ambrosius, & Expositores omnes tum Græci, tum Latini intelligunt, apud quos constat, non potuisse fideles convenire in unum, nisi in aliquo certo loco, qui non esset privata domus alicujus, & hoc quotidianus loquendi usus obtinuit, ut ad Ecclesiam prodire, aut ad Ecclesiam confugere non dicatur, nisi qui ad locum ipsum, parietesque prodierit, vel confugerit, quibus Ecclesiæ congregatio continetur. Romæ item ab Apostolis dedicatas Ecclesias, in quibus fideles congregari solerent, ut Sacra Mysteria celebrarent, & alia Religionis officia obirent ostendit Baronius ad annum Christi 57. n. 100. & vetustissimum probat Martirologium S. Hieronymi nomine insignitum editum a Luca Dacherio Tom. 4. Spicilegii, in quo hæc leguntur: *Kalendis Augusti Romæ dedicatio primæ Ecclesiæ a B. Petro constructæ, & consecratæ*, idemque præstitisse in Syriæ, & Asiæ Civitatibus Philippum, & Bartholomæum, & in suis Regionibus Thomam, Andræam, & Matthæum, Nicephorus in sua Historia describit. Demum Philo Judæus vitam primorum Christianorum describens in libro de Vita Contemplativa, in singulis eorum domiciliis sacellum, quoddam fuisse ait, quod *Semneum vocabant in quod remotis arbitris Sanctioris vitæ mysteria peragebant*. Constat igitur, quod primis Ecclesiæ Sæculis Christianis non defuerunt *templa, sive conventicula*, qua voce Arnobius lib. 4. Ammianus Marcellinus lib. 27. & alii usi sunt, in quibus ad Sacram Synaxim peragendam convenirent, quod exuberantius patuit, cum restituta Ecclesiæ pace, ubique gentium cœperunt Templa ædificari, ut Eusebius in vita Constantini, Nicephorus libro 8. c. 30. aliique passim Ecclesiastici Scriptores recensent. Hinc Cyrillus Alexandrinus libro adversus Anthropomorphitas cap. 12. *Donum*, ait, *sive oblatio, quam mystice celebramus in solis Orthodoxorum Sanctis Ecclesiis offerri debet, neque alibi omninò, qui secus faciunt aperte Legem violant*, & Basilius libro de Baptismo c. 8. *Nobis*, inquit, *periculum est malè obiti mandati. si loci rationem neglexerimus, maxime si Sacerdotii mysteria in locis profanis celebraverimus, propterea quod ea res indicium haberet contemptus in Celebrante, offendiculum quoque generaret*. Sed hoc sæpius fuisse sancitum a Romanis Pontificibus Clemente Epist. 2. Felice Epist. 1. Silvestro aliisque pluribus invenimus apud Gratianum. qui dist. 1. de Consecratione hæc decreta refert, in quibus alibi, quam in locis Deo sacratis Missæ Sacrificium offerri non pos-

posse statuitur, quod ex antiquis Conciliis definiverant Laodicenum c. 5. Carthag. II. c. 9. Moguntinum c. 9. Cabilonense sub Carolo can. 49. Aquisgranen. sub Ludovico Pio c. 84. & Metense can. 5. unde mortale peccatum erit extra casum necessitatis in loco non Sacro celebrare, imò & Clerici extra loca Sacra celebrantes puniuntur pœna Suspensionis, & Excommunicationis in cap. *nullus* cap. *si quis* de Consecr. distinct. 1 & in Authent. de Ecclesiast. Tit. § *Si quis in sua Domo*, præcipitur, *domum in qua Sacra mysteria peraguntur sciente Domino publicari*, quod totum decretum est attenta dignitate, & præexcellentia Sacrificii Missæ; nam si in Lege veteri non licebat, nisi in templo, & Aris Deo dicatis Sacrificium offerre, juxta illud, quod scriptum est Deuteron. cap. 12. *Vide ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in eo, quem elegerit Dominus, ut sit nomen ejus ibi*; multo magis ergo in Lege Evangelica, non licebit offerre tremendum Missæ Sacrificium veteri illi præfiguratum, nisi in loco Sacro: unde Concilium Tridentinum Sess. XXII. cap. de observandis in Celebrat. Missæ districte præcipit Ordinariis locorum, *ne omninò permittant extra Ecclesiam, & ad Divinum tantum cultum dedicata Oratoria, Sanctum hoc Sacrificium a Secularibus, aut Regularibus quibuscunque peragi*.

Est autem circa hoc Tridentini Concilii Decretum, & quæcumque alia superius relata observandum, quod quamvis in laudatis Decretis statuatur Ecclesiam ad offerendum hoc Sacrificium oportere esse Consecratam, tamen usus obtinuit, quod sufficiat Ecclesia benedicta, dummodo Episcopi auctoritate sit fundata, ita Glossa, & Doctores in cap. ultimo de Consecr. Ecclesiæ, Altare tamen requiritur semper, quod sit consecratum, sed de hoc infra.

Observandum etiam est hæc Decreta excludere casum necessitatis, quare superveniente necessitate extra locum Sacrum licitum erit Sacrum facere; quod est accipiendum de communi necessitate, veluti si vetustate, igne, aut Hostium impetu Ecclesiæ corruerint, vel ob Infidelium timorem, vel ob aliam caussam ex iis, quæ a jure probantur, tunc licebit extra eas in tentoriis, aut in ædibus privatis Missam celebrare, ita in Provinciis Infidelium, aut Hostium Ecclesiæ, in quibus Templorum liber usus non est, in privatis domibus, aut Oratoriis celebrari permittitur, vel ab Episcopis, vel a Papa. Super Mare, aut super Flumen, etiam cum titulo necessitatis celebrari non permittitur propter periculum effusionis Sanguinis; quare in litore celebratur Missa pro Nautis intra triremes existentibus, vel pro multitudine etiam navigantium in aliis Navibus, ut Festo die Missam audiant. Nec in tota Ecclesiastica Historia alium extitisse crediderim præter unum Wlfrannum Sanctum Senonensium Antistitem, qui cum in Phrysia navigaret, Navi manente immobili Missam in Mari celebrasse scribitur a Jona Monaco Fontanellensi in ejus vita apud Bollandum die 20. Martii.

Observandum tandem excipi a prædictis regulis speciales illæ personæ, quibus nominatim concessum est, ut extra Ecclesiam possint Missam celebrare, in hoc numero ponuntur Episcopi, ut dicitur in cap. ultimo de Privilegiis in 6. nec interest, quod sint consecrati, dummodo electi fuerint, & confirmati. Quod si alii fuerint, qui hoc Privilegio gaudeant, quod non sit abrogatum per Tridentinum Concilium, ipsis quoque licebit in itinere cum Altari portatili extra Ecclesiam celebrare.

IX. Præter has exceptiones duo adhuc animadvertenda sunt circa Celebra-

brationem Missarum in loco, ut scilicet Ecclesia non sit violata, & in illa sit Altare Consecratum. Ex quacumque causa Ecclesia violata maneat de quibus videri possunt Morales Theologi, certum est apud omnes nullum Sacerdotum posse in hac Ecclesia Missam dicere antequam purificetur. Nihil enim aliud est Ecclesiæ pollutio, quam prohibitio quædam jure Ecclesiæ introducta, ne Sacrum, aut alia Divina officia fiant in hujusmodi Ecclesia. Habetur hoc jus Ecclesiasticum in cap. finali de Consecr. Ecclesiæ unde reus erit gravis peccati, & arbitrio Episcopi puniendus, qui in Ecclesia polluta, vel Altari violato celebraverit, capite *is qui* de Sententia Excom. in 6. sed nullam irregularitatem incurret, quia in jure non est expressa, quod tamen contingeret si speciali censura interdicti, locus affectus esset ex citato capite *is qui*. In reconciliatione vero Ecclesiæ sciendum est esse tantum utendum aqua benedicta, si tantum Ecclesia benedicta erat, & hoc fieri potest per simplicem Presbyterum; utendum vero esset aqua Vino, & Cineri admixta, si Ecclesia fuerit consecrata, & per solum Episcopum reconciliabitur. Si pollutio Ecclesiæ contingat dum Missa celebratur, non inchoato canone dimittitur, secus vero fiet, si post canonem violatio contigerit. Neque a celebratione est abstinendum si violatio occulta fuerit, nec ita evulgata, ut possit notoria censeri: ita docet Abbas in cap. *significasti* n. 2.

Necessitatis Altarium, & Consecrationis eorumdem ad Missæ celebrationem Legem habemus in cap. *nullus* in capite *concedimus* de Consecr. dist. 1. Olim lignea, lapidea, aurea, & argentea fuisse Altaria copiose demonstravit Joannes Baptista Thiersius in suo Opere, quod de Altaribus inscripsit. Nunc oportere esse lapidea eruitur ex antiquissima Ecclesiarum consuetudine, & statutum est in Concilio Hipponensi can. 6. ut Gratianus refert in c. *Altaria* de Consect. dist. 1. Concilio Epaunensi c. 26. & 27. ut referunt Burch. lib. 3. c. 25. & Ivo p. 3. c. 30. Fixa, & magna dicuntur, cum tota Mensa, Sacrificiis destinata consecratur; minora alia appellantur, & hæc vulgo Aræ dicuntur, quæ satis est, ut sint, tantæ longitudinis, ut saltem Calicem, & Patenam capere possint, ut possint post Consecrationem supra illas collocari. Non obstat textus in cap. *concedimus* de Consecr. dist. 1. ubi dicitur *Sacramentum Altaris confici posse in tabula, si necessitas adsit*, primo quidem, quia totum lapideum Altare tabula dicitur in cap. *ligneis*, & ipsa Ara *tabella* appellatur in cap. *quod in dubiis* de Consecr. Eccl. secundo, quia textus ille accipi debet, quando Mensa Altaris ex tabulis confecta habet Altare mobile, lapideum, & Consecratum. Quapropter sensus prædicti Canonis est, ut quis in casu necessitatis possit extra Ecclesiam celebrare si hujusmodi tamen Altare subsit. Perperam Altarium Consecrationem derident Hæretici, quod res inanimes sit, gratiæ Dei expertes, & quod ritu vano, & superstitioso Consecratio peragatur, quia hic usus Altaria erigendi, & Consecrandi communis fuit Legi Naturæ, Legi Scriptæ, eo Legi Gratiæ, ut constat ex c. 28. Genesis ex c. 40. Exodi, & 7. Numer. & ex pluribus SS. PP. testimoniis Dionysii c. 3. Eccles. Hierarch. Tertulliani in lib. de Pœniten. Cypriani loco citato Epist. 9. Euseb. Demonstr. Evang. c. 6 Optati Milev. lib. 6. contra Parmenianum, Ambrosii lib. 5. Epist. 33. Nazianzeni, Nysseni, Chrysost. Hieron. August. & aliorum, quibus Altaria placuit, non solum unctione Chrismatis, sed etiam Sacerdotali, idest Episcopali benedi-

ctione Sacrari, dixi *Episcopali*, quia constat, quod nullus alius præter Episcopum ordinaria potestate (Papa, enim omnia potest, propterea hanc facultatem si velit, simplici Sacerdoti committit) potest hanc Consecrationem efficere, sic enim ait Hormisda in cap. *nullus Presbyter* de Consecr dist. 1. & confirmat Damasus in Epist. 4. decretali. Tamdiu vero durat hæc Consecratio quamdiu lapis Consecratus integer manet, si autem frangatur Consecrationem ammittit. Consuevisse itaque veteres omnes Sacerdotes in Altari consecrare, si unum, vel alterum exceperis, notissima res est, ex quo sequitur non esse a lethali culpa immunem, qui celebrat in Altari non consecrato Excipiendus est S. Martyr Lucianus Antiochenus, qui omni ex parte vinculis constrictus pectore usus est pro Altari, Excipiendus Theodoretus Cyrensis Episcopus, qui in Cellam Maris reclusi Monachi vasa Sacra afferre jussit, & pro Altari, Diaconorum Manibus usus est, ut Mysticum Sacrificium offerret. Nihil vero obest, quod apud Arnobium lib. 6. contra Gentes, Minutium Felicem in Octavio, Lactantium lib. 6. Divinarum inst. capite 2. Clementem Alexandrinum lib. 7. Strom. Origenem lib. 8. contra Celsum audiatur, *nullas aras habuisse Christianos, nulla templa nulla simulacra. Dei templum esse universum hoc quod cernitur, vel quæ latiores complectitur ambitus, mentem humanam, nec aliquid his dignius posse Deo Optimo Maximo templum erigi*. Id enim dixisse laudatos Scriptores notat doctissimus Cardinalis Bona, ut non solum a ritibus Ethnicorum, sed etiam a vocabulis se abhorrere indicarent, tum ut Gentilibus responderent nulla Christianis esse templa, qualia apud Nationes erant sublimibus elata fastigiis, quibus putarent Divinitatem concludi; nullas habere aras ad ostentationem extructas, nullis immolare victimas, neque thus adolere, Deum illis non indigere, nec habitare in templis manufactis, impium esse Numinis majestatem unius ædiculæ angustiis circumscribere, cum homines latius habitent, in nostra mente Templum illi dedicandum esse. In nostro pectore consecrandum. Sic illi contra Paganos, qui solam externam speciem attendentes, in quo verus Dei cultus consisteret, ignorabant. Cæterum non solum tempore Minutii Felicis, Arnobii, Lactantii &c. sed etiam multo ante habuisse Christianos Altaria ex locis citatis Tertulliani, Dionysii, qui sunt Minutio antiquiores, & Cypriani, qui ætate Minutii floruit perspicuum est. Hic itaque loco citato jubet, *non offerri Sacrificium pro Christiano Defuncto, qui reliquerat Presbyterum rerum temporalium Procuratorem, hac ratione, quia Sacerdotem Dei ab Altari abstrahit*.

X. Luminaria etiam, Vasa Sacra, & Sacræ Vestes requiruntur, ut rite Sacrum Ministerium peragatur De Luminaribus præter cæteros agit Micrologus, qui cap. 11. asserit. *Missam nunquam sine lumine celebrari, etiam si in meridie celebretur*, quam hæc Ecclesiæ consuetudo esset antiquissima ex Concilio IV. Carthaginensi didicimus can. 6. & ex Isidoro lib. 7. Etymolog. c. de *Clericis*, & ex Hjeronymo contra Vigilantium, tum ex Augustino, qui Sermone 215. de tempore fideles hortatur, ut oblationes, quæ in Altari consecrantur offerant, & cereolos, aut oleum. Notandum tamen est id, quod Tridentinum loco supra citato docet, *ne certus aliquis candelarum numerus* (juxta recentem usum duæ sufficiunt) *ex aliquo superstitioso cultu adhibeatur*. In cap. ultimo de Celebr. Miss. inter excessus graves cujusdam Presbyteri ponitur quod sine igne Sacrificabat, quare communiter inferri solet graviter illum peccare, qui sine Cereis Missam celebrat, recedit enim a ritu, quem uni-

ver-

versalis tenet Ecclesia, & observandum decreverunt Concilii Tarraconensis Patres, & Patres Concilii Frisingensis a. 1440. titulo de Celebr. Missar. *Nullus divina Missarum solemnia sine luminibus celebrare præsumat*, & legitur in §. 20. rubricarum Generalium Missalis: *super Altare collocetur Crux in medio* (Crucis aureæ in Altari meminit Beda lib. 2. histor. c. 20. & Joannes Aurelianensis adversus Claudium Taurinensem in præfat. lib. 2. dicit, *quod mos antiquæ observationis legitimus id instituit*) *& candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc, & inde in utroque ejus latere*. Morem hunc Vigilantius culpabat dicens, *prope ritum gentilium: videmus sub prætextu Religionis introductum in Ecclesiis Sole adhuc fulgente moles cereorum accendi*. Lactantius quoque Firmianus lib. 6. Divinar. Instit. c. 2. eundem usum reprobasse visus est, cum scripsit. *Num igitur mentis suæ compos putandus est, qui auctori, & datori luminis candelas, ac cereorum lumen offert pro lumine?* Et quod magis mirum est nec Elliberitanis Patribus placuit, qui can. 34. Ritum hunc proscripserunt. *Cereos per diem placuit in Cœmeteriis non incendi, inquietandi enim Sanctorum Spiritus non sunt*. D. Hjeronymus Lampadum, Cereorum, seu luminarium usum Vigilantio repofuit, non simpliciter ad tenebras pellendas, sed ad celebritatem, ad lætitiam, ad Religionem tam Judæos, quam Gentiles communem habuisse, & in Oriente, & Occidente universalem fuisse, & mysticam rationem declarans in Epist. 20. ad Marcellam inquit, *ut accenso lumine, sponsi spectetur adventus*. Nec male audit de Luminibus Firmianus, qui in loco citato Ethnicos impugnat, reprehenditque, *quia lumina accendebant Deo, putantes, quod in tenebris degeret, luce indigeret*. Et certe dicendum est etiam Elliberitanos Patres superstitionem aliquam perstrinxisse, quæ illis temporibus fortasse irrepserat.

Vasa Sacra, ut Sacrificium offeratur maxime necessaria sunt. Usum hunc tenuit semper, & commendavit Ecclesia, præcipiens, *ne quis sine Calice, & Patena offerat*. Propter rerum penuriam fuisse in aliqua Ecclesia ligneos Calices, ex Tiburiensi Concilio colligitur, in quo statutum fuit, *quod nemo deinceps Sacra mysteria in ligneis vasculis conficere præsumeret*, quod prohibuerunt etiam tum Canones in Anglia editi sub Elgaro Rege cap. 41. tum Concilium Londinense a. 1175. c. 17. & ex relatione Gratiani de Consecr. dist. 1. cap. 45. & Ivonis p. 2. c. 131. Concilium Rhemense, quod Concilium prohibuit similiter vitreos Calices, tum ex ære, vel aurichalco confictos, *quia*, inquit, *ob Vini virtutem pariant æruginem, quæ vomitum provocat*. Fuisse etiam Calices ex lapide Onychino factos legimus in Synodo Daziacensi edita a Cellotio pag. 4. c. 5. Cornei Calicis meminit Synodus Calcutensis in Anglia sub Adriano I. Cæterum Orthodoxa Ecclesia semper, & ubique in hoc conspiravit, ut ubique aureis, vel argenteis Calicibus Sacerdotes uterentur, & revera etiam sævientibus persecutionibus Ecclesiam hujusmodi Calices habuisse scribit Optatus Milevitanus lib. 1. & lib. 6. ubi inter Donatistarum scelera (Donatistæ eruperant in Affrica sub Ethnicis Principibus Christianorum persecutoribus) hoc recenset, *quod Calices fregerint, ut mercem nefariis nundinis procurarent*. quos forsitan inquit, *emerunt in usus suos sordidæ mulieres, emerunt Pagani facturi vasa, in quibus incenderent idolis suis*, & hujusmodi Calices etiam Apostolos habuisse inverisimile non est exemplo Christi, qui in argenteo Calice Sanguinem suum bibendum Discipulis tradidit. Adhuc Bedæ temporibus Jerosolymis Calix ille visebatur, de quo hæc ipse scripsit li-

libro de locis Sanctis cap. 2. *In platea, quæ Martyrium, & Golgotha continuat exedra est, in qua Calix Domini scriniolo reconditus per operculi foramen tangi solet, & osculari, qui argenteus Calix hinc inde duas habens ansulas sextarii Gallici mensuram capit*, idem testatus est Adamnanus Abbas lib. 1. de locis Sanctis c. 8. Ansatos Calices ad usum Sacrificii describit Ordo Romanus agens de Officio Missæ, & magnum Chronicon Belgicum, quem S. Henricus Imperator Ecclesiæ S. Laurentii obtulerat.

Etiam *Patenas* in usu fuisse Apostolorum Ævo ostenditur ex Jacobi Liturgia, genus vasis, latis, & patentibus labris. Conflatas fuisse Patenas ex eadem materia, qua Calices in Sacris Scriptoribus invenimus, cum par utrorumque sit ratio; reponendæ siquidem Hostiæ Patena inservit. Armeni Patena non utuntur, sed Calicem alterum substituunt. Græci vero Patena utuntur, quæ ab ipsis vocatur *discon*. In libro Pontificali de Zephyrino Papa scribitur: *Hic fecit constitutum de Ecclesia, ut Patenas vitreas Ministri ante Sacerdotes portarent, dum Episcopus Missam celebraret*, Urbanus autem præcepit esse argenteas. Utriusque tam Calicis, quam Patenæ Consecratio habetur in Pontificali, & præcipitur in c. unico de Sacra Unctione §. *vult*, & ideo Xistus Papa Epist. 2. prohibuit Vasa Sacra a Laicis tangi, quia *consecrata sunt*, & in c. ultimo de Celebrat. Miss. Honorius III. præcipit, ut Sacerdos deponatur, qui sine Sacro Calice consecravit.

In More etiam Ecclesiarum est, quod neque in nudo Altari Sacerdotes celebrent, nec sine Sacris paramentis. Primum habetur in Concilio Rhemensi ab Ivone citato: *Observandum est, ut Mensa Christi, idest Altare, ubi Corpus Dominicum consecratur, ubi Sanguis ejus hauritur, ubi Sanctorum Reliquiæ reconduntur* (Felix I. referente Anastasio supra sepulchra, aut memorias Martyrum constituit Missas celebrari) *ubi preces, & Vota Populi in conspectu Dei a Sacerdote offeruntur cum omni veneratione honoretur, & mundissimis linteis, & palliis diligentissime cooperiatur, nihilque super eo ponatur, nisi capsa cum Sanctorum Reliquiis, & quatuor Evangelia*. Eumdem morem confirmat Clemens Epist. 2. & Optatus Milevitanus lib. 6. tamquam ubique receptum, & ad hunc alludit Isidorus Epist. ad Gudifre. in c. *perlectis* dist. 25. ubi dicit *ad Diaconum pertinere componere Mensam Domini, atque vestire*; & paullo infra: *ad Archidiaconum pertinere ordinationem vestiendi Altaris a Levitis*. Hinc in Concil. Tolet. XIII. in c. *quicumque* 26. q. 5. graviter præcipitur, *ne ullus Ministrorum Ecclesiæ Altare Divinum vestibus Sacris exuere præsumat*. Tria esse oportere hæc mundissima lintea eruitur ex cap. *autem si per negligentiam* de Consecrat. dist. 2. Præter hæc linteamina requiritur etiam *Palla linea*, sive, *Sindon*, in qua Corpus Christi conservatur, & vulgo *Corporale* appellatur. *Ilitou* vocant Græci, & insuper alia Palla, sed longe brevior, quæ cooperiendo Calici inservit. De alterutra agit Innocentius III. in lib. 2. de Myster. Missæ c. 56. dicens: *Duplex est Palla, quæ dicitur Corporale, una, quam Diaconus super Altare totam extendit, altera quam super Calicem plicatam imponit*. Olim Corporale totum Altare tegebat, ut patet ex Ordine Romano, qui illud a duobus Diaconis expandendum fuisse Altare, & complicandum præcipit, neque parva Palla opus erat, sed eodem Calix operiebatur, plicatu scilicet extremæ partis, ut Charthusianorum fert usus. Adest & aliud linteolum in usum Calicis, quod Purificatorium dicitur, sed apud nullum veterem Scriptorem ejus fit mentio, ut scribit Vicecomes lib. 7.

lib. 7. de Missæ apparatu c. 5. Græci illo utuntur, quia Calicem Spongia detergunt. Linteamina hæc consecratione Episcopi indigent, quæ cum fiat per simplicem benedictionem absque Chrismatis unctione, simplicibus Sacerdotibus etiam committitur: & multi Superiores Religionum hoc Privilegio gaudent.

XI. Ipse Sacrificaturus Sacerdos peculiaribus vestibus uti debet, & sunt Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Planeta. Ab ipsis fere Apostolorum temporibus horum vestimentorum usus incœpit, non quod Apostoli statim post Christi Ascensionem iis usi sint, sed quia horum meminit Anacletus Clementis successor in sua 1. Epistola decretali ubi *Episcopus*, inquit, ***Ministros secum habeat Sacris Vestimentis indutos***. Inverisimile autem non esse, Apostolos ipsos non semper in quotidianis, & vulgaribus Vestibus Missam celebrasse, sed peculiaribus usos fuisse, tenet Cardinalis Bona Rer. Liturg. lib. 1. c. 24. illudque probat, tum ex Penula a Paulo Troade relicta, tum ex Lamina, seu Mitra Episcopali, quam Joannes Evangelista gestabat, ut Polycrates Ephesi Episcopus apud Eusebium testatur hist. lib. 3. c. 31. tum ex infulis, quarum meminit Tertullianus lib. de Monogamia c. 12. Verum quicumque fuerit Apostolorum usus, qui neque ex Sacra Scriptura, neque ex Traditione clarissime demonstratur, tamen certum est tertium Ecclesiæ Sæculum, & quæ sequuntur, documentis abundare, quibus Sacrarum vestium institutio in usum Sacrificii probatur. *Vestimenta Ecclesiastica*, sic Stephanus I. scribit in sua 1. Epist. *quibus Domino ministratur, cultusque Divinus omni cum honorificentia, & honestate a Sacerdotibus, reliquisque Ecclesiæ Ministris celebratur, & Sacra debent esse, & honesta, quibus aliis in usibus cum Deo, ejusque servitio consecrata, & dedicata sint, nemo frui debet, quam in Ecclesiasticis, & Deo dignis Officiis, quæ neque ab aliis debent contingi, nisi a Sacratis hominibus*. Pluribus in locis idem confirmat Hjeronymus, præsertim vero in 44. Ezech. & lib. 1. contra Pelag. ibi enim inquit, *Religio Divina alterum habitum habet in Ministerio, alterum in usu, vitaque communi*: hic vero scribit, *Episcopos, Presbyteros, & omnem Clerum in Sacrificii administratione candidis Vestibus uti solere*, accedit, & Testimonium Chrysostomi homil. 83. in Matth. Theodoreti lib. 1. histor. c. 27. Bedæ lib. 1. histor. c. 29. & Joannis Diaconi, qui lib. 2. Vitæ Gregorii scribit, *Gregorium Papam inter alia dona in Angliam misisse Vestimenta Sacerdotalia, & Clericalia*. Cum vero Walafridius Strabo de Reb. Eccles. c. 4. doceat, quod *Vestes Sacerdotales per incrementa ad eum, qui nunc habetur, evectæ sunt ornatum*, intelligimus id Sacerdotalibus indumentis evenisse, quod rebus ceteris assolet, quarum quo antiquior est institutio, eo perfectior fit forma. Hanc itaque, ut breviter exponamus, consulimus Auctores illos, qui de Ecclesiasticis Officiis scripserunt ante mille circiter annos, eamdemque tradunt, ut illam a Majoribus acceperant. Antiquus Scriptor de Ritibus V. E. sub nomine Caroli Magni, Alcuinus, & Amalarius lib. 2. c. 17. *Amictus*, inquiunt, *seu Superhumerale est primum Vestimentum, nostrum quo collum undique cingimus*. Legali *Ephod* illum comparat Gemma Animæ lib. 1. c. 201. nam, ut docet Hieronymus Epist. 128. ad Fabiolam: *ubicumque in Exodo, seu in Levitico Superhumerale legitur*, Ephod *apud Hebræos appellatur*. *Ambolagium*, vel *Anbolagium*, sive *Anaboladium* in Ordine Romano scribitur a Græca voce *Anabole*, quæ Latine idem est ac *Amictus*. Secundum Vestimentum laudatis

Scriptores *Albam* vocant: *postea* inquit laudatus Amalarius l. c. cap. 1. *Camisiam induimus, quam Albam vocamus*, Græce dicitur *Poderis*. Vestem hanc describens Isidorus lib. 19. Originum c. 21. *Poderis*, inquit, *est tunica Sacerdotalis linea Corpori astricta usque ad pedes descendens*. Ordo Romanus *Lineam* vocat, De hac Veste agit Concilium Narbonense A. 589. can. 12. & Concilium Carthaginense IV. c. 41. extra Divina Officia uti Alba prohibet. Ne Alba defluat, & gressum impediat Cingulo stringitur, quod *Zona*, seu *Baltheus* vocatur, Sacerdotibus V. L. non ignotum; imò ab illis ad nos traditum. Quartum Sacerdotis indumentum Alcuinus, Amalarius, & Rabanus Maurus lib. 1. de Instit. Cler. c. 18. vocant *Mappulam* in Sudarii linteì usum introductam ad tergendas sordes; quare Ecclesiastici Scriptores etiam *Mantile* dixerunt, & *Sudarium*. Sæculo X. in locum Mapulæ suffectus est *Manipulus*, non ad tergendas sordes, sed ad ornatum. Primus omnium Manipuli meminit Ratoldus Abbas Corbejensis, qui vixit A. 980. In Concilio Pictaviensi sub Paschali II. c. 5. proprium Subdiaconi indumentum evasit Manipulus, cui Græcorum *Epimanicion* respondet. *Stola* nomen est antiquissimi indumenti Regum, Sacerdotum, & Privatorum. Genesis 41. Joseph induitur Stola Byssina, sic Mardochæus Ester 6. & Filius Prodigus apud Lucam 15. & lib. 2. Machab. c. 3 memorantur Sacerdotes stantes ante Altare cum Stolis Sacerdotalibus, & de Stola Summi Sacerdotis agit Joseph. lib. 15. Antiquit. cap. 14. & lib. 18. c. 6. Formam Stolæ apud Xenophontem legimus lib. 8. Cyroped. *Elegit itaque Stolam Medorum, & ipse ferre, & ut familiares eas induerent persuasit*. Hæc enim visa est occultare si quis defectum aliquem haberet in Corpore; ex quibus verbis colligitur Stolam antiquam Vestem oblongam fuisse, quæ totum Corpus ambiret. Plurimum itaque illorum temporum Stola differt ab hodierna: quomodo ergo indumentis Sacerdotalibus Stola accesserit, & antiquæ Stolæ successerit explicant Vincentius Riccardus in Commentariis ad Orationem VI. S. Procli, & Baysius de Re Vestiaria c. 17. In extrema parte antiquæ Stolæ assuta erat fasciola, seu Limbus ipsam Vestem ambiens, cui cum sit valde similis hodierna Stola, hinc fieri potuit, ut hoc illi nomen tributum sit. Quod Latini Stolam appellant, Græci vocant *Orarium* (non ita tamen certum est sit ne potius hæc vox Græca aut Latina) ex quo statim intelligitur Concilii Laodiceni canon 22. quo cavetur ne Subdiaconus Orario utatur. Vocatur etiam *Palla linostina*, & sic intelligitur Statutum S. Sylvestri, ut Diaconorum Leva, Palla linostina tegatur; & præterea intelligimus ante mille, & quadringentos annos invaluisse Stolæ usum, & usum Albæ, si Durando credimus, qui in lib. 3. c. 5. sui Rationalis Stolæ initium ad illud tempus refert, quo Alba deferri cœpit; sic enim ait: *Notandum, quod antiquitus Stola erat Vestis candida pertingens usque ad Vestigia, qua Patriarchæ utebantur ante Legem, quam Primogeniti tum benedictionem Patris acciperent induebant, & Domino victimas, ut Pontifices offerebant*. Sed postquam Alba cœpit portari mutata est in torquem. Agunt de Orario præter Laodicenum Concilium, Bracarense I. A. 563. c. 27. Toletanum IV. sub Honorio c. 27. Et Bracarense III. sub Aleodato c. 3. & Moguntinum sub Leone III. c. 28. præcipiunt, quod Presbyteri quando Ministeria sui Ordinis obeunt sine intermissione utantur Orariis propter differentiam Sacerdotalis dignitatis. His omnibus indumentis supponitur *Casula*, quæ alio nomine *Planeta* vocatur, & *Penula*, de qua Alcuinus de Divinis Off. cap.

quid

quid significent Vestimenta. Pro Penula autem Græci Auctores *Phelonium* legunt. Variis usibus hoc Vestimenti genus olim inservilt, ut plurimum prophanis, quod veterum Scriptorum testimonia probant, nec liquet quando ad usum Sacrum a promiscuo, & prophano translatum sit. Datum tamen Presbyteris in sua Ordinatione a mille circiter annis constat ex antiquo Ordine Romano, & ex libris Alcuini, Amalarii, & Rabani Mauri. Planetæ antiquitus integræ erant, & undique clausæ, ut Rupertus ait lib. 1. de Divin. Offic. rotundæ, & totum ambientes hominem a collo usque ad pedes, unicam in medio aperturam habentes, per quam caput immittebatur; hinc ut ait Gemma Animæ lib. 1. c. 207. earum limbus extrabundus utrimque in brachia sublevabatur, ut Sacerdotes operari, ac manibus libere uti possent, paullatim vero illas a lateribus scindere, & decurtare Latini Sacerdotes cœperunt circa Sæculum decimum, & primum hujus rei monumentum exhibet Joannis XII. expressa effigies, quæ observatur in cap. 14. lib. 1. Musæi Barberini editi a Rasponio sub titulo *de Basilica Lateranensi*, in qua effigie videtur Pontifex Casula indutus ex utroque latere aperta, in acumen utrimque desinente, & ultra cubitum protensa. Hæc de Sacris Vestimentis dicta sufficiant. Chrysostomus in Liturgia ponit Orationes, quas Sacerdos dicit cum his induitur. Concilium Lateranense sub Innocentio III. c. 19. vocat hæc Vestimenta Sacra, & nitida, & præcipit, ut munda conserventur. Amictum, & Albam debere esse ex linea materia ex Rabano loco supra cit. c. 15. constat, & ex Innocentio III. lib. de Myster. Missæ c. 36. ex Ruperto, aliisque omnibus, qui de his pertractarunt. Circa alia quatuor indumenta nihil a veteribus de illorum materia indicatum est, & propterea potuerunt esse linea, lanea, & serica, quemadmodum etiam apud veteres nihil reperitur statutum, quo maxime colore præstare deberent. Horum Vestimentorum usus a Concilio Tridentino Sess. XXII. cap. 1. probatur, & naturæ hominis conformis esse dicitur. Ex Ordine Romano patet oportere Vestes has esse benedictas, nec illis non benedictis uti posse Sacerdotes, & graviter illos peccare, qui scienter unam ex his induere detrectaverint; infringerent enim Ecclesiæ universalis usum, qui vim Legis obtinet, & ratio eadem esse potest de his indumentis Sacris, quæ est de aliis ornamentis Altaris, quæ ex præcepto necessaria esse diximus.

XII. Unum superest monere teneri Sacerdotes capite detecto celebrare, nisi infirmitas urgeat. Hujus prohibitionis documentum exhibet Gratianus in capite *nullus* de Consecr. dist. 1. in quo cautum est, *ne ullus Episcopus, presbyter, aut Diaconus ad Solemnia Missarum celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato capite Altario Dei assistere, quoniam, & Apostolus prohibet viros velato capite orare in Ecclesia, & qui temere præsumpserit Communione privatur*; Hoc Decretum edidit Zacharias Papa in Synodo Rom. c. 13. illudque plura Provincialia Concilia innovarunt, Bituricense in Gallia titulo 23. *de Missa*. Mediolanense I. in Italia titulo 5. *De iis, quæ pertinent ad Missam*, & Urbanum VIII. super hoc dispensasse constat ex suo Rescripto die 16. Febr. A. 1641. imò ad solum R. Pontificem beneficium hoc Dispensationis pertinere censuit S. C. C. die 2. Jan. A. 1590.

Neque prætereundum est quemlibet Sacerdotem teneri recitare ea omnia, quæ continentur in libris Liturgicis, quibus utitur sua Ecclesia ex Decreto Pii Papæ V. Græcis duplex est Liturgia, Basiliana pro diebus ferialibus

bus, & Liturgia Chrysostomi pro diebus solemnibus. Tenentur etiam, quæ palam pronuntianda sunt distincte, & clara voce dicere, & secreta quæ vocantur, secreto etiam pronuntiare. Demum propter erroris casum, qui in omni parte Missæ gravis, in Canone gravior, in ipsa vero Consecratione gravissimus est, tenentur etiam Missam legere, & ne memoriter dicant prohibuerunt Mediolanense I. Concilium sub S. Carolo, Burdigalense A. 1583. imò Bituricense A. 1584. Nec a cœcis vult, quod memoriter Missa dicatur. Et hæc satis sint dicta de iis, quæ singulis Sacerdotibus rem Divinam facturis sunt necessaria.

§ II. *Fideles etiam jure Ecclesiastico, quod in Divino fundatur, tenentur certis diebus, quos Festos appellamus, sistere se præsentes Missæ Sacrificio.*

XIII. Fideles etiam jure Ecclesiastico, quod in Divino fundatur teneri certis diebus, quos Festos appellamus sistere se præsentes Missæ Sacrificio, illud est, quod in secunda Controversiæ parte observandum proponimus. Favent huic Decisioni antiquitus introducti mores Missas diebus Dominicis celebrandi, ad quas Populus una cum suo Pastore conveniebat. Sic cap. 20. Actuum: *Una autem Sabbati cum convenissemus ad frangendum Panem*, ubi per unam Sabbati legunt omnes *diem Dominicum*, & per fractionem Panis *Missæ Sacrificium* intelligi palam est omnibus. Favet id, quod in sua 2. Apologia scripsit S. Martyr Justinus, ubi ritum celebrandi Divina Mysteria Sæculo II. describens ait; *Solis qui dicitur die, omnium qui vel in oppidis, vel ruri degunt in eumdem locum conventus fit, & Commentaria Apostolorum, aut scripta Prophetarum, quoad tempus fert leguntur. Deinde Lectore quiescente Præsidens orationem, quæ populum instruit habet. Precibus peractis Panis offertur, & Vinum, & Aqua.* Ad unum ergo locum fideles conveniebant antiquitus, ut in unam quasi Ecclesiam coadunati ipsa unitatis Mysteria convenientius agerent, Solis autem die conveniebant, ut Resurrectionis Christi Servatoris memoriam, quæ ipso die contigit recolerent, quem diem quondam prophanum, Sanctum jam, & Festum reddidit Apostolica auctoritas, diemque Dominicum appellavit, & religiosa solemnitate habendum esse sancivit: *nullumque hac die se a Missarum celebratione separandum, neque quemque domi manere oportere ceteris ad Ecclesiam pergentibus, sed ab omnibus viris, & mulieribus oblationem offerendam tam Panis, quam Vini* Matisconense II. Concilium canone 4. decrevit. Primi, & secundi Seculi felicitas fuit, cum multitudo Credentium ardentissimo Dei amore flagrabat, quod nihil impensius fideles optaverint, quam Missæ Sacrificio quotidie interesse, & quotidie Sacramenti participes fieri; at prope finem tertii fere desiit laudabilis iste mos, quia cœpit fervor languescere, quod ægre ferentes Ecclesiarum Pastores prius in Eliberitano Concilio, postea in Agathensi, in Carthaginensi IV. in Sardicensi, Meldensi, Nannetensi, & in aliis veterem morem renovare cupientes, diebus Dominicis, & Sanctorum Festis, ad Missas cuilibet Christiano cum oblationibus esse currendum speciali Ordinatione præceperunt, quam postea renovarunt Concilium Forojuliense can. 13. Emeritanum can. 19. Aurelianense III. can. 18. & Triburiense can. 35. Ex his igitur infertur hanc obligationem jure Ecclesiastico introductam eo tempore cœpisse quo Con-

Concilium Eliberitanum actum est, labente nimirum tertio Sæculo, ut probabilior sententia fert, quam solide probat Morinus libro 9. de Pœnitentia c. 19.

XIV. Illud etiam Agathenses Patres voluerunt nullos fideles ante Sacerdotis benedictionem cum Missæ Sacrificium offerebatur ab Ecclesia exire, quare can. 47. ita sanxerunt: *Missas die Dominico sæcularibus totas audire speciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat*. Quod etiam Aurelianense Concilium decrevit referente Walafrido cap. 22. de rebus Ecclesiæ, & Tolosanum A. 1590. & Mediolanense 1. sub S. Carolo; fuisse hoc autem valde convenienter statutum, ex eo colligitur, quod sicut ordinatum est ab Ecclesia per reverentiam Sacramenti, & propter instructionem, & admonitionem fidelium, ut Missæ Sacrificium cum toto illo cæremoniarum apparatu fiat; ita merito omnibus fidelibus præcipitur, ut toti Sacrificio, prout in Ecclesia fit assistant: *Si quis autem hujus præcepti violator extiterit, culpæ conditionem, quantitas, & ratio omissionis judicabit*. Olim etiam ex antiquo jure tenebantur fideles Missam audire intra propriam Parochiam, ut Canonistæ communiter tenent, verum nunc satisfacit præcepto quicumque fidelium Missam audit, quocumque illam audiat, ut Ecclesiastica fert Consuetudo, per quam, si quod aliquando fuit de hac re jus antiquum, abrogatum est. Neque contrarium docuerunt Tridentini Patres, qui Sess. xxii. in Decreto de observandis in Celebrat. Missæ non præcipiendos, sed inquiunt: *monendos esse Populos, ut frequentes* (quem loquendi modum plurimum interest advertere) *ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis, & majoribus Festis accedant*. Supponunt ergo Patres nullum de hac re esse præceptum. Hoc tamen exigunt in illo, qui Missæ interest, ut externum Corporis situm decenter componat, sic enim loquuntur loco citato: *neve patiantur Ordinarii locorum sanctum hoc Sacrificium peragi, nisi prius qui interfint, decenter composito corporis habitu, declaraverint se mente etiam, ac devoto cordis affectu, non solum corpore adesse*.

Illud etiam optandum esset, ut quis cum fructu Missam audiret, quod illius conscientiam lethalis culpa non læderet, aut saltem contritus adesset, neutrum tamen est necessarium, attenta natura Sacrificii Missæ, est enim Propitiatorium, & consequenter per ipsum fieri potest, ut quis tum culpæ, tum pœnæ remissionem consequatur. Consulendus est itaque peccator quilibet, ut frequenter huic Sacrificio intersit; nec obstat quidquid Disciplinæ causa, in primis Ecclesiæ Seculis servabatur cum a Sacris Mysteriis solemniter arcebantur Pœnitentes ne Sacrificio adessent, cum aliunde constet, consentientibus ipsis Ecclesiarum Pastoribus, etiam plures interfuisse ex illis, quos certo constabat esse Peccatores, & tales erant mulieres adulteræ, quæ ne a viris detegerentur, in Consistentium Pœnitentium classe manere permittebantur, quibus licitum erat cum ceteris fidelibus adesse Sacrificio. Præterea Contritio ipsamet est effectus Sacrificii, ergo non est necessaria, *hujus quippe oblatione placatus Dominus*, inquit Concilium Tridentinum l. c. cap. 2. *gratiam, & donum pænitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit*.

Id quod requiritur in impio qui Missæ Sacrificium audit est incohata saltem Pœnitentia, & hoc est id, quod requirit Concilium, cum exigit devo-

tum

tum cordis affectum, quo certe impius destituitur, quem nihil præteritorum facinorum memoria, ad pœnitentiam excitat. *Illud impius curare tenetur ne sit vacua, & egena sua oratio, ne sit execrabilis, cum Sacrificium Eucharistiæ illi non operetur nisi per modum orationis, vera autem oratio ibi non est, ubi nullus invenitur peccatorum dolor. Diaboli invocatio est*, inquit Nyssenus oratione 2. de Oratione Dominica, *improbi, atque scelesti hominis oratio, quamdiu in improbitate fuerit*, idest permanere voluerit, *sed si sollicitus fuerit de obtinenda contritione per Sacrificium effectu non frustrabitur. Meminisse etiam debent, qui Sacrificio Missæ intersunt, teneri eo mentis affectu Missam audire, qui satis sit ut charitate Christo uniantur, una totalis Hostia efficiantur, atque per ipsum, & cum ipso pari affectu se totos Deo immolent in testimonium suæ dependentiæ, gratitudinis, & pœnitentiæ pro peccatis; Hoc etiam illos sentire oportet, quod in Christo Jesu, non solum ut se per humilitatem exinaniant, sed ut Crucifixionem Domini repræsentantes stigmata ejus portent in Corpore suo, & in ara Cordis se ipsos Domino crucifigant; Illud præterea sciant quod cum Sacrificium exterius sit sacrum signum Sacrificii interioris, se signum mendax exhibere, nisi sincero animo se ipsos ut victimam offerant, & esse derisoriam eorum cæremoniam, qui cum fastu, & arrogantia Missæ Sacrificio intersunt, & esse maximam hypocrisim, si cum in peccato permanere velint, statuerint nihilominus, cum se occasio dederit, ac si homines justi essent, opus Religionis sanctissimum, & maximum Mysteriorum omnium peragere.*

CAPUT IV.

DE SACRIS LITURGIIS.

§. I. *A primis usque Incunabulis Ecclesia suis Liturgiis non caruit plures tamen earum, inter Apochripha Monumenta rejicimus.*

I. QUem nos in Missæ celebratione ordinem sequimur Lectionum, Precum, & Cæremoniarum, veteres Liturgiam appellarunt. Mirum ergo non est, quod plures ex his circumferantur, cum forma, & ritus offerendi Sacrificii idem ab omnibus non observetur. Inter præcipuas vero Eruditi recensuerunt Apostolicas, illis addiderunt Liturgiam Clementis, Basilii, & Chrysostomi apud Orientales insigniores, Occidentalibus vero Ecclesiis attribuerunt Romanam, Ambrosianam, Hispaniarum, & Galliarum. Non exponimus hic illarum discrimina, quæ videri possunt apud illos Auctores, qui de Ecclesiasticis ritibus, & Sacrificio Missæ scripserunt; unum aut alterum animadvertimus, veluti præmittendum iis, quæ statim addemus disputaturi de Cæremoniis Missæ. Itaque

II. Dicimus primo non esse genuinum opus Petri Liturgiam illam, quam in Apullia inventam, Græce, & Latine Sorletus edidit, & Lindanus no-

notis, & ampliſſimis Commentariis illuſtravit, tum quia per mille quingentos, & amplius annos nullus ex Orthodoxis Scriptoribus hujus monumenti vestigium reliquit, tum quod pulcherrima calographia deſcripta apparuerit, ut impreſſam non pauci ſpectatores illam judicaverint, tum demum quod plura in illa legantur excerpta ex Liturgiis Jacobi, Baſilii, & Chryſoſtomi, & demum quia Canon Romanus in illa legitur eidem inſertus juxta recentiorum temporum morem, quem Canonem præferre ſtylum auctoris Scholaſtici jam obſervaverat Magnus Gregorius in libro 7. Epiſt. 64.

III. Dicimus 2. idem ſentiendum eſſe de Matthæi, & Marci Liturgiis. Non inficiamur certe ſanctiſſimum Apoſtolum, & Evangeliſtam formam aliquam, & ritum ſacrificandi Æthiopibus reliquiſſe, non illum tamen fuiſſe credimus, qui hodie S. Matthæo adſcribitur: innumeris enim ſcatet erroribus, & præſertim quod Jeſum Chriſtum vocat Filium Patris, & Spiritus Sancti, quod invocat nonaginta novem Angelorum Ordines, & Diſcipulos Domini quingentos, & illos Eccleſiæ Doctores Athanaſium, Gregorium, Baſilium, Cyrillum, Chryſoſtomum, qui tribus Sæculis ab Apoſtolorum ætate fuerunt disjuncti, plurimaque alia recenſeat, quæ falſa ſunt, erronea, & illi ætati minime congruentia; Neque diſſimulamus S. Marcum Eccleſiæ Alexandrinæ Liturgiam tradidiſſe, non illam vero, quæ ad nos pervenit, cum ſuis abſurdis non careat, quæ temporum non obſervata ratio elicit ex rebus iis, quæ in illa memorantur. Memorat Liturgia hæc Sanctiſſimum, & Beatiſſimum Papam, & Epiſcopum Reverendiſſimum, nomina tribus Eccleſiæ Sæculis inaudita, meminit Patenarum, quæ ſunt opus temporis longe ab Apoſtolis remotioris, & in Sacrificii uſum introductum: *Omouſion*, & *Triſagion* voces a Patribus Synodi Conſtantinopolitanæ Symbolo inſertas adhibet, aliaque plura his ſimiliá continet, quæ Balſamonem Patriarcham Antiochenum movere potuerunt, ut in reſponſione ad quæſtionem Marci Alexandrini, & in explicatione Canonis 32. Concilii Trullani hanc veluti Pſeudopigrapham rejiceret.

IV. Dicimus 3. quod ſi illa eſſe minime ſuſpecta habenda ſint, quorum aliqua mentio habetur in primis Catalogis, & quæ momenta ſumit ab aliquo Scriptore ſequentium proxime Sæculorum, cum Scriptores aliquos habeamus, qui ſubinde Jacobi Liturgiam laudant, hanc genuinum eſſe Jacobi fœtum cognoſcimus, quoniam novimus veteres ea aliquando eſſe uſos ad Catholicæ Fidei dogmata comprobanda, ut pluribus auctoritatibus ex variis Scriptoribus deductis probat Allatius in Epiſtola ad Bartoldum Nihuſium edita in ſuis Symmictis p. 176. Certe ex illa auctoritatem excerpſit Trullana Synodus in can. 32. ut eorum errorem refelleret, qui Vinum aqua mixtum in Sacrificio Miſſæ offerendum eſſe negabant. Multa ex ea tranſtulit in ſuam Catecheſim Myſtagogicam 5. Cyrillus Jeroſolymitanus, & eam in uſu fuiſſe temporibus Magni Baſilii, teſtatur Manuel Malaxus in Nomocanone, & perpetua Eccleſiæ Græcæ traditio illam ſemper agnovit, ut legitimam, neque aliam ante Jacobum unquam ſcriptam fuiſſe Liturgiam, imò ad ejus normam reliquas omnes inſtitutas fuiſſe teſtantur Syri apud Abrah. Ecchellenſem in notis ad Hebedieſu de Scriptoribus Chaldaicis p. 135 Nonne propioribus ætati Jacobi notiores eſſe ejus fœtus genuini debuerant, quam poſtea natis? Quo enim ſerius naſcimur eo infirmior rerum præteritarum notitia ad nos perveniat. Non

ii tamen sumus, qui arbitremur non licere recentioribus rejicere libros illos, quos veteres admiserunt, si graves sint illis rationes; scimus enim Sibyllina Oracula, aliaque his similia avide a veteribus Christianis excepta, quæ a Recentioribus merito rejecta sunt ob clara fraudis indicia, quæ a veteribus non sentiebantur. Verum hæc fraudis indicia Recentiores non reponunt; nec monumenta, quæ adeo efficacia sint, ut illa facile refellere non possimus, dum enim inquiunt voces *Homousion*, *Theotocos*, *Trisagion*, & *Doxologiam*, quæ in hac Liturgia leguntur, Recentioris ævi inventa esse, profecto dissimulant se nescire id, quod Athanasius scribit in libro de Decretis Concilii Nicæni, Theodoretus in lib. 1. Histor. Eccl. cap. 3. & Eusebius Cæsariensis acerrimus propugnator Factionis Arianæ apud Socratem lib. 1. cap. 5. Dissimulant Evagrii testimonium contra Nestorium in lib. 1. histor. cap. 2. & ea, quæ idem Theodoretus asserit in 4. hæreticar. fabul. c. 12. Dissimulant se nunquam Hymnum *ter Sanctus* in Isaiæ cap. 6. legisse. Dissimulant tandem solemnem *Doxologiam*, vel ut antiquissimi Patres loquuntur glorificationis Hymnum fuisse Nicæna Synodo antiquiorem, ut luculenter Baronius probat ad A. Christi 325. cum fideles ab ipsis Apostolorum temporibus tres Divinas Personas, in quarum nomine baptizati fuerant, dicto hymno glorificare cœperint. Nihil jam huic Liturgiæ officit, quod a Laodicena Synodo non memoretur, neque recenseatur inter Veteris, & Novi Testamenti, ipsosque Apostolicos libros, qui in usu nobis esse debent; neque efficit, quod illam ita locupletatam Bellarminus viderit a posterioribus, ut non sit facile judicare, quæ pars hujus Liturgiæ Sanctum Jacobum habeat auctorem; nam primo responderi poterit egregios nobis aliquot superesse Scriptorum libros, quorum suppares, qui quidem supersint, nullam mentionem fecere, ut in Deuterocanonicis utriusque Testamenti libris advertimus, qui ab initio in Ecclesiæ canonem relati non fuere eoquod de eorum auctoritate nonnulli Catholici dubitaverint, quos postea Tridentini Patres in Canonem retulerunt, & ab omnibus Christianis nunc admittuntur. Responderi potest secundo, quod facilius est dicere alicui scripto nonnulla fuisse addita a Recentioribus, quam id probare, & propterea si alicui illud est licitum affirmare, aliis licebit hoc idem negare. Potuissent explorare illi, qui hæc additamenta fingunt dissimilitudinem Styli, ex qua plurimi collegerunt Apostolica non esse varia, quæ illis olim tribuebantur, debuissent ostendere pleraque in illa Liturgia Legi non recta, & eo a quo scripta fuerunt indigna, alioqui potuit contingere, ut additamenta quædam illi fuerint adsuta, quæ non obstant quominus ceteroqui Liturgia ejus sit, cujus nomen præfert. Constat jam in Libris Moysis, & caput ultimum Deuteronomii, & alia aliquot loca esse a recentiori manu, & non ideo minus certum est libros illos esse Moysis.

V. Dicimus 4. duas alias Liturgias adscribi ab Orientalibus duodecim Apostolis, & alteram S. Barnabæ, sed qui de illis agunt divinando potius loquuntur, quam certi aliquid docent: destituuntur enim singulæ illis Caracteribus, quibus genuinus aliquis fœtus cognoscitur, argumentis scilicet petitis ex adcuratis rectæ rationis, atque Critices artis Canonibus. Non putarem hoc dicendum de Liturgia Clementis summi illius Apostolorum Discipuli, ac successoris, qui ut scribit Proclus in initio Tractatus de Traditione Missæ Sa-

cro-

crosancta illa Mysteria a Sanctis Apostolis sibi revelata in lucem edidit, nisi locus obstaret, ubi descripta invenitur. Hæc legitur in capite 61. libri 2. Constitut. Apostolicarum, quas Apostolis, & ipsi Clementi Romano suppositas fuisse Gelasius primus decrevit in Synodo Romana A. 494. & magni nominis Scriptores maximis momentis probant. Verum cum fortasse id potuerit his Constitutionibus contingere, quod Clarorum Virorum scriptis antiquioribus sæpe usuvenisse compertum est, ut quæ antea erant optima Christianæ pietatis Monumenta, eadem postea impiè manus hæretica interpollaverit, cum præsertim Ignatius Antiochenus in suis duodecim Epistolis, Athanasius in Synopsi, & Epiphanius Hæresi 45. & 70. ex iis libris Sententias summa cum eorum laude, aut testimonia citaverint; hinc cum Baronio ad A. 102. n. 23. cum Bellarmino libro de Scriptoribus Eccles. aliisque non paucis, illam legitimam esse putamus, & deinde auctam a Successoribus; nam Apostolorum mos fuit, post recitatam solummodo Orationem Dominicam, Oblationis Hostiam consecrare; quemadmodum tradunt Gregorius Magnus lib. 7. Epist. 63. & Honorius Augustodunensis Gemma Animæ c. 86. deinde vero ut constat ex 1. ad Timot. 2. iidem Apostoli jusserunt addere preces, obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & pro iis, qui in sublimitate sunt, ut quietam, & tranquillam vitam singuli agerent in omni pietate, & castitate; unde contigit illa prolixior Oratio, quam referunt Chrysostomus hom. 27. ad Cor. & Augustinus Epist. 149. hæc autem omnia eorum Successores certo ordine disposita scriptis consignarunt, usuque frequens communia reddidit, novo Cæremoniarum, & Orationum apparatu, quæ ad Sacrificii substantiam non pertinent.

VI. Clementis Liturgiæ altera accenseri potest, quam in cap. 3. Eccles. Hierarc. Dionysius exponit, quamquam Theodorus Presbyter, aut quivis alius in Photii Bibliot. Cod. 1. sub Theodori nomine illi adversetur hoc præcipuo fundamento, quod cum Dionysius coævus fuerit Apostolis, inverisimile omninò est ipsum describenda suscepisse ea, quæ longo tempore ab ejus morte in Ecclesia orta sunt, & excreverunt. Falsum siquidem est Apostolorum temporibus ritus illos non invaluisse, quos hic Auctor describit. Fortasse pompa, & apparatus, Templorumque majestas, & magnificentia, sicut ab eo describuntur, nascenti Ecclesiæ, & Sacerdotibus sævientium Tyrannorum metu secreto celebrantibus, nobis qui spiritu, & corpore plurimum ab illa ætate distamus inverisimilia videbuntur, verum ab Apostolis fuisse ritus hos traditos egregio Basilii testimonio probatur, quod petitur ex capite 27. libri de Spiritu Sancto ubi scribit: *Benedicimus autem aquam Baptismatis, & oleum Unctionis, præterea ipsum, qui Baptismum accipit. Ex quibus Scriptis? Nonne a tacita, secretaque Traditione? Jam ter immergi hominem; unde ex Scriptura haustum? Reliqua item quæ fiunt in Baptismo, veluti renuntiare Satanæ, & Angelis ejus, ex qua Scriptura habemus? Nonne ex minime publicata, & arcana hac Traditione?.... Ad eum profecto modum, & qui in primordiis Ecclesiæ certos ritus præscripserunt Apostoli, & Patres in occulto, silentioque Mysteriis suam servavere dignitatem*. Ex hoc vero quod in ritibus his describendis, magnifico stylo usus sit, id tribuendum esse dignitati, majestatique rerum, de quibus Dionysius agit, auctor est D. Thomas, qui Sermone in ejus Festo illi accomodans hæc Isaiæ verba cap. 46. *vocans ab Oriente*

te avem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ, notat nomine *Avis*, sapientiæ illius sublimitatem significari, ipsique tribuit triplicem in Cælos volatum, scilicet in Cœlum Humanæ naturæ, in Cœlum Angelicæ naturæ, & in Cœlum Sanctissimæ Trinitatis; quare ex hac Styli, sermonisque discrepantia, & dissimilitudine ab illo, qui communis erat auctoribus primi, & secundi Ecclesiæ Sæculi argumentum peti non potest, ut probetur Liturgiam illam esse S. Dionysio abjudicandam, alioquin propter ejusdem styli, sermonisque distantiam a ceteris, potuissent aliqui Epistolæ illius, quam Apostolus scripsit ad Hebræos, quæ ceteris eloquentior est, de vero illius Auctore Paulo dubitare, Auctoremque ejusdem credere, vel Barnabam, ut Tertullianus, vel Lucam Evangelistam juxta quosdam, vel Clementem Romanæ postea Ecclesiæ Episcopum, quem ajunt Sententias Pauli, proprio ordinasse, & ornasse sermone. Hinc merito Parisienses Doctores A. 1527. hanc Erasmi Propositionem perstrinxerunt: *Dionysius, qui in 2. Hjerarchia, idest Ecclesiastica, priscos Ecclesiæ ritus satis copiose describit, eruditus recentior quispiam fuisse videtur, quam fuerit Areopagites ille*: ut antea jam damnaverant, scilicet A. 1520. Lutheranam alteram Propositionem: *Dionysium in Ecclesiastica Hjerarchia ludere allegoriis, quod est otiosorum hominum studium*, ut falsam, temerariam, & arroganter assertam, ac viro Sancto, insigni eruditione claro injuriosam, quem Damascenus *Divinum Areopagitam, Pauli Discipulum, acerrimum, & deiloquentissimum appellat*; nec quidquam obstat, quod hujus Operis non meminerit Hjeronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, quia eos præcipue commendavit Hjeronymus, quos Eusebius laudaverat, ut in Prologo Catalogi idem testatur. Eusebium vero quam plurimos omisisse, qui ad ejus manus non pervenerunt S. Maximus Martyr ait in Prologo ad Opera S. Dionysii scribens: *Etenim nec prorsus omnia se collegisse ait, imò magis fatetur libros, qui ad ipsum non pervenerunt esse numero superiores, & sane multorum meminisse possem, quos minime habuit, & hos quidem suæ Regionis, ut Hymenæi, & Narcissi, qui Sacerdotes Jerosolymis fuere; item neque Pautænii opera descripsit, neque Clementis Romani, nisi duarum tantum Epistolarum, sed neque plurimorum aliorum*. Quod vero etiam veteres Patres Dionysium Areopagitam non citaverint, mirum esse non debet, cum ea quæ tractavit in suis Operibus argumenta, remotissima sint ab iis, quæ Patres alii tractanda susceperunt Et hæc dicta sint de Liturgiis Apostolicis. Ut igitur aliqua addamus de Liturgiis ceteris illustrioribus

VII. Dicimus 5. Fidei fervore deficiente homines terrenis negotiis immersi Missam a Jacobo editam nimiæ prolixitatis accusabant, propterea ut Proclus Chrysostomi discipulus, & in ejus Throno successor scribit loco supra citato: *Magnus Basilius hominum socordiam, & in deterius prolapsionem conspicatus, ac proinde longinquitate producta Missæ pertæsos, non quod ipsa supervacaneum quidquam, vel nimis longius productum in ea fore arbitraretur, sed ut pariter, tum simul orantium, tum audientium ignaviam ex longo illo temporis intervallo praecideret, breviorem recitandam tradidit*. Utrum vero unam tantum scriberet, aut adderet etiam alteram ex Jacobo Goar intelligimus. Hic in suo Græcorum Euchologio p. 185. geminam scriptam suspicatur, breviorem unam, alteram proliziorem, illam tamen ait posteritati traditam, omniumque consensu approbatam: Unam e Græco translatam, quæ incipit, Do-

Dominus Deus noster, qui Cœlestem Panem universi Mundi nutrimentum Dominum nostrum, & Deum J. C. Salvatorem, & Redemptorem, & Benefactorem nos Benedicentem, & Sanctificantem misisti &c. alteram ex Syriaco Latine editam, quæ *Anaphora* inscribitur. Addidit tertiam Victorius Scialcch Maronita ab ipso translatam in latinum ex Egyptiaco Codice cum Arabica interpretatione, quam valde dissimilem agnovit a Græcis Exemplaribus. Basiliana Liturgia raro Græci utuntur, sic enim legitur in Typico Græcorum: *Sciendum est in diebus Dominicis magnæ Quadragesimæ, & in Vigiliis Domini Solemnitatum Magni Basilii Liturgiam fieri. Similiter & in commemoratione ipsius. Præsanctificatorum vero Quadragesima dies sibi vindicat, & Reliquis totius anni diebus Joannis Crysostomi Liturgia.* Componendæ Liturgiæ eadem fuit Chrysostomo ratio, quæ fuerat antea Basilio, *naturæ Humanæ socordiam, ignaviamque respiciens, fibras omnes, ac radices Satanici prætextus hujus, prorsus voluit evellere.* Verba sunt Procli l. c. *& idcirco multa præcidit, & concisiori, pressiorique Oratione Sacrum conficiendum statuit.* De hac egit laudatus Goar in suo Euchologio. Sunt & Alia plura Liturgiarum genera ad Ecclesiam Orientalem spectantia. Vansflebius in Gallica Ecclesiæ Alexandrinæ Historia par. 2. cap. 28. *Jacobitas ait, non secus ac Abyssinos duodecim habere Liturgias 1. S. Joannis Evangelistæ 2. Trecentorum decem, & octo PP. qui Nicæno interfuere Concilio 3. S. Epiphanii 4. S. Jacobi Syrugiensis 5. Joannis Chrysost. 6. Christi Domini 7. Apostolorum 8. S. Cyriaci 9. S. Gregorii Nysseni 10. Dioscori 11. S. Basilii 12. S. Cyrilli.* Abraham Ecchellensis in Notis ad Catalogum Hobediesu p. 134. *apud Christianos Orientales* ait *supra quinquaginta numerari Liturgias, communes partim, & partim proprias singularium Gentium, quarum triginta unam penes se extare recenset.* Infinitus esset, qui Liturgias omnes recensendo enumerare vellet Orientalibus singulares, & ut Nicephorus Callistus, ait in quæst. libro 12. cap. 34. *Opus valde laboriosum, & difficile variantes per Urbes, & Regiones omnes Ecclesiarum consuetudines, perscribere, id enim omninò fieri nequit.* Agit de his Richardus Simon in Notis ad Apologiam Gabrielis Severi Metropolitæ Philadelphiæ n. 10.

VIII. In hac tamen Liturgiarum amplissima segete Latinus, Græcusque ritus, quam qui maxime excellunt. Hic communis est Moscovitis (qui tamen hordeaceum Panem offerunt, & consecrant, ut Jo. Faber Viennensis Episcopus scribit in Tract. de eorum Religione) Christianis Tartaris incolentibus circa Tauricam Chersonesum, Christianis degentibus in Servia, Mysia, Bosnia, Bulgaria, Russia minori, Volhinia, Podolia, & parte Lithuaniæ, aliisque finitimis Regionibus, Mengrellensibus item, Georgianis, Melchitis, & iis qui Albaniam incolunt in Europa, quæ ad mare Jonicum vergit, & Illyrico jungitur, & Epirum complectitur. Armenorum etiam Liturgia Græcorum ritum in plerisque imitatur, adeout verba quædam Græca in ea permanserint. Et demum cum Græcis etiam in quibusdam Consuetudinibus conveniunt Maronitæ. Proprias habent Liturgias Nestoriani, & Jacobitæ disseminati per Syriam, Assyriam, Persidem, Indiam, aliasque finitimas Asiæ regiones. Peculiaris item est Liturgia Jacobitis Egyptiis, qui Cophti, seu Copti vocantur, & Æthiopibus, sive Abyssinis. Specialem habent Armeni, quam sequuntur Albanenses; qui inter Armeniam, & mare Caspium degunt. In Istria, in Liburnia, in Dalmatia Littorali Ritus Romanus est; item in Naxivanensi Provincia Armeniæ majoris, & licet Maronitis, qui Libani Mon-

tis juga, vicinasque planities incolunt specialis sit Liturgia, tamen in illa eadem fere contineri, quæ in Missa Latina, Allatius scribit loco citato, diverso tamen ordine, diversisque cæremoniis. Idem Romanus ritus a temporibus Alexandri II. in Regno Aragoniæ receptus est Gothico explosо A. 1068. postea in Catalaunia, postea in Regno Navarræ, & demum in toto Hispaniarum Regno, sic suadente Sancto Pontifice Gregorio VII. Mozarabico abrogato A. 1080. qui tamen Mozarabicus ritus suscitatus opera Francisci Ximenii Archiepiscopi Toletani, hic providit, ut custodiretur in Divinis Officiis, & Missarum Solemniis celebrandis in Sacello, quod in Majori Toletana Ecclesia ædificavit, quod factum est usque in hodiernum diem. Observatur item hic ritus Toleti in aliquibus Paræciis, itemque Salmanticæ in Sacello Doctoris Talabricensis. Ritus Latinus est, sed Ordo a Romano diversus, & diversæ Cæremoniæ, quod etiam discrimen observatur in Missa Ambrosiana, quam scilicet S. Ambrosius referente Walfrido lib. de Eccles. c. 22. suæ Ecclesiæ, & aliis Liguribus ordinavit. Quemadmodum etiam observatur in Liturgiis illis Gallicanis, quæ usque ad tempora Pipini, & Caroli Magni Francorum Regum perseverarunt, quorum cura ritus Romanus in Gallia est introductus, cum antea peculiaris fuerit Missis Gallicanis ritus Mozarabicus, ut patet, tum ex eo, quod Sanctorum gesta (ut Halcuinus Abbas scribit in Epistola ad Ludovicum Pium suis Areopagiticis præfixa) & Martyrum Passiones in Præfationibus, & aliis precibus insertas habeat, tum etiam ex eo quod Carolus Calvus Rex Francorum ab Ecclesia Toletana adsciverit Presbyteros, qui prisco, & dudum in Galliis abolito ritu, coram se Sacrificium offerent, ut ipse testatur in Epistola ad Clerum Ravennatem ; tum demum, quod Gregorius Turonensis lib. 4. c. 16. Lectam primo ad Missam ait Prophetiam, tum Lectionem ex Apostolo, demum Evangelium, & lib. 7. c. 8. meminit Silentii indicti in Missa, quæ singula propria sunt Missæ Mozarabicæ. Ex quibus infertur non esse audiendum Matthiam Flaccum Illyricum Centuriatorum Principem, qui *Missam Latinam a se primo editam Argentinæ* A. 1557. *cum hoc titulo: Missa Latina, quæ olim ante Romanam circa Septingentesimum Domini annum in usu fuit, bona fide ex vetusto, authenticoque Codice descripta* (scripsit in ejus Epistola præliminari) eandemque ait *in usu fuisse in Occidente, præsertim in Gallia, & in Germania, antequam Romana Missandi ratio ubique recepta esset*. Hanc enim non Galliarum, sed propriam fuisse Salisburgensis Ecclesiæ, noverunt periti Critici, Romanæ quidem Missæ varias partes non refert, sed eodem Ordine recitandas indicat, ac proinde est ipsamet Missa Romana, sed quibusdam Orationibus, quæ integræ describuntur, interpolata, quas Sacerdos privatim dicere consueverat dum cantaret Chorus. Pontificale vetus Salisburgense ante A. 600. exaratum eandem Missam compendio contractam exhibet, multaque in ipsa Illyrici editione continentur, quibus Romanæ fidei dogmata, & ritus confirmantur; imprimis Sanctorum, & B. Virginis invocatio, Realis præsentia Christi in Eucharistia extra sumptionem, auricularis Confessio, pro Vivis, & Defunctis Oratio; quæ cum doctiores Lutherani animadvertissent, omnia edita Exemplaria, quotquot reperire potuerunt, in unum congesta igne concremarunt. Ex his autem antiquissimis Latinis, & Græcis Liturgiis manifestissime se prodit veritas Catolica, quam semper docuit, & docet Ecclesia de Sacrificio Altaris; quamvis enim ritus Græci, & Gothici a Romanis non parum differant, mul-

multa sunt tamen, in quibus conveniunt, ut pleraque sunt, in quibus differunt tantum secundum elocutionem, sensus idem est, & diversa Phrasis, partes autem essentiales sunt prorsus eædem. Qui igitur Missam impugnant, a totius antiquitatis auctoritate, ut Novatoribus accidit, coarguuntur.

IX. Differentia Elocutionis in Sacris Liturgiis est multiplex. *Tribus linguis, Hebraica, Græca, & Latina cantari præcipitur Missa*, scribit Honorius Augustodunensis de Gemma Animæ lib. 1. cap. 92. Veteres Orientis Liturgiæ non habent nisi Græcam, & Chaldaicam linguam, Romæ, & in toto Occidente communiter Latine celebratum est. Apostoli in sacro Mysterio, vel Hebraico sermone usi sunt, quod visum est Jo. Echio lib. 2. de Sacrificio Missæ cap. 2. vel illo, quod tunc illis erat commune, & vernaculum, quod longe verisimilius affirmatur, cum Donum Linguarum a Spiritu S. acceperint, ut fidem, & sacra Mysteria proprio cujusque Gentis Idiomate prædicarent, docerentve, & id erui potest, tum ex Jacobi Liturgia, quæ Græce scripta est, tum ex illis verbis Apostoli 1. ad Cor. 14. *Si benedixeris Spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen super tuam benedictionem, quoniam quod dicas nescit?* Quæ intelligenda esse de Sacrificio Missæ, ut non celebretur ignoto, & peregrino Sermone, docent S. Thomas, Primasius, Petrus Lombardus, aliique. Verum tamen est, quod quo sermone primum Liturgiæ fuerunt compositæ, sive Chaldaico, sive Græco, sive Latino, semper eodem celebratæ sunt, quamvis illæ linguæ desierint esse vulgares, plurimum enim intererat ad majorem Ecclesiæ unitatem, ut sacra Mysteria eodem modo ubique fierent, & omnibus temporibus, ne cum mutatione linguæ, aliquam etiam magni momenti mutationem, vel etiam substantialem in sacro Mysterio fieri contingeret. Licitum sibi esse putarunt recedere ab hac universali consuetudine Moscovitæ Tartari, cæterique, quos supra his adjunximus, utpote qui Divina Officia peragerent ritu Græco, sed tamen horum sermo est Illyricus. Suo idiomate utuntur Mengrellenses, & Georgiani, itemque suo Albanenses Europæi ab Illyrico, & Græco diverso, Jacobitæ Ægyptii, seu Cophti lingua Cophtica, Abyssini lingua Æthiopica a populari diversa, & Armeni omnes lingua Armenica utuntur. Seculo IX. aut sub finem X. in Istria, in Liburnia, & in Dalmatia littorali Divina officia, & Liturgia ipsa lingua Sclavonica, seu Illyrica, seu vernacula celebrari cœpit, annuente Joanne VIII. Rom. Pontif. ut constat ex ejus Epist. 247. ad Sfeutopulchrum Moraviæ Comitem scripta, hac conditione, ut Evangelium Latine legeretur, & postmodum in Sclavonica lingua translatum, auribus Populi Latina verba non intelligentis, annuntiaretur. Alexander tamen II. & deinde Septimus Gregorius prohibuerunt ne de cætero secundum Sclavonicam linguam, sed secundum Latinam, aut Græcam Missa, & Divina officia celebrarentur, quapropter Latinam elegerunt. Numquid in Judæa post Captivitatem Babylonicam Scripturæ legabantur secundum antiquum sermonem Hebræum, quem amplius vulgus non intelligebat? 2. Esdr. c. 8. Preces publicæ ad Deum diriguntur, qui omnium corda, & linguas novit, nec unquam Summus Sacerdos Aaronicus melius pro Populo orabat, quam cum semel in anno in Sancta Sanctorum ingrediebatur, cum tamen vox ejus a Populo non audiretur. Vanum est Heterodoxorum hoc effugium, & si Lutherani Missalia sua consuluissent ante hæresim edita, paucas ut puto Missas Linguæ Ger-

Germanicæ reperiissent. Quapropter merito Tridentini Patres in Decreto 8. Seff. xxii. statuerunt, *sibi visum esse non expedire ut Missa vulgari lingua passim celebraretur*, puto certe, quia posita inter homines tanta varietate, ac mutatione idiomatum, hæc facile suscitare hæreticos possunt, dum concitant idiotarum multitudinem ad ferendam de rebus Divinis sententiam; *Neque enim* (ut optime scribit laudatus Sanctissimus Pontifex Gregor. VII. Vratislao Bohemorum Duci indultum petenti, Divinum officium lingua Sclavonica celebrandi) *ad excusationem juvat, quod quidam Religiosi viri hoc, quod simpliciter populus quærit, patienter tulerunt, seu incorrectum dimiserunt, cum primitiva Ecclesia multa dissimulaverit, quæ a S. Patribus postmodum firmata Christianitate, & Religione crescente subtili examinatione correcta sunt*; quemadmodum neque ad excusationem, juvare debet id quod loco citato scripsit Apostolus, nam præter quam quod D. Thomas, Primasius, & alii pro Ministro, qui Missæ inservit, & loco Populi Sacerdoti respondet, interpretantur laudata verba, opportere scilicet illum intelligere, ut respondere possit, quod tamen non esse necesse ipsa nos quotidiana experientia docet; ita alii sunt, qui Apostolum ibi loqui inquiunt partim de exhortatione, partim de spiritualibus Canticis, quæ primi Christiani ad mutuam consolationem, & ædificationem in sacris Collationibus, & Conventibus post mysticas preces, prout Spiritus S. dabat, proferebant, de quibus Apostolus idem ad Ephes. 5. *Implemini*, inquit, *Spiritu Sancto loquentes vobis metipsis in Psalmis, & Hymnis, & Canticis Spiritualibus*, & ad Colos. 3. *Verbum Christi habitet in vobis, abundanter in omni sapientia docentes, & commonentes vosmetipsos Psalmis, Hymnis, & Canticis Spiritualibus*. Exhortationes itaque & spiritualia hujusmodi Cantica lingua peregrina fieri, ac pronunciari non debere ab eis, qui dono linguarum in Ecclesia præditi sunt, Apostolus eo loco docet, ut ex totius capitis contextu, & Veterum interpretatione compertum est, sed de Missa non loquitur, quam tunc lingua vulgari, Græca scilicet, qua & Scriptura Sacra legebatur a Corinthiis celebratam fatemur, ipsique Heretici hoc agnoscunt.

X. Altera etiam in Sacris Liturgiis discrepantia est, quod in aliquibus illarum omittitur Psalmus ante Confessionem, in aliis formula Confessionis est brevior, illarum aliquæ unam Panis, & Vini oblationem præscribunt, & verbis non iisdem, in aliquibus Epistolæ, & Evangelia variantur, sicuti Sanctorum Festivitates, aliqua alia minutiora sunt, quæ probant differentiam esse penitus accidentalem, cum tamen in forma, & dispositione Missæ conveniant omnes cum Romanis in Panis & Vini Præparatione, Oblatione, Consecratione, Consumatione, etsi modus, & ritus, quibus hæc peraguntur, & ordo Cæremoniarum peculiaris sit, nec ita ab Ecclesiarum Pastoribus institutus, ut perpetuus sit, cum non ad fidem, sed ad disciplinam pertineat. *Regula Fidei*, inquit Tertullianus in libro de velandis Virginibus, *una omnino est, sola immobilis, & irreformabilis. Cætera jam disciplinæ, & Conversationis admittunt novitatem*, quia nullum extat de his vel Christi, vel Apostolorum præceptum, quare justa interveniente caussa sine reprehensione mutari possunt: *Ipsa pia Concilia* inquit Augustinus lib. 2. de Bapt. contra Donatistas, *quæ per singulas Regiones, vel Provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ*

fiunt

fiunt ex universo orbe Christiano fine ullis ambagibus cedunt, ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendantur, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat; ita nonnulla Christianæ Religionis instituta, quem in Ecclesiæ nascentis initio, suæ modum originis accepere, in progressu ejusdem credentis propter quasdam rationabiles causas non diu tenuere. Non fuerunt tamen rationabiles caussæ illæ, quæ Sectarios a fide deficientes moverunt, ut Rituales, & Liturgicos libros suis erroribus inficerent, vel privata auctoritate immutarent, quod quam turpiter id ab illis factum sit, qui Gnostici, Adamitæ, Pepuziani appellati sunt, & postea a Nestorianis, Donatistis, Jacobitis, & Recentioribus omnibus Misoliturgis, Orthodoxi Patres enarrant, postquam enim Ecclesiam deseruerunt, parum se fecisse putarunt, nisi id, quod in ea sanctissimum est, & religiosissime agitur, Sacrificium scilicet, & Sacramentum Corporis Christi dicteriis, & maledictis lacesserent, & blasphæmo ore, nugacissimisque sententiis Catholicos criminarentur, quia in sacra Actione Cæremoniis utuntur, quæ ajunt irritamenta impietatis magis esse quam officia pietatis. Sed jam hujusmodi deliramenta rejecimus, unumque tantummodo superest, ut de illarum Cæremoniarum sanctitate, & utilitate agamus, quæ fiunt in Missa, & quæ vel in Verbis, vel in Actione consistunt.

§. II. *Conveniens fuit præter verba Consecrationis, alia in Liturgiis inserere, quæ, vel Consecrationem præcederent, vel subsequerentur.*

XI. Verba appellantur Orationes omnes, quas Sacerdos inter Sacrificium profert, vel publice, vel secreto, Lectiones item, Benedictiones, & similia. Facta, sive actiones vocamus elevationes manuum, & oculorum, inclinationes corporis, & genuum incurvationes, aliaque signa, vel gestus &c. itaque ut a primis exordiamur.

Dicimus conveniens fuisse, præter verba Consecrationis aliqua alia adjungere, partim antecedentia, partim subsequentia, quæ vel ad Dei laudes, & gratiarum actiones, vel ad populum instruendum in fide, vel ad devotionem excitandam, vel ad ejus petitiones, & vota Deo præsentanda pertineant. His enim & *Majestas tanti Sacrificii commendatur, & mentes Fidelium per hæc visibilia Religionis, & Pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitantur*, ut loquitur Synodus Tridentina, propterea nonnulla ipsi Apostoli addiderunt, alia ab Apostolorum Discipulis instituta, & alia plura a Summis Pontificibus, vel ab Episcoporum Conciliis præscripta sunt, quæ omittere nefas est, cum Pius V. in virtute S. Obedientiæ singulis Latinis Sacerdotibus injungat, *ut rubricas, & ordinem Missalis, quo ad singulas ejus partes observent*; quemadmodum injunctum est Græcis Sacerdotibus, ut diebus solemnibus Basilianam, ferialibus vero adamussim Chrysostomi Liturgiam recitent. In his ergo ex natura rei nulla est inordinatio, imò apparet maxima convenientia, accomodatur enim hic ritus conditioni Sacrificii, & quia est Sacrificium laudis, & Gratiarum actionis, optime cum illo conjunguntur petitiones, & orationes, non solum pro iis, qui offerunt, sed pro aliis etiam tam vivis, quam defunctis, quibus prodesse potest, & demum quia est Mysterium Fidei, & Novi Testamenti con-

fir-

firmatio, aptiſſime cum illo conjungitur, inſtructio Chriſtiani Populi circa res Fidei. Latius, & diſtinctius rem hanc perſequitur Auguſtinus Epiſtola 59. ad Paulinum quæſt. 5. ubi explicans Apoſtolum ſic ſcribentem ad Tmot. 1. 2. *Obſecro primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus &c.* refert hæc ad Miſſæ Liturgiam, quæ ſuo tempore celebrabatur.

XII. Dicimus 2. neque inordinatum eſſe quod precum illarum, quæ dicuntur in Miſſa, quædam ſub ſilentio, & ſecrete, alia vero publice proferantur. Hic enim ritus ab omnibus Liturgiis Latinis & Græcis præcipitur, & propterea de illius antiquitate dubitari non poteſt. Non eſt tamen quod malum eſſet, aut contra rationem totam Miſſam alta voce pronunciare, aut totam celebrare voce ſubmiſſa. Neutrum enim eſſet contra aliquam virtutem, aut contra præceptum, quod id Chriſtus prohibuiſſet, aut contra Traditionem, & Scripturam, quæ nulla afferri poteſt. Non ſecus ac alios ritus, ſic peculiarem hunc reliquit Chriſtus Dominus diſpoſitioni Eccleſiæ, quæ certo reprehendi non poteſt, quia elegit, quod aliqua ſubmiſſa, aliqua clara voce proferrentur; præſertim ſi hujus electionis legitima ratio illa habeatur, quam tangunt Tridentini Patres in cap. 16. Seſſ. xxii. cum inquiunt: *quia his adminiculis exterioribus indigent homines, ut ad rerum Divinarum meditationem ſubſtollantur*. Hanc ſecretam in Miſſa Orationem comendarunt etiam Concilii Colonienſis Patres part. 7. cap. 26. qui agnoverunt: *Tunc eſſe in Miſſa præcipuas Populi partes, quando ſubmiſſius legente, aut tacente Sacerdote, unuſquiſque cum Deo loquitur*. Comendavit etiam Cyprianus in expoſitione Orat. Dominic. ut refertur in cap. *Quoniam autem* de Conſecr. diſt. 1. & Commendavit Chryſoſtomus hom. 18. in 2. ad Cor. ubi præcepit: *in Sacrificio omnia Sacerdoti, & Populo eſſe communia, quia unus orat nomine omnium, alii vero orationi ejus conſentiunt, vel ei attendunt ſi publice orat, aut ſi ſecrete, cum illo ſimul orant*. Accedit etiam, & alia ratio, qnia non expediebat, quod omnia Myſteria æqualiter omnibus divulgarentur. *Multum confert*, inquit S. Baſilius lib. de Spir. Sancto cap. 27. *ad dignitatem, & reverentiam conſervandam Myſteriorum, ut non aſſueſcant homines eadem ſæpius audire, vel potius ut non afferantur ad aures vulgi. Qualia enim Myſteria ſunt, quæ ad omnium aures perferuntur?* Et id confirmavit Primus Innocentius in cap. 1. primæ Epiſtolæ ad Epiſcopum Eugubinum, imò confirmarunt etiam antiquitus exempla Sacrificiorum Veteris Legis, in quibus plerumque Sacerdos orabat ſine ullis verbis, ſed præcipue Sacrificium ſolemne incenſi, de quo in cap. 16. Levitici agitur, ibique jubetur, quod ſolus Sacerdos intra velum ingrediatur, ſacrificet, oret pro ſe, & pro Populo, omnibus aliis non ſolum non audientibus, ſed nec videntibus, & foris expectantibus. Quæ ſingula cum animadverterent Tridentini Patres loco ſupra cit. Can. 9. definiverunt: *Si quis dixerit Eccleſia Romanæ ritum, quo ſubmiſſa voce pars Canonis, & verba Conſecrationis proferuntur, damnandum eſſe anathema ſit*, quod dixiſſe Kemnitium maxime miramur, poſtquam Lutherus in libro de formula Miſſæ liberum permiſerat, ut verba Cœnæ alta, vel ſubmiſſa voce pronunciarentur. Certe verum eſt Chriſtum Dominum Conſecrationis verba alta protuliſſe, ſed hoc nullum argumentum eſt ad id, de quo agimus, quia ipſe coram eis conſecravit,

qui-

quibus modum consecrandi tradebat; & hoc Episcopi imitantur, quando Sacerdotes creant; neque est argumentum Græcos hunc ritum non abhorruisse; nam id solum probat, neque Latinorum, neque Græcorum ritum reprehendi posse, non vero non standum esse Ritui in Romana Ecclesia introducto, unde licet apud Græcos verba Consecrationis alta voce efferantur, tamen alia plura ab iisdem submissa voce recitari ex Chrysostomi Liturgia evidenter ostenditur.

XIII. Dicimus 3. Nullum esse inconveniens quod Latinæ Liturgiæ inserantur nonnullæ voces Hebraicæ *Amen*, *Alleluja*, *Sabaoth*, & *Hosanna*, & Græcæ *Kirie eleison*, has enim Ecclesia Latina retinuit, vel quia peculiarem emphasim habeant, vel ad unitatem Ecclesiæ indicandam, ejusdemque fidei confessionem, vel ad commendandam antiquitatem, vel demum, quia tales sunt voces, quæ commode in alia Lingua transferri non possunt, & postremo quia Mysteria nostræ Fidei tribus hisce Linguis ab Apostolis, & Evangelistis, eorumque immediatis Successoribus conscripta fuerunt; quæcumque tamen fuerit caussa institutionis, conveniunt omnes eam antiquissimam esse. Augustinus epist. 178. contra Pescentium Arianum asserit, *quod sicuti hac voce Homonsion a cunctis fidelibus una creditur Trinitatis substantia, ita ista Kirie eleison, unius Dei natura a cunctis Latinis, & Barbaris rogatur, ut misereatur*, quod scribit Arrianus lib. 2. dissert. Epictet. 7. *Deum invocantes precamur cum Kirie eleison*.

XIV. Dicimus 4. in his, quæ in Missa dicuntur nihil esse erroneum, & nihil superstitiosum, & nihil inconvenienter peti, & tamen ea dicuntur, quæ ab universali Ecclesia recepta sunt, illa autem solummodo oportere dicere, Concilium Tridentinum loco cit. decernit, ut antea idem decreverat Concil. Carthag. III. can. 23. Milevit. can. 12. & Africanum canon. 70. Aliquibus videtur erratum, quod in Missis pro Defunctis affirmentur & petantur nonnulla, quæ animabus existentibus in Purgatorio non conveniunt, hujusmodi sunt, ut *Deus liberet eas de pœnis Inferni* &c. & ab iis quæ sequuntur, quasi Ecclesia oraret pro animabus Damnatis. Nullus tamen in tota hac oratione est error, si considerentur animæ Defunctorum prout nunc existunt, vel secundum illum statum in quo erant in actu separationis earum a Corpore, utrumque hunc statum Ecclesia respicit, & utrique accomodat suam orationem hac distributione, ut posteriori conveniant hæ precatoriæ formulæ: *Ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum &c.* priori vero reliquæ: *libera eas de pœnis inferni, de profundo lacu &c.* & his similia. Posteriorem hunc modum imitatur Ecclesia etiam cum Christi Adventum, & Resurrectionem repræsentat, aitque *Rorate &c. Hæc dies &c.* neque talis oratio errorem continet, ut patet, neque est inutilis, quia per hanc aliquid pœnæ potest animabus Defunctorum remitti. Neque errorem continent orationes illæ, quæ ab Ecclesia præscribuntur in honorem Sanctorum recitandæ, in quibus petitur, quod sancta Mysteria *Sanctis prosint ad gloriam*; primo quia proprie loquendo, ut alibi diximus: illa oratio non est deprecatio, sed gratiarum actio, secundo quia quanquam esset postulatio per illam postularetur illa gloria accidentalis, cujus Sancti capaces sunt in Ecclesia militante. Neque tandem aliquid inconveniens Deo petunt Collectæ illæ, in quibus ex. gr. petimus, quod Deus *ad se nostras, etiam rebelles compellat propitius voluntates*, nam verba

illa nullam necessitatem inferunt, sed efficacem gratiæ virtutem, quæ nostras moveat efficaciter voluntates ad serviendum Deo, cum Joan. 6. scriptum sit: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.*

XV. Dicimus 5. Missæ Canonem esse ab omni errore purum, nihilque in eo esse, quod non maximam sanctitatem, ac pietatem redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat. *Canon* regula est fixa, & stabilis qua Novi Testamenti Sacrificium celebrandum est. *Secretum Missæ* quandoque fuit nuncupatus in Concilio Eboracensi tempore Cælestini III. aliquando *Actio*, quia in eo Dominica Sacramenta conficiuntur. De illius antiquitate plurimum certatum est inter Viros eruditos, placuit tamen illum dicere Gelasio antiquiorem, quia plene ad verbum reperitur apud Ambrosium lib. 4. de Sacramentis cap. 5. & 6. quia illius meminit Auctor quæstionum veteris, & novi Testam. apud Augustin. Tom. 4. q. 44. & ipse Optatus Milevitanus in lib. 2. contra Parmenianum, ubi ait: *Offerre vos dicitis pro Ecclesia toto Terrarum Orbe diffusa*. Non credimus certe uni Auctori tantummodo opus hoc esse adscribendum, sed credimus ipsam Ecclesiam ab antiquissimo tempore illum instituisse, & ut inquit Concilium Tridentinum Sess. XXII. cap. 4. *constare ex ipsis Domini verbis, ex Apostolorum traditionibus, ac Sanctorum Pontificum institutionibus*, neminemque ex Pontificibus post Magnum Gregorium quidquam addidisse, aut immutasse, ex quibus sequitur 1. Præceptum dicendi hunc Canonem in Missa non esse ex institutione Divina. 2. Solum in Pontificatu Gregorii Magni Canonem fuisse perfectum. 3. Scholasticum illum, cujus Gregorius meminit lib. 7. epist. 63. tamquam auctorem precis, quam dicimus super oblationem, non dedisse primum initium Canoni, sed vel ad talem formam illum redigisse, ad eum modum, quo Basilius, & Chrysostomus Liturgias composuerunt, & Gelasius, & idem Gregorius Divina Officia emendarunt, vel fuisse Auctorem alicujus precis, ut putat Jacobus Jansonius in suis Liturgicis lib. 3. cap. 11. licet præcise ignoretur quænam fuerit.

Incipit Canon ab Oratione, *Te igitur clementissime Pater*, usque ad Orationem Dominicam, licet Innocentius, & alii Recentiores hanc etiam intra Canonem includant contra Auctoritatem Gregorii lib. 7. epist. 63. & Walfridi cap. 22. quem tamen Gregorium falsum est statuisse, ut hæc oratio legeretur in Missa, cum idem Gregor. l. c. epist. 64. hujus lectionis usum repetat ex veteri, & Apostolica Consuetudine, & id confirmat universalis Patrum auctoritas. Adduntur aliquæ aliæ orationes preparatoriæ ad Communionem, non ex antiqua Summorum Pontificum institutione, sed ut ait Micrologus cap. 18. *ex Religiosorum traditione*, nihilque in his omnibus invenitur, quod ad Fidem, & Religionem Ecclesiæ non pertineat, cum omnia quæ in Canone continentur ab universa Ecclesia, quæ sancta, columna, & firmamentum veritatis est, approbata, & usu recepta sint, & Pontificum, & Conciliorum Auctoritate firmata, quod satis est, ut intelligamus nullius esse momenti ea, quæ a Recentioribus Sectariis contra Canonem impudentissima proferuntur, & merito a Tridentinis Patribus anathemate mulctatos illos omnes, qui dixerint: *Canonem Missæ errores continere*, ideoque abrogandum esse.

XVI. Dicimus 6. Cautum esse per Ecclesiasticas Constitutiones, ne novæ precationes ex propria devotione addantur iis, quæ juxta ritum Eccle-

clesiæ præscriptæ sunt, hoc Pius V. in sua Bulla præmissa Rubricis Missalis decrevit, postea Concil. Trident. in laudata Sess. XXII. cap. de observandis in Celebr. Missæ, ex quibus novis statutis observatur discrimen eorum ab antiquioribus, quæ hac in parte attendenda non sunt, finebant enim Sacerdotes illa in Missa recitare, *quæ ipsi cum instructioribus fratribus contulissent*, ut loquitur canon. 23. Concilii III. Carthag. *vel quæ fuissent cum prudentibus tractata, & in Concilio, vel Synodo approbata*, ut legitur in cap. 12. Concilii Milevitani. Vetitum tamen non est, nonnulla in Missa cantare ex iis, quæ in Missis privatis solet Sacerdos recitare. Hunc usum semper in Ecclesia viguisse ipsi Sectarii negare non audent, *ipsius Domini, & Apostolorum*, inquit Augustinus epist. 119. c. 18. *habemus documenta, & exempla, & præcepta*, & Plinius Scriptor Gentilis de Cantu Christianorum testimonium perhibuit in epistola ad Trajanum, *illos*, inquiens, *solitos fuisse stato die ante lucem convenire, & Carmen Christo, quasi Deo dicere secum invicem*, quare ut Clerici a teneris annis canendi regulas adiscerent Romæ Schola Cantorum instituta fuit, ut primus esset, quemadmodum Tertullianus scribit lib. de Pallio c. ult. *informator litterarum, & primus edomator vocis*, qui mos in alias postea Urbes propagatus est. Apud Græcos ordinantur Cantores eodem ritu, quo Lectores, non tamen hunc Ordinem alium habent a Lectoratu, huic præbetur liber Apostolicus, Cantori vero Psalterium, hic concinit, ille recitat. Maronitis vero est Ordo diversus, & Cantoratus gradus est ad Lectoratum. Modum Cantus sancivit Trullana Synodus can. 75. in quem Canonem plura notat Christianus Lupus. *In Romana Ecclesia modulationum species, & Canentium Disciplinam, Gregorium Papam instituisse* scribit Joannes Diaconus in ejus Vita lib. 2. c. 6. cui prætuxisse alii putant Hilarium. Scholam Cantus annis ducentis ante Gregorium extitisse in Africa ex Victore Episcopo accepimus, qui hæc scripsit in lib. 5. de persecutione Africana sub impio Rege Hunerico, & ex Augustino in lib. 10 Confes. cap. 33. Notatu dignum est id quod pro Clericis Ecclesiæ adscriptis decrevit Justinianus Imperator C. de Episcopis & Clericis lege 42. §. 10. ut scilicet deberent per seipsos psallere; *Nam*, inquit, *qui constituerunt, vel fundaverunt Ecclesias Sanctissimas pro sua salute, & communi republica, reliquerunt illis substantias, ut per eas debeant Sacra Liturgiæ fieri, & in illis administrantibus piis Clericis Deus colatur*; & revera S. Gregorius solos Subdiaconos, & Clericos minorum Ordinum hoc fungi munere in Ecclesiis, non vero Diaconos præcepit in Concilio Romano. Et hæc dicta sint quo ad Cæremonias, & ritus illos, qui in verbis consistunt.

XVII. Reliquæ Cæremoniæ in actione consistunt, quarum aliquæ institutæ sunt, ut sacrum mysterium debita honestate, modestia, ac reverentia peragatur: aliæ propter exteriores Latriæ actus exercendos, & aliæ demum specialiter institutæ sunt propter aliquam significationem. Ad primam speciem referuntur manuum purgatio ante Missam, modus observandus cum Sacerdos incedit ad Altare, cum signo Crucis se munit, cum benedicit oblata, cum orationes claudit, ut jungat manus, quod quandoque illas elevet, quod pectus percutiat, quod convertatur ad populum illum salutaturus, vel benedicturus, & his similia, quæ licet res minutissimæ sint, oportet nihilominus quod exactissime observentur, pertinent enim ad illum ordinem, quem observandum præscripsit Apostolus in sua 1 epistola ad Cor. 14. cum ait: *Omnia*

secundum ordinem fiant, & quem intellexit Cyprianus, cum in expositione Orationis Dominicæ scripsit: ***Placendum est Divinis oculis etiam in habitu Corporis***. Alterius generis sunt Cæremoniæ illæ, quæ ordinantur ad Deum adorandum, & colendum & sunt capitis, & corporis inclinationes, genuflexiones &c. manuum & oculorum elevationes & quod Sacerdos sit discoopertus capite, dum sacrificat. Horum rituum institutionem Christi Domini præcessit exemplum, quem legimus genibus positis orasse ad Patrem, & sæpe oculos elevasse ad cœlum. ***Suspicientes in Cœlum*** inquit Tertullianus in Apologitico cap. 30. ***manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus, precantes sumus***. Pertinent ad idem genus reliquæ cæremoniæ, quæ ordinantur ad Cultum Sanctorum, cum caput ad eorum nomen inclinamus, ad imaginum, & rerum sacrarum venerationem cum ad crucem, vel ad imaginem capite inclinati convertimur, cum Altare, Missale, & Patenam osculamur, & ad Sacramenti adorationem, cum coram illo genuflectimus, & pectus tundimus illud suscepturi, cum illud elevamus, ut a populo adoretur, cum digitos non disjungimus, ne quid illius decidat, & caute vasa purificamus. Et in his ritibus certe nihil otiosum, nihil incomptum, & superstitiosum nihil esse credendum est, si pro ut ab Ecclesia instituti sunt fideliter fiant; imò actibus his exterioribus bonum interioris animi nostri motum, seu affectum exprimimus, cujus signum est omnis exterior adoratio. Ex his vero Signis, ad quæ exprimenda ipsæ Cæremoniæ institutæ sunt nonnulla veluti præcipua seliguntur; hujusmodi est Panis, & Vini consecrandi elevatio oculis ac manibus ad Deum elevatis; Pectoris tunsio, & osculum. Primum ex his oblationem significat, quæ fit Deo, tum hostiæ, quæ offertur, tum Sacerdotis offerentis Sacrificium. Alterum intensam animi contritionem exprimit, quam Publicanus jam suo exemplo probaverat. ***Pectus percutimus*** inquit Nicolaus I. ad Consulta Bulgar. c. 54 ***signantes, quod nequiter egimus, displicere nobis***. Tertium tandem in signum reverentiæ usurpatur. Erat autem osculum non solius Communionis, sed & omnium Ecclesiasticarum functionum signaculum, & sigillum, quod in omnibus Sacramentis adhiberi solebat. Signum mutuæ dilectionis, & pacis erat inter Christianos, & propterea plurimum ab Apostolo comendatur, & convenientes fideles ad audiendum verbum Divinum, Missarumque celebrationem, post orationes osculo dilectionis suscipiebant se invicem. Veteri tamen simplicitate in malitiam degenerante introductum est, ut mutuo amplexu ritus idem persolvatur. Non desunt etiam alii ritus, qui mysticis significationibus abundant, & hujusmodi sunt mixtio vini & aquæ, digitorum ablutio, manuum extensio super oblata, hostiæ fractio, signi Crucis frequens usus &c. Sed de his consulendi sunt, quemadmodum de cœteris omnibus, quæ optari possunt in hac materia, Scriptores rerum Liturgicarum; nobis advertere satis est, Ecclesiastico præcepto teneri omnes servare ritus alios ab ipsa Ecclesia institutos in Missæ celebratione, prohiberi singulis addere novos ritus, & cæremonias, præter eas, quæ ab Ecclesia approbatæ sunt, ut docet Concilium Tridentinum, demum apertissime Kemnitium mentiri dum affingit quod Cæremonias ad Missæ substantiam pertinere credamus; nam non eo loco nos Cæremonias habemus, sed accidentarias Sacrificio censemus, nihilque aliud de hujusmodi Cæremoniis credimus, quam officia pietatis esse.

XVIII. Peracto Sacrificio Sacerdos dimittit populum. Antiquitatem hujus

jus

jus ritus probat Ordo Romanus, qui debere ait unum ex Diaconis [agit enim de Missa Solemni] cui præceperit Archidiaconus finita oratione ad complendum dicere ad populum *Ite Missa est*. Illius observantiam plura Concilia decreverunt, ne Christiani conventum desererent nondum expletis Missarum solemniis, ut alibi diximus. In primis Ecclesiæ sæculis cum severior disciplina vigebat duplex erat hæc missio, altera Catechumenorum dicebatur, altera Fidelium; & hinc duplex Missa. Solemni ritu Catechumenorum dimissio peragebatur, precibus aliquot, & psalmis recitatis juxta normam præscriptam ab Apostolicis Constitutionibus lib. 8. c. 5. Post recitatum, & expositum ab Episcopo Evangelium. Dimittebantur cum iis Energumeni etiam, & Pœnitentes, illis, qui divinorum aspectu, & communione digni sunt remanentibus. Magnifice hunc ritum describit Dionysius in cap. 3. Eccles. Hierarc. qui tamen in Ecclesia Latina desiit circa annum Christi septingentesimum, nam hujus dimissionis nulla fit mentio in antiquis Missalibus & Ritualibus, nec in Auctoribus, qui octavo, ac nono sæculo, ac cæteris de Divinis officiis scripserunt aliquod vestigium Missæ specialis Catechumenorum reperitur. Græci antiquum morem adhuc retinent, quamvis nullus apud illos sit Catechumenus, & nullus Pœnitens: tamen in singulis Liturgiis recitatur Catechumenorum oratio, & Catechumeni solemniter dimittuntur. Solemni Catechumenorum, Energumenorum, & Pœnitentium ejectioni suffecta videtur in Latina Ecclesia Indulgentiarum concessio, & solemnis benedictio, quam Episcopus impertitur super populum expleta ejusdem Concione inter Missarum solemnia. Dimissis Catechumenis incipiebat Missa Fidelium, quæ clausis januis agebatur. Ejus initium primitus erat ab Offertorio, postea cœpit a Symbolo, quamquam hæc disciplina ubique Ecclesiarum statim non obtinuerit, usus enim canendi Symboli antiquior est in Ecclesia Orientali, quam Occidentali. Romæ cantari cœpit A. 1014. sub Benedicto VIII. sed in Hispania, Gallia, & Germania multo ante cantabatur & hæc Missa procedebat usque ad populi dimissionem, cui ex recentiori ritu accessit benedictio Sacerdotis, & novissime ex jussu Pii V. recitatio Evangelii Sancti Joannis. De benedictione hac fert testimonium Auctor libri de Ecclesiasticis observationibus sub nomine Micrologi, qui florebat prope annnm 1090. *Soli communicantes confectioni Sacramentorum antiquitus intererant, quibus oratio post communionem, quæ pro solis communicantibus instituta est, pro benedictione potuit satisfacere*. [& hoc est quod Amalarius, & Rabanus, perperam ab aliquibus citatis pro opposita sententia, intellexerunt, cum dixerunt *consummato Sacrificio populum a Sacerdote benedici*, apud quos postrema oratio, quæ postcommunio vocatur dicitur *Benedictio* ut clarius deinde Walfridius scripsit in fine capitis 22.] Apud modernos autem, cum jam populus communicare cessaret, nec tamen a Divinis mysteriis se subtraheret, necessario permissum est, ut a Presbytero benediceretur, ne tam benedictione, quam communione privatus discedere videretur. Sive autem ea occasione, sive alia hoc Presbyteris permitteretur ab Episcopis; adeo tamen in usum jam usquequaque venit, ut nequaquam absque gravi scandalo a Presbyteris coram populo prætermitti possit, nisi forte Apostolica Sedes generaliter, & synodaliter prohibere voluerit. De Evangelio D. Joannis scribit Paris Crassus in cap. 65. Cœremonialis Summi Pontificis, quod illud ante decretum Pii V. certa sine lege, ex sola consuetudine a quibusdam dici, ab aliis omitti pro cujusque arbitrio consueverat, & hoc ex pluribus Missalibus, tum

tum editis, tum MS. colligitur, in quibus nihil de hoc Evangelio decernitur, sed aut de illo omnino silent, aut statuunt illud dici dum exuitur Sacerdos, vel post Vestium depositionem. Ultimus tandem ritus qui præscribitur Sacerdoti post Missam celebratam, respicit ejusdem regressum in Sacrarium, & tempus, quo se sacris vestibus exuit, ut scilicet recitet hymnum trium Puerorum quod in Concilio IV. Toletano decretum fuisse Micrologus, aliique Recentiores asserunt. Verum decretum hoc non habet vim legis universalis, & propterea potius ex consuetudine, quam ex aliqua lege positiva dicimus factum esse, quod Sacerdotes tunc secreto recitent prædictum hymnum, aut alia pro eorum arbitrio. Accedit omnino falsum esse, quod Concilium Toletanum hoc præceperit, nam Concilium hoc multa alia decrevit, quæ pertinebant ad ritum Mozarabicum, & inter cætera sancivit, ne omitteretur hymnus laudatus diebus Dominicis, & in Solemnitatibus Martyrum. Juxta hunc ritum cantabatur hic hymnus in principio Missæ ante Epistolam, non vero in fine Missæ; hæc sunt Canonis verba, qui 14. aut 15. in ordine est. *Hymnum trium puerorum, in quo universa cæli, terraque creatura Dominum collaudat, & quem Ecclesia Catholica per totum Orbem diffusa celebrat, quidam Sacerdotes in Missa Dominicorum dierum, & in Solemnitatibus Martyrum canere negligunt; proinde hoc sacrum Concilium instituit, ut per omnes Ecclesias Hispaniæ, vel Galliæ, in omnium Missarum Solemnitate idem in pulpito decantetur, communionem amissuri qui, & antiquam hujus hymni consuetudinem, nostramque definitionem excesserint.*

FINIS TOMI PRIMI.



